# ILLUSTRIUM POETARUM FLORES,

*Per Octavianum Mirandulam olim collecti, & in locos communes digesti.*

Nunc vero de novo longe quam ante unquam, meliores & emendatiores editi: Flosculis item multis tum veterum, tum neotericorum Poetarum, passim adaucti.

*Instar apis dulceis Flores excerpito libris,*
*Qui cupis ut maneat dulcis ab ore liquor.*



LONDINI,
Imprimebat *T. Newcomb.* pro Societate Bibliopolarum, 1651.

PHILIPPI BEROALDI

*de hisce Floribus judicium.*

Sunt hæc ex ſylva Poëtarum ſciſſime decerpta, quibus aut ſententia moralis naturaliſve, aut laus virtutis, aut cenſoria morum caſtigatio, aut præcepta ſaluberrima continentur. Opus prorſus non minus conducibile, quam laborioſum. Lector perlege, & lætaberis.



# D. JACOBI ANTONII
## BALBI PLACENTINI
## EPIGRAMMA.

CUltor Heliconii Mirandula collis alumnus
Lustraret nitidi quum tuus arva soli,
Sicut apis legit varios ibi sedula flores,
Ad nos & pleno detulit usque sinu,
Filia, quod Cereris Sicula non vidit in Enna,
Queis odor eximius, perpetuusq; decor.
Sed confusa vagas traheret ne copia mentes,
Obrueretq; magis se male turba sequens,
Ordine consuluit, pulchro longumq; laborans.
Quosque suis fixit, disposuitque; locis.
Pectoraq; edocuit titulis studiosa paratis
Pulchra quibus faciant serta, quibusve favos.
Quid moror? unus opes tantas conclusit in horto
Aonii nemoris deliciasq; brevi.
Quare Pieridum jam non gravis obstet amicis,
Et labor, & longæ tædia multa viæ.
Huc alacres veniant, quod erat procul ecce propinquum.
Horrebat saxis, quæ modò plana via est,
Reddita confusis facies sua, gratia, virtus.
Parnassum inveniet jam lare quisque suo.



# PHILIPPUS BEROALDUS LECTORI SALUTEM.

MOS est studiosorum, & is plane laudabilis, ut celeberrimorum scriptorum volumina perlegentes, annotent seligantq; non parum multa quæ memoratu digna esse videantur. Hoc Plinium illum multiscium factitasse tradunt, qui nihil unquam legit, quod non excerperet: qui dicere solebat, nullum librum esse tam malum, ut non aliqua ex parte prodesset. Hoc studiorum genere Cæsar dictator est delectatus, à quo adolescentulo feruntur, condita ob id dicta collectanea. Nuperrimè quoque Octavianus Mirandula, divi Augustini canonicus regularis sacerdotali dignitate præditus, nec minus doctrina quam religione clarus, exemplo majorum

rum ex multijuga lectione collegit excerpsitque veluti ex pulcherrimo prato, flosculos hosce odoratissimos, qui spirant suaveolentiam jucundissimam, qui tanquam amaranthi minimè marcescunt. Sunt hæc ex sylva Poetarum scitissime decerpta, quibus aut sententia naturalis moralísve, aut laus virtututis, aut censoria morum castigatio, aut præcepta saluberrima continentur. Opus prorsus non minus conducibile, quam laboriosum, Lector perlege, lætaberis, dicésque te non parum debere celeberrimo præconi Octaviano, qui, quæ sparsim intercisimque apud complusculos scriptores intervallata cum labore reperiebantur, ea in unum quasi corpus redacta collegit, tradiditque studiosis, ut obvia sint, offerantque sese citra morosam vestigationem, citraque fatigationem. Vale.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI ET D. COLENdissimo D. Octaviano Arcimboldo protonot. Apostolico, Octavianus Mirandula canonicus Regularis Lateranensis felicitatem optat.



IU, *pater amplissime à pluribus rogatus, ut illustrium Poetarum sententias clariores hinc inde dispersas, in certum ordinem collectas redigerem, opus consultò distuli: utpote quod cum magno labore non parum discriminis habeat: & multo plus temporis & studii exigit, quam impositæ prædicandi sarcinæ mancipato, & sacris literis vacanti religioso concedi soleat: Præter id, quod tam varia, tam multiplex est almæ poesis supellex, & tam obscura vatum in hoc opere perficiundo sunt pertractanda volumina, ut cuique etiam audentissimo terrorem incutiant. Horum enim quædam veluti in vastissimam camporum planitiem omnimoda rerum specie refertam si tam latè aperiunt, ut ne dum legendo peragrari facile, sed vix ingenii acumine complecti possint. Alia vero in tam densam verborum sylvam sensus occludunt, ut nisi studio & labore vim inferam, se mihi minimè aperiri videantur. Verum tamen privatam hanc rationem vicit charitatis vigor, quæ nunquam quærit quæ sua sunt.*

*Vici*

*Vici divi Platonis ſententia, per quam docemur hominem non tantummodo ſibi naſci. Vicit & ſtudentium religioſorum frequens & juſta poſtulatio quibus non abſque injuria, quod fieri liceat negari non potuit. Quapropter rem pro virili parte mea, aggreſſus, quæ utilius, & ad humanæ vitæ inſtitutionem melius prolata eſſe mihi viſa ſunt, tanquam de Heſperidum hortis redolentiores fructus in unum colligens, opuſculum hoc confeci, & integerrimæ* D. v. *ideo obtuli dedicavique, ut qui omni fulges doctrina, & nobiliſſimis moribus inſtitutus progenitorum veſtigiis inhærens ſacrum virtutibus domicilium præſtat, cenſor optimus hoc legitimè corrigas, approbes cæteriſque legendum tua auctoritate præbeas. Simul ut à tua Lateranenſi congregatione manus habeas, quod licet collatis per te erga eam beneficiis longe ſit impar, talè tamen eſt. ut in ipſo & ſummam animi gratitudinem, & tui memoriam cognoſcere poſſis. Vale.*

---



# ELENCHUS AUTHORUM EX *quorum operibus Flores collecti sunt.*

Alciat. Emblemata.
Alcimus.
Anshelmus.
Arnobius.
Ausonius.
Boetius.
Buchananus.
Phil. Camerarius.
Caton. Moralia.
Cattullus.
Claudianus.
Columbanus.
Corn. Gallus.
Epictetus.
Epimenides.
Ennius.
Guntherus.
Guillermus.
Horatius.
Juvenalis.
Lucanus.
Lucretius.
Manilius.
Mantuanus.
Martialis.
Maximianus.
Nat. Chytreus.
Olymp. Nemesianus.
Olaus Magnus.
Osorius.
Ovidius.
Ovvenus. Angl.
Pamphilus poeta. Sup. S.
Paulinus.
Persius.
Petrarcha.
Petronius.
Plautus.
Pecensteniùs.
Politianus.
Pontanus.
Propertius.
Prosper.
Prudentius.
Scaliger.
Sedulius.
Seneca.
Sidonius.
Sil. Italicus.
Simplicius.
Sophocles.
Statius.
Symmachus.
T. Calphurnius.
Terentius.
Tibullus.
Tobias Sup. S. poeta.
Valer Flaccus.
Victorinus.
Virgilius.



# DE LAUDE CARMINUM, & quod fama Poëtarum sit perennis, ex Ovidii Eleg. lib. 1.

*QVid mihi livor edax ignavos objicis annos?*
*Ingeniiq; vocas carmen inertis opus?*
*Non me more patrum, dum strenua sustinet ætas*
*Præmia militiæ pulverulenta sequi?*
*Nec me verbosas leges ediscere, nec me*
*Ingrato voces prostituisse foro?*
*Mortale est, quod quæris, opus; mihi fama perennis*
*Quæritur, ut toto semper in orbe canar.*
*Vivet Mæonides, Tenedos dum stabit, & Ide,*
*Dum rapidas Simois in mare volvet aquas.*
*Vivet & Ascræus, dum mustis uva tumebit:*
*Dum cadet in curva falce resecta Ceres.*
*Battiades toto semper cantabitur orbe:*
*Quamvis ingenio non valet, arte valet.*
*Nulla Sophocleo veniet jactura cothurno.*
*Cum Sole & Luna semper Aratus erit.*
*Ennius arte carens, animosiq; Accius oris,*
*Casurum nullo tempore nomen habent.*
*Varronem, primamq; ratem quæ nesci ετatas?*
*Aureaq; Æsonio terga petita duci?*
*Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucretî*
*Exitio terras quum dabit una dies,*

*Tityrus & segetes, Æneiaq; arma legentur,*
*Roma triumphati dum caput orbis erit.*
*Donec erunt ignes, arcusq; Cupidinis arma,*
*Discentur numeri culte Tibulle tui.*
*Gallus & Hesperii, & Gallus notus Eois.*
*Et sua cum Gallo nota lycoris erit.*
*Ergo quum silices, quum dens patientis aratri*
*Depereant ævo, carmina morte carent.*
*Cedant carminibus reges, regumq; triumphi,*
*Cedat & auriferi ripa beata Tagi.*
*Vilia miretur populus, mihi flavus Apollo*
*Pocula Castalia plena ministret aqua.*

Idem. 1. Amor. 10.

*Carmina quam tribuunt fama perennis erit.*

---

ILLU-

---

# ILLUSTRIUM POETARUM FLORES,

Per Octavianum Mirandulam collecti & in locos communes digesti.

## A

## DE ABSTINENTIA.

*Abstinentiæ commendatio.*
*Horatius satyra 2 lib. 2.*



Ccipe nunc victus tenuis quæ quantaque secum
Adferat. in primis valeas bene, nam variæ res
Ut noceant homini credas, memor illius escæ.
Quæ simplex olim sederit ac simul (assis
Miscueris elix simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoq; tumultum
Lenta feret pituita. Vides ut Pallidus omnis
Cæna desurgat dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægravat una,
Atque adfigit homo divinæ particulam auræ.
Alter, ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus præscripta ad omnia surgit.

*Abstinentia præceptum seu Pythagoræ dehortatio, præsertim ab esu carnium.*
*Ovid. lib. 5. Metamorph.*

Heu quantum scelus est in viscere viscera condi,
Congestoque avidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusq; animantem animantis vivere letho!

*Et infra.*

Ergo ne pietas sit victa cupidini ventris,
Parcite (vaticinor) cognatas cæde nefandas
Exturbare animas, nec sanguine sanguis alatur

*Juvenalis*

*Juvenalis Satyra 15.*

Aspicimus populos, quorum non sufficit iræ
Occidisse aliquem, sed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi. Quid diceret ergo,
Vel quo non fugeret, si nunc hæc monstra videret
Pythagoras? cunctis animalibus abstinuit qui
Tanquam homine, & ventri indulsit non omne legu-
(men.

*Owen. Monost. Eth. & Pol. 35.*

Sit facilis victus nullo irritante sapore,
Sed Stomachum & gustum mordeat ipsa fames.

*Abstinere à vini potatione superflua & Venere omnes debent.*

*Virgil. de Venere & Vino.*

Nec Veneris, nec tu Vini capiaris amore:
Uno namq; modo Vina Venusq; nocent.
Ut Venus enervat vires, sic copia Bacchi
Et tentat gressus debilitatq; pedes.
Multos cæcus amor cogit secreta fateri,
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum sæpe petit ferus exitiale Cupido,
Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat.
Perdidit horrendo Trojam Venus improba bello,
Et Lapithas bello perdis Iacche gravi.
Denique quum mentes hominum furiarit uterq;
Et pudor, & probitas, & metus omnis abest.
Compedibus Venerem, vinclis constringe lyæum,
Nec te muneribus lædat uterque suis.
Vina sitim sedent, natis Venus alma creandis
Serviat, hos fines transiliisse nocet.

*Abstinere à placitis, non minima virtus.*

*Ovid. 16 Epist. Heroid.*

Disce meo exemplo formosis posse carere:
Est virtus placitis abstinuisse bonis.

*Abstinentia carnales refrænat motus.*

*Terentius in Eunucho.*

Verbum hercle hoc verum est: sine Cerere & Libero friget Venus.

DE

## DE ADOLESCENTIA.

*Adolescentem verecundum esse decet.*

*Plautus in Asinaria.*

Adolescentem verecundum esse decet.

*Adolescentes in bonum assuefaciendi sunt.*

*Virgil. 3. Georg.*

Tu quos ad studium, atq; usum formabis agrestem
Jam vitulos hortare, viamq; insiste domandi
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.

*Idem ad Messalam.*

Sed quoniam ad tantas non primum nascitur artes,
Nunc primum teneros firmamus robore nervos.

*Horat. lib. 3. Oda 24.*

——Et teneræ nimis
Mentes asperioribus
Formandæ studiis.

*Idem lib. 1. Epist.*

Inter cuncta leges, & percunctabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter ævum.

*Idem lib. 1. Epist.*

Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire viam, qua monstrat eques. Venaticus ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula
Militat in sylvis catulus. Nunc adhibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

*Juvenalis Satyra 14.*

Gratum est quod patriæ civem, populoq; dedisti,
Si facis ut patriæ sit idoneus utilis agris,
Utilis & bellorum, & pacis rebus agendis. (hunc tu
Plurimum enim intererit quibus artibus, & quibus
Moribus instituas serpente ciconia pullos
Nutrit, & inventa per devia rura lacerta:
Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis.
Vultur jumento, & canibus, crucibusq; relictis
Ad foetus properat, partem cadaveris adfert.
Hic est ergo cibus magni quoq; vulturis, & se
Pascentis propria quum jam facit arbore nidos?
Sed leporem, aut capream famulæ Jovis & generosæ
In saltu venantur aves, nunc præda cubili

Ponitur, inde autem quum se matura levabit
Progenies stimulante fame, festinat ad illam
Quam primum prædam rupto gustaverit ovo.

*Seneca in Octavia.*

Regenda magis est fervida adolescentia.

*Horat. in Art.*

Imberbis Juvenis tandem custode remoto
Gaudet equis, canibusq; & aprici gramine campi
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper
Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis cupidusq; & amata relinquere pernix

*Adolescentum facta parentibus celata haud esse debent.*

*Terentius in Adelphis.*

—Quæ fert adolescentia
Ea ne me celet consuefeci filium.
Nam qui mentiri aut fallere insueverit patrem, aut
Audebit, tanto magis audebit cæteros.

---

## DE ADVERSITATE.

*Adversa amorem virtutis haud eximere valent.*

*Silius Italicus lib. 10. bel. Pun.*

—Neque enim virtutis amorem
Adversa exemisse valent.

*Adversa æquo animo tolerare virtus est maxima.*

*Plautus in Asinaria.*

Hem ista est virtus, quando usus est, qui malum fert fortiter.

*Terentius in Phormione.*

—Unum hoc scio
Quod fors feret, feremus æquo animo. D. Placet.
Heus isthuc viri est officium.

*Fabii Maximi constantia, qui, nec morte, nec adversis frangebatur.*

*Scilius Italic. lib. 10. bel. Pun.*

Hos mulcens questus Fabius deforme docebat
Cladibus irasci, vulgumq; arcebat ab ira:
Adversis etenim frangi non esse virorum
Qui Martem inscribant genti: non posse dolores
Condere,

Condere, & ex pœna ſolatia poſcere luctus.

*Adverſa æquanimiter toleranda ſunt.*

*Horatius Oda 7. lib. 1.*

Albus ut obſcuro deterget nubila cælo
Sæpe Notus, nec parturit imbres
Perpetuos: ſic tu patiens finire memento
Triſtitiam, vitæq; labores.

*Idem Oda 3. lib. 2.*

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem, non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitiam moriture Doli.

*Idem lib. 2. ſatyra.*

—— Quocirca vivite fortes,
Fortiaq; adverſis opponite pectora rebus

*Adverſis in rebus amicos paucos proba.*

*Auſonius in Pittaci ſenten.*

Plures amicos re ſecunda compares.
Paucos amicos rebus adverſis proba.

*Adverſa ferre leve eſt, at perferre grave.*

*Seneca in Thyeſte.*

Leve eſt miſerias ferre, perferre eſt grave.

*Adverſa patienter toleranti nil nocere valent.*

*Boëtius Metro 4. lib. 1.*

Quiſquis compoſito ſerenus avo
Fatum ſub pedibus egit ſuperbum,
Fortunamq; tuens utranq; rectus
Invictum potuit tenere vultum:
Non illum rabies minæq; Ponti
Verſum funditus excitantis æſtum,
Nec ruptis quoties vagus caminis
Torquet fumificos Veſevus ignes
Haud celſas ſoliti ferire turres
Ardentis vi fulminis movebit.

*Item.*

Non æſtu cythiſus, non frigore, non nive læſus,
Spernere magnanimos omnia dura decet.

*Adverſa pios religioſoſve homines reddunt.*

*Ovid. 11. Metamorph.*

Aſpera creſcit hyems omniq; à parte feroces
Bella gerunt venti, fretaq; indignantia miſcent.

*Et infra.*

Hic votis numen adorat.

*Idem lib. 3. Fastorum.*

Vincitur ars vento, nec jam moderator habenis
Utitur, at votis in quoque poscit opem.

*Idem 1 de Tristib.*

Dii maris & cœli (quid enim nisi vota supersunt ?)
Parcite quassatæ solvere membra ratis.

*Idem eodem.*

Ipse gubernator tollens ad sidera palmas
Exposcit votis, immemor artis, opem.
Quocumque aspexi, nihil est nisi mortis imago;
Quam dubia timeo mente, timensq; precor.

*Horat Oda 16. lib. 2.*

Otium divos rogat in patenti
Prensus Ægeo, simul atra nubes
Condidit lunam, neque certa fulgent
Sydera nautis.

*Adversa virtute insignito dulcia atq; levia sunt.*

*Lucanus lib. 9. bel. civil.*

——Serpens, sitis ardor arenæ.
Dulcia virtuti, gaudet patientia duris,
Lætius est quoties magno sibi constat honestum.

*Adversitas amicos probat, offendit, atque disperdit.*

*Owen Mon.*

Rebus in adversis patientia vera probatur:
Rebus in adversis vera probanda fides:
Invenies multos si res tibi floret, amicos:
Si fueris pauper, nullus amicus erit.

*Ovid 4. de Ponto.*

Dum mea puppis erat valida fundata carina,
Qui mecum velles currere primus eras.
Nunc quia contraxit vultum Fortuna, recedis,
Auxilio postquam scis opus esse tuo.

*Idem 1. Trist.*

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.
Dum juvat, & vultu ridet fortuna sereno,
Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur ulli
Agminibus comitum qui modò cinctus erat,

*Idem 2 de Trist.*

O mihi chare quidem semper, sed tempore duro
 Cognite, res postquam procubuere meæ.

*Idem eodem.*

Ut cecidi, cunctiq; metu fugere ruinam,
 Versaq; amicitiæ terga dedere meæ.

*Seneca in Agamemnone.*

Fidem secunda poscunt, adversa exigunt.

*Adversitas gravior est, quanto magis improvisa evenit.*

*Terentius in Phorm.*

Incertum est quid agam, quia præter spem, atq; incredibile, hoc mihi obtigit.

Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere.

Quamobrem omnes quum secundæ res sunt maximæ, tum maximè.

Meditari secum oportet, quo pacto adversam ærumnam ferant.

Pericla, damna, exilia, &c.

*Adversitas maxima est cum non adest in quem animi vulnus transfundatur.*

*Sophocl.*

Quisquis proprias aspicit oculis
Ærumnas, nec habet partem in quam
Transfundat mali,
Magnos sustinet ille dolores.

*Adversitas ingeniosum hominem reddit quandoque, & è contra.*

*Ovid. 6. Metamorph.*

Os mutum facti caret indice, grande doloris
Ingenium est, miserisq; venit solertia rebus.

*Idem 2. de arte amand.*

Ingenium mala sæpe movent: quis crederet unquam
 Aëreas homines carpere posse vias.

*Idem de Sappho.*

Nunc vellem facunda forem, dolor artibus obstat,
Ingeniumq; meis substitit omne malis.

*Idem lib. 3. de Ponto.*

Nec tamen ingenium nobis respondet ut ante,
 Sed siccum sterili vomere Littus aro.

Scilicet ut limus venas excæcat in undis,
Læsaq; suppresso fonte resistit aqua,
Pectora sic mea sunt limo viciata malorum,
Et carmen vena pauperiori fluit.

*Idem 4 de Tristib.*

Utque soporiferæ biberem si pocula Lethes,
Temporis adversi sic mihi sensus abest.

*Adversitas laudabilem hominem facit, qui eam æquanimiter tolerat.*

*Ovid. lib. 5. de Tristibus.*

Scilicet adversis probitas exercita rebus,
Tristi materiam tempore laudis habet.
Si nihil infesti durus vidisset Ulysses,
Penelope felix; sed sine laude foret.

*Adversitas podest homini magis quam prosperitas, eò quòd in sui ipsius cognitionem, necnon in Dei reverentiam sæpissime inducit.*

*Ovid. lib. 2. Metamorph. de Midæ voto stulto.*

Ad cælumq; manus, & splendida brachia tollens:
Da veniam Lenæe pater, peccavimus, inquit,
Sed miserere precor, speciosoque eripe damno.

*Lucretius lib. 3. de rerum nat.*

—Multoque in rebus acerbis
Acrius advertunt animos ad relligionem
Quo magis in dubiis homines spectare periclis
Convenit adversisq; in rebus noscere qui sint.
Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Eliciuntur, & eripitur persona, manet res.

*Silius Italic. lib. 7. bel. Pun.*

Tanta adeò, quum res trepidæ reverentia divum
Nascitur.

*Adversitatum expressio horribilis.*

*Ovid. lib. 1. de Tristib.*

Scire meos casus si quis desiderat omnes,
Plus quam quod fieri res sinit, ipse petit.
Tot mala sum passus, quot in æthere sydera lucent,
Parvaq; quot siccus corpora pulvis habet.
Multaq; credibili tulimus maiora, ratamq;
Quamvis acciderint, non habitura fidem,
Pars etiam quædam mecum moriatur oportet,
Meque velim possint dissimulante tegi.

Si vox infragilis, pectus mihi firmius esset,
Pluraq; cum linguis pluribus ora forent,
Non tamen idcirco complecterer omnia verbis
Materia vires exuperante meas.

*Idem lib 4. de Tristib.*

Meque tot adversis cumulat, quot littus arenas,
Quotq; fretum pisces, ovaq; piscis habet.
Vere prius flores, æstus numerabis aristas,
Poma per autumnum frigoribusq; nives.
Quam mala, quæ patior, toto jactatus in orbe,
Dum miser Euxini littora sæva peto.

*Idem. lib. 5. de Tristib.*

Littora quot conchas, quot amœna rosaria flores,
Quotve soporiferum grana papaver habet,
Sylva feras quot alit, quot piscibus unda natatur.
Et tenerum pennis aëra pulsat avis:
Tot premur adversis, quæ si comprendere conor,
Icariæ numerum dicere conor aquæ.

*Valer. Flac. lib. 3. Argon.*

Bis Zephyri jam vela vocant fiducia mœstis
Nulla viris, ægro assiduæ mens carpitur æstu.

*Adversis in rebus vitam parvi facere facile est: at contra, fortissimi pectoris est.*

*Martialis lib. 11. Epigram.*

Rebus in angustis facile est contemnere vitam.
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

---

## DE ADULATIONE.

*Adulatorum effectus, seu proprium.*

*Terentius in Eunucho:*

Omnia habeo, nec quicquam habeo: nihil quum est, nihil desit tamen.
Est genus hominum qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt: hos consector: hisce ego non paro me ut irrideant,
Sed his ultro arrideo, & eorum ingenia admiror simul,
Quicquid dicunt laudo: id rursum si negant, laudo id quoque.
Negat quis, nego: ait, aio.
Postremo imperavi ego met mihi

Omnia

Omnia assentari: is quæstus nunc est multo uberrimus.

*Juvenal satyra. 3. de Græcis.*

Quid quod adulandi gens prudentissima, laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis,
Miratur vocem angustam, qua deterius nec
Ille sonat, quo mordetur gallina marito.
Natio comœda est, rides? majore cachinno
Concutitur: flet si lachrymas aspexit amici:
Nec dolet: igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit endromydem: si dixeris æstuo, sudat.

*Adulatores fugiendi parvifaciendive sunt, quia sub adulatione haud exigua latitant mala, moraliter.*

*Ovid. lib. 2. Eleg.*

Impia sub dulci melle venena latent.

*Owen Mon. 29.*

Qui te plus solito demulcet carmine blando,
Te capere insidiis nititur ille suis.

## DE ADULTERIO.

*Adulterium non esse committendum.*

*Ovid Epist. 19. Heroid.*

Elige de vacuis quam non sibi vendicet alter:
Si nescis, dominum res habet ista suum.

*Idem lib. 3. de arte amandi.*

Nupta virum timeat, rata sit custodia nuptæ,
Hoc decet, hoc leges, jusq; pudorq; jubent.

*Idem lib. 1. de remed. amor.*

Nil mihi cum nupta, Thais in arte mea est.

*Horat. lib. 1. Satyra 2.*

Desine matronas sectarier, unde laboris
Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus,

*Adulteri malum exitum sortiuntur*

*Horat. lib. 1. satyra 2.*

Hic se præcipitem tecto dedit, ille flagellis
Ad mortem cæsus; fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam, dedit hic pro corpore nummos,
Hunc perminxerunt calones: quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testeis caudamq; salacem
Demeteret ferro.

*Catul. ad Aurel.*

Ah tum te miserum maliq; fati,
Quem attractis pedibus patente porta
Percurrent Raphaniq; mugilesq; !

---

## DE ÆTATIBUS.

*Ætas antiqua, quæ aurea dicebatur, à cupiditate semota fuit: sed pace, nec non justitia plena extitit, in qua etiam communia erant omnia.*

*Juvenal. Satyr. 6.*

Aliter tunc orbe novo cœloq; recenti
Vivebant homines.

*Virgil. lib. 1. Georg.*

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni,
Nec signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant: ipsaq; tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.

*Ovid lib. 1. Metamorph.*

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem, rectumq; colebat.

*Et infra.*

Nondum præcipites cingebant oppida fossæ,
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis erat, sine militis usu
Mollia securæ peragebant otia gentes.
Ipsa quoq; immunis rastroque, intacta, nec ullis,
Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus.

*Idem lib. 1. Fastor.*

Nondum justitiam facinus mortale, fugarat:
Ultima de superis illa reliquit humum:
Proque metu populum, sine vi, pudor ipse regebat:
Nullus erat justis reddere jura labor.

*Petronius Arbiter in satyr.*

[N]ondum non fulgebat ebur quod inhæserat auro,
[N]ec jam calcato radiabat marmore terra
[M]uneribus delusa suis, sed crate saligna
[I]mpositum Cereris vacuæ nemus, & nova terræ
[P]ocula, quæ facili vilis rota finxerat actu.
[H]inc molli stilla lacus, & de caudice lento
[V]imineæ lances, maculataq; testa Lyæo,
[E]t paries circa palea satiatus inani,

Fortui-

Fortuitoque luto, clavus numerabat agrestes.
Et viridi junco gracilis pendebat arundo.
Conservabat opes humilis casa mitia sorba
Præterea quæ fumoso suspensa tigillo,
Inter odoratas pendebat texta coronas,
Et thymbræ veteres,& passis uva racemis.

*Boëtius metro. 5. lib. 2.*

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ sera solebat
Jejunia solvere glande.
Somnos dabat herba salubres,
Potum quoque lubricus amnis,
Umbras altissima pinus.
Nondum maris alta secabat,
Nec mercibus undique lectis
Nova littora viderat hospes.
Odiis neque fusus acerbis,
Cruor horrida tinxerat arma,
Quid enim furor hosticus ulla
Vellet prior arma movere?
Quum vulnera sæva viderent,
Nec præmia sanguinis ulla?

*Auream illam ætatem Saturni tempore fuisse. Poëtæ passim adserunt.*

*Virgil. lib. 8. Æneid.*

Primus ab æthereo venit Saturnus olympo.
Arma Jovis fugiens,& regnis exul ademptis.
Is genus indocile,ac dispersum montibus altis
Composuit, legesq; dedit, Latiumq; vocari
Maluit his quoniam latuisset tutus in oris.
Aureaque,ut perhibent, illo sub rege fuere
Secula, sic placida populos in pace regebat:
Deterior donec paulatim ac decolor ætas
Et belli rabies, & amor successit habendi.

*Juvenalis satyra 6.*

Credo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris, visamq; diu, quum frigida parvas
Præberet spelunca domos ignémque, larémque,
Et pecus,& dominos communi clauderet umbra.

*Ovi*

*Ovid. lib. 3. Eleg. sive Amor.*

At quum regna senex cæli Saturnus haberet,
Omne lucrum tenebris alta premebat humus.
Æraq; & argentum, cumq; auro pondera ferri
Mœnibus admorat, nullaq; massa fuit.
At meliora dabat curvo sine vomere fruges,
Pomaque,& in quercu mella reperta cava
Nec valido quisquam terram scindebat aratro,
Signabat nullo limite fossor humum.
Non freta demissi verrebant eruta remi,
Ultima mortali tum via littus erat.
Contra te solers hominum natura fuisti,
Et nimium dominis ingeniosa tuis.

*Seneca in Octavia.*

Rursus ut stirpem novam
Generet renascens, melior, ut quondam tulit
Juvenis,tenente regna Saturno poli,
Tunc illa virgo numinis magni dea
Justitia cælo missa, cum sancta Fide
Terras regebat mitis, humanum genus
Non bella norant, non tubæ fremitus truces
Non arma gentes, cingere assueverant suas
Muris nec urbes pervium cunctis iter,
Communis usus omnium rerum fuit:
Et ipsa tellus læto fœcundos sinus
Pandebat ultrò,tam piis fœlix parens,
Et tuta alumnis.

*Tibullus Eleg. 3. lib. 1.*

Quam benè Saturno vivebant rege, prius quam
Tellus in longas est patefacta vias.
Nondum cæruleas pinus contempserat undas,
Effusum ventis præbuerantq; sinum.
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit juga tempore taurus,
Non domito frenos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit,non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva lapis
Ipsæ mella dabant quercus, ultroq; ferebant
Obvia securis ubera lactis opes.
Non acies,non ira fuit, non bella: nec enses
Immitti sevus duxerat arte faber.

Æitas

*Ætas argentea post Saturni mortem successit, aurea ætate minus bona, ærea tamen melior.*

*Ovid 1. Metamorph.*

Postquam Saturno tenebrosa in tartara misso,
Sub Jove mundus erat, subiitque argentea proles,
Auro deterior, fulvo pretiosior ære.

*Tibullus Elegia 3. lib. 1.*

Nunc Jove sub domino cædes, & vulnera semper,
Nunc mare, nunc lethi mille repentè viæ.

*Ætas ærea crevit, quæ duabus supra dictis peior est, non tamen in totum scelerata.*

*Ovid lib. 1. Metamorph.*

Tertia post illam successit ahenea proles.
Sævior ingeniis, & ad horrida promptior arma
Non scelerata tamen.

*Ætas ferrea postremum advenit, in qua omnia crevere facinora.*

*Ovid. lib. 1. Metamorph.*

De duro est ultima ferro.
Protinus irrupit venæ pejoris in ævum
Omne nefas, fugere pudor, verumque, fidesque,
In quorum subiere locum, fraudesque, dolique,
Insidiæque, & vis, & amor sceleratus habendi,
Nec tantùm segetes, alimentaque debita dives
Poscebatur humus, sed itum est in viscera terræ:
Quasq; recondiderat, stygiisque admoverat umbris
Effodiuntur opes irritamenta malorum.
Jamq; nocens ferrum, ferroq; nocentius aurum
Prodierat, prodit bellum quod pugnat utroque,
Sanguineaq; manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero: fratrum quoq; gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita novercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa jacet pietas, & virgo cæde madentes
Ultima cælestum terras Astræa reliquit.

*Juvenalis satyra 6.*

Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas.

*Tibullus Eleg. 3. lib. 2.*

Ferrea non Venerem, sed prædam secula laudant:
Præda tamen multis est operata malis.

Præ

Præda feras acies cinxit discordibus armis:
Hinc cruor, hinc cædes, mors propiorq; venit.
Præda vago jussit geminare pericula Ponto,
Bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.

*Ætas pejor ferrea nunc agitur.*
*Juvenalis Satyra 13.*

Nova ætas agitur pejoraq; secula ferri
Temporibus, quorum sceleri non invenit ipsa
Nomen, & à nullo posuit natura metallo.

*Et sic in dies malum augebitur.*
*Horat. Oda 2. lib. 3.*

Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

*Juvenalis Satyra 2.*

——Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures. Sicut grex totus in agro
Unius scabie cadit, & porrigine porci.

*Ætas ultima in nos venit.*
*Seneca in Thyeste.*

In nos ætas ultima venit.
O nos dura sorte creatos!

*Ætas omnis à Deo proprium officium habet.*
*Seneca in Thebaid.*

——Propria describit Deus
Officia & ævum per suos ducit gradus,
Lætitia juvenem frons decet tristis senem.

*Ætas novi aliquid assiduè adportat, atque ad scientiam maxime confert.*
*Ovid. l.6. Metamorph.*

—— Non omnia grandior ætas.
Quæ fugiamus habet: seris venit usus ab annis.

*Idem lib. 15. Metamorph.*

——Etenim mihi multa vetustas
Scire dedit.

*Plautus in Trinummo.*

Sapientiæ ætas condimentum est, sapiens ætati cibus.

*Terentius in Adelph.*

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, usus semper aliquid adportet novi,

Aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

*Ætas ut Rosa perit.*

*Ausonius in Rosa.*

Collige virgo rosas dum flos novus, & nova pubes,
Et memor esto ævum sic properare tuum.

---

## DE AFFECTIBUS.

*Affectiones animi sunt quatuor, quæ veri cognitionem impediunt. Igitur resecandæ sunt, & ad hoc exhortatio pulchra.*

*Boëtius Metro. 7. lib. 1.*

Nubibus atris.
Condita nullum
Fundere possunt
Sydera lumen.
Si mare volvens
Turbidus auster
Misceat æstum,
Vitrea dudum
Parque serenis
Unde diebus,
Mox resoluto
Sordita cœno
Visibus obstat:
Quique vagatur
Montibus altis
Defluus amnis
Sæpe resistit
Rupe soluti
Obice saxi.
Tu quoque si vis
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem:
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit:
Nubila mens est,
Vinctaq; frænis
Hæc ubi regnant.

*Affectus Cordis celari non possunt,*
*Ovid. Met. 2.*

Heu quam difficile est crimen non prodere vultu.

---

## DE AFFLICTIONE.

*Afflictio compatiendum est, & si non de ipsius pœna, saltem de pœnæ merito.*

*Ovid 2. de Ponto.*

Et mala Nasonem, quoniam meruisse videtur.
Si non ferre doles at meruisse dole.

Afflictorum

*Afflictorum consolatio illustris.*
*Virgil. lib. 1. Æneid.*

O socii (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora, dabit Deus his quoque finem;
Vos & Scylleam rabiem penitusq; sonantes
Accestis scopulos. Vos & Cyclopea saxa
Experti: revocate animos, mœstumq; timorem
Mittite, forsan & hæc olim meminisse juvabit:
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt; illic fas regna resurgere Troja.
Durate, & vosmet rebus servate secundis.

*Idem lib. 5. Æneid.*

Isque his Æneam solatus vocibus infit;
Nate dea, quo fata trahunt retrahuntq; sequamur.
Quicquid erit; superanda omnis fortuna ferendo est.

*Idem lib. 6.*

Tunne cede malis, sed contra audentior ito.
Quam tua te fortuna sinet.

*Ovid. lib. 15. Metamorph.*

—Quotiens flenti Theseius heros
Siste modum dixit, neç enim fortuna querenda
Sola tua est; similes aliorum respice casus,
Mitius ista feres; utinamq; exempla dolentem
Non mea te possent relevare, sed & mea possunt.

*Idem 1. Fasto.*

Cui genitrix flenti, Fortuna viriliter, inquit,
(Siste puer lacrymas) ista ferenda tibi est.
Sic erat in fatis.

*Et infra.*

Nec fera tempestas toto tamen errat in anno;
Et tibi crede mihi tempora veris erunt.

*Idem 4 de Ponto.*

Nulla dies adeo est australibus humida nimbis,
Non intermissis ut fluat imber aquis.
Nec sterilis locus ullus ita est, ut non sit in illo
Mista fere duris utilis herba rubis.

*Idem lib. 3. Eleg.*

Perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim,
Sæpe tulit fessis, succus amarus opem.

*Idem ad Liviam de morte filiæ consolatoria.*

Scilicet exiguo percussa est fulminis ictu,
Fortior ut possit cladibus esse tuis.

*Idem eadem Epistola.*

Imposuit te alto fortuna, locumq; tenere
Jussit honoratum, Livia, perfer onus.
Alta mane, supraq; tuos exurge dolores,
Infragilemq; animum quo potes usque tene.

*Horat. Ode 10. lib. 2.*

Rebus angustis animosus, atque
Fortis appare, sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo.
Turgida vela.

*Juvenalis satyra 13.*

Ponamus nimios gemitus, flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.

*Idem eadem* Satyra.

Rem pateris modicam, & mediocribile ferendam,
Si flectas oculos majora ad crimina.

*Seneca in* Thyeste.

Pectora longis hebetata malis
Tam solicitas ponite curas
Fugiat mœror fugiatq; pavor,
Fugiat trepidi comes exiti
Tristis egestas, rebusq; gravis
Pudor afflictis, magis unde cadus
Quam quo refert. magnum ex alto
Culmine lapsum, stabilem in plano.
Figere gressum magnum ingenti
Strage malorum pressum fracti
Pondera regni non inflexa
Cervice pati, neq; degenerem,
Victumq; malis rectum impositas
Ferre ruinas. Sed jam sævi
Nubila fati pelle, ac miseri
Temporis omnis dimitte moras,
Redeant vultus ad læta boni.

*Lucretius lib. 3. de nat. rerum.*

Quid tibi tantopere est mortalis, quod nimis ægris
Luctibus indulges? quid mortem congemis, & fles?
Cur non ut plenus vitæ conviva recedis,

Æquo animoq; capis securam stulte quietem?

*Statius 2. Sylvarum.*

Hic finis rapto, quin tu jam vulnera sedas,
Et tollis mersum luctu caput? Omnia functa
Aut moritura vides, obeunt noctesq; diesque,
Astraq; nec solidis prodest sua machina terris.
Nam populos, mortale genus, plebisq; caducæ
Quis fleat interitus? hos bella: hos æquora poscunt,
His amor exitio furor his & sævo cupido:
Ut sileam morbos, hos ora rigentia brumæ,
Illos implacido lethalis Syrius igni,
Hos manet imbrifero pallens autumnus hiatu:
Quicquid habet ortus, finem timet. Ibimus omnes,
Ibimus: immensis urnam quatit Æacus umbris.

*Idem 5. Sylvarum.*

Parce precor lacrymis sævo ne concute planctu
Pectora, nec crucia fugientem conjugis umbram.

*Manilius lib. 2. Astronomicôn.*

Quod si solerti circumspicis omnia cura,
Fraudata invenies amissis sydera membris.
Scorpius in libra consumit brachia Taurus,
Succidit in curvo claudus pede, lumina Cancro
Desunt, Centauro superest & quæritur unum:
Sic nostros casus solatur mundus in astris,
Exemploq; docet patienter damna subire.

*Afflictorum vitam mortis vices tenet.*

*Seneca in Hercule Oetco.*

————Mortis habet vices.
Lente cum trahitur vita gementibus.

*Afflictis dubiam responsionem adferens, ipsorum salu em negat.*

*Hercules in Oedipo.*

Dubiam salutem qui dat afflictis, negat.

*Afflictis tempus immobile videtur.*

*Ovid. 5. de Tristibus.*

Ut sumus in Ponto ter frigore constitit Ister:
Facta est Euxini dura ter unda maris.
At mihi jam videor patria procul esse tot annis,
Dardana quot Graio Troja sub hoste fuit.
Stare putes, adeo procedunt tempora tarde,
Et peragit lentis passibus annus iter:

Nec mihi solstitium quicquam de noctibus aufert,
Efficit angustus nec mihi bruma dies;
Scilicet in nobis rerum natura novata est.
Cumque meis curis omnia longa facit.
An peragunt solitos communia tempora motus?
Suntq; magis vitæ tempora longa meæ?

## DE ALIENIS.

*Aliena nobiliora meliorave propriis judicantur, etiam si non sint.*

*Ovid 1. de arte amandi.*

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinumq; pecus grandius uber habet.

*Horatius lib. 1. Satyr. 1.*

Qui fit Mæcenas, ut nemo quam sibi sortem,
Seu ratio dederit, seu sors objecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentes?
O fortunati mercatores gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.
Contrà mercator, navem jactantibus austris
Militia potior: quid enim? concutitur horæ
Momento cita mors venit, aut victoria læta.
Agricolam laudat Juris legumq; peritus,
Sub galli cantu consultor ubi ostia pulsat.
Ille datis vadibus, qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe.

*Idem lib. 1. Epist. 14. ad villicum.*

Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum,
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors:
Stultus uterq; locum immeritum causatur iniquè,
In culpa est animus, qui se non effugit unquam.

*Aliena potiùs quam propria homines inspiciunt qui haud parva castigatione digni sunt.*

*Owen.*

Crimina qui cernunt aliorum, nec sua cernunt,
Hi sapiunt aliis dissipiuntq; sibi.

*Horat. lib. 1. satyr 3.*

Egomet mi ignosco, Mævius inquit,
Stultus & improbus, hic amor est dignusq; notari.
Quum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

*Persius Satyr.* 4.
Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo,
Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.

*Plautus in Sticho.*
Sed curioſi ſunt hic quam plures mali,
Alienas res qui erant, ſtudio maximo:
Quibus ipſis nulla eſt res, quam procurent, ſua.

*Terentius in Heauton.*
Tantúmne ab re tua eſt otii tibi Chremo,
Aliena ut cures, eaque nihil quæ ad te attinent?

*Ibidem.*
Dii veſtram fidem, itan' comparatam eſſe hominum naturam omnium,
Aliena melius ut videant, & judicent, quàm ſua?

*Idem in Hecyra.*
Tua quod nihil refert, percunctari deſinas.

*Catullus ad Varum.*
Nimirum idem omnes fallimur, neque eſt quiſquam:
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Poſſis. ſuus cuique attributus eſt error,
Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt.

*Epictet. Altercat.*
Sani ægrotant qui aliena negotia curant.

*Juvenalis Satyra* 2.
Loripidem rectus derideat, Æthiopem albus.

*Auſonius in Pittaci ſent.*
Ignoſcas aliis multum nil tibi.

*Feliciter ſapit qui alieno periculo ſapit.*

*Plautus.*
Feliciter ſapit is, qui alieno periculo ſapit.
Felix quem cautum faciunt aliena pericla &
Ne ſtulte ſapiat facta aliena monent.

*Terentius in Heaut.*
Ex aliis periculum facito, tibi quot ex uſu ſiet.

*Tibullus lib.* 3. *Eleg.* 7.
Vos ego nunc moneo felix quicunque dolore.
Alterius, diſces poſſe carere tuo.

*Aliena qui affectat ſua amittit.*
*Ex Claud*
Qui nova prædari cupit hic ſua parta reponit.

## DE AMBITIONE.

*Ambitio avaritiæ nutrix est, quæ potentum vestibulis excubat.*

*Claudianus lib. 2. in Stiliconis laud.*

Trudis avaritiam, cujus fœdissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis, foribusque potentum
Excubat, & pretiis commercia poscit honorum
Pulsa simul.

*Ambitio inexplebilis est.*

*Juvenal 4.*

Nihil est quod credere de se
Non possit, cum laudatur diis æqua potestas.

*Virtute ambire hominis est, non autem fautoribus: nam sat fautorum habet qui bene operatur.*

*Plautus in Amphit.*

Virtute ambire oportet non fautoribus.
Sat habet fautorum semper, qui rectè facit.

*Claudianus de IV. cons. Honorii.*

Emitur sola virtute potestas.

*Ambitio ad aulam, non regis amor multos convocat.*

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Pauci reges non regna colunt,
Plures fulgor convocat aulæ.
Cupit hic Regi proximus ipsi,
Clarusq; latas ire per urbes.
Urit miserum gloria pectus.

*Ambitiosorum admonitio lepidissima, ut à regnandi cupiditate abstineant.*

*Virgil.* 1. Georg.

Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido.

---

## DE AMBIGUITATE.

*Ambiguitatis imitatio.*

*Virgil. 4 Æenid.*

Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat affatu? & quæ prima exordia sumat?

*Idem 8. Æneid.*

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.

*Idem*

*Idem Æneid. 9.*

Aut pugnam, aut aliquid jamdudũ invadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.

*Ovid Epist. 16. Heroid.*

Et libet & timeo, nec adhuc exacta voluntas
Est satis: in dubio pectora nostra labant.

*Idem 3. de Ponto.*

Quo pede nunc utar? dubia est sententia nobis.

*Idem 4. de Ponto.*

Nec quid agam invenio, nec quid nolimve velimve:
Nec satis utilitas est mea nota mihi.
Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit,
Et sensus cum re, consiliumque fugit.

*Terentius in Phormione.*

Incertum est quid agam, quia præter spem atque incredibile hoc mihi obtigit.

Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere.

---

## DE AMICITIA.

*Amicitia magis nil dedit natura, nec rarius.*

*Manilius lib 2. Astronomicôn.*

Idcirco nihil ex semet natura creavit
Pectore amicitiæ majus, nec rarius unquam.
Unus erat Pylades, unus qui mallet Orestes
Ipse mori. lis una fuit, pericula mortis.
Alter quòd raperet, fatum non cederet alter,
Et duo qui potuere sequi vadimonia sponsi.
Optavitq; reum sponsor non posse reverti,
Sponsoremq; reus timuit, ne solveret ipsum.

*Amicitia inter pares contrahenda est.*

*Ovid lib. 3 de Tristib.*

Vive sine invidia, mollesque in glorius annos
Exige, amicitias & tibi junge pares.

*Avien Fab. 11.*

Pauperior caveat sese sociare potenti;
Namq; fides illi cum parili melior.

*Amicitiæ veræ ambiendæ exemplum*

*Ovidius ad Pisonem.*

—Dignare tuos aperire penates,
Hoc solum petimus: nec enim me divitis auri

Imperiosa fames, & habendi sæva libido
Impulerant, sed laudis amor, juvat optime tecum
Degere.

*Amicitiæ commendatio.*
*Ovid. lib. 3. de Ponto.*

Fabula narrata est postquam vulgaris ab illo,
Laudarunt omnes facta, piamq; fidem.
Scilicet hic etiam, quæ nulla ferocior ora est,
Nomen amicitiæ barbara corda movet.

*Amicitiæ maximæ exemplum.*
*Ovid. 3. de Ponto.*

Ire jubet Pylades charum periturus Orestem:
Hic negat, inque vicem pugnat uterque mori.
Extitit hoc unum quod non convenerit illis;
Cætera pars concors, & sine lite fuit.

*Idem 5. de Tristibus.*

Nunquid Achilleos inter fera prælia fidi
Deseruit levitas Automedontis equos:

*Amicitia potentum inexperto dulcis apparet, quæ tamen mœroris plena est ideo vitanda.*
*Ovid. lib. 3. de Tristibus.*

Usibus edocto si quicquam credis amico,
Vive tibi, & longè nomina magna fuge.

*Et infra.*

Non foret Eumenides orbus, si filius ejus
Stultus Achilleos non adamasset equos.
Nec natum in flamma vidisset, in arbore natas,
Cepisse genitor si Phaethonta Merops.

*Horat. lib. 1. Epist.*

Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuet, tu, dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retorsum te ferat aura.

*Amicitia in censu sita est.*
*Ovidius ad Pisonem.*

Sed lateri nullus comitem circumdare quærit,
Quem dat purus amor, sed quem tulit impia merces.
Nec quisquam vero pretium largitur amico,
Quem regat ex equo, vicibusq; regatur ab illo.

Amicitiæ

*Amicitiæ victæ intimatio seu reprehensio acerrima.*

*Ovid. lib. 1. de Tristib.*

Illud amicitiæ sanctum & venerabile nomen
Nunc tibi pro vili, sub pedibusq; jacet.

*Catullus ad Alphenum.*

Alphene immemor, atque unanimis false sodalibi
Jam nil te miseret dure tui dulcis amiculi:
Jam me prodere. jam non dubitas fallere perfide:
Nec facta impia fallatiū hominum cælicolis placent:
Quæ tu negligis, ac me miserum deseris in malis,
Eheu quid faciant dico homines, cuive habeant fidem?
Certè tute jubebas animam tradere, iniquè me,
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia factaque
Ventos irrita ferre & nebulus aereas sinis
Si tu oblitus es, ac dii meminerunt, meminit fides,
Quæ, te ut pœniteat postmodo facti faciet tui.

*Amicitiæ nunquam moriture exemplum.*

*Paulinus ad Auso.*

Hoc nostra è cervice jugum non sæva resolvit
Fabula non terris absentia longè diremit,
Nec perimet, toto licet abstrahar orbe vel ævo.
Non animo divisus agam, prius ipsa recedet
Corpore vita meo quam vester pectore vultus.
Ego te per omne quod datum mortalibus
Et destinatum seculum est,
Claudente donec continebor corpore,
Discernor orbe quolibet,
Nec corde longum, nec remotum lumine
Tenebo fibris insitum;
Videbo corde, mente complectar pia
Ubique præsentem mihi.
Et quum solutus corporali carcere,
Terraque provolavero,
Quo me locarit axe communis pater,
Illic quoque te animo geram.

*Ad perseverantiam in amicitia exhortatio dignissima.*

*Ovid. 2. de Ponto.*

Fac modò permaneas lapso, Græcine, fidelis,
Duret & in longas impetus iste moras.

Idem.

*Idem 1 de Tristib.*

Quæ potes excusa, nec amici desere causam,
Quo pede cœpisti, sic bene semper eas.

*Valerius Flaccus lib. 4 Argonaut*

———Tu semper amoris
Sis memor, & chari comitis ne abscedat imago.

*Idem lib. 7.*

Sis memor oro mei, contra memor ipsa manebo,
Crede, tui.

*Amicitiæ veræ bono qui gaudet, ut in eo assidue gaudeat exhortatio perpulcra.*

*Plautus in Mostellaria.*

Bene igitur ratio accepti atque expensi inter nos convenit,
Tu me amas, ego te amo, merito id fieri uterque existimat.
Hæc qui gaudent, gaudeāt perpetuo suo semper bono.

*Amicus fidelis amico operam dare nunquam occupatus est,*

*Plautus in Mercatore.*

Quanquam negotium est, si quid vis, Demipho
Non sum occupatus unquam amico operam dare.

*Amicus fidelis est qui ancipiti in re, & ubi opus est auxiliatur.*

*Plautus in Epidico.*

Is amicus est qui in re dubia te juvat
Ubi re est opus.
Nihil homini amico'st opportuno amicius.

*Falsus est amicus quem opes peperere,*

*Owen,*

Quem tibi divitiæ peperere est falsus amicus,
Argentum non te diligit ille tuum.

*Falsa amicitia inter pocula contracta.*

*Matial. l. 9. Ep.*

Hunc quem cæna tibi, quem mensa paravit amicum
Esse putas fidæ pectus amicitiæ:
Aprum amat & mullos & sumen & ostrea, non te
Tam bene si cænem, noster amicus erit.

*Amici cum fortuna mutantur.*

*Petronius Arbiter in Fragmen.*

Quum Fortuna manet, vultum servatis amici,
Quum cecidit, turpi vertitis ora fuga.

*Amico bene siquis fecerit, ne pigeat: sed si è contra.*

*Plautus in Trinummo.*

Benè si amico feceris ne pigeat fecisse,
Ut potius pudeat, si non feceris.

*Graphica descriptio ingenii, comitatisque hominis inferioris erga amicum genere & fortuna superiorem:*

*Ex Q. Ennii Annalium lib. 7 sub Historia Gemini Servilii.*

Hocce locutus vocat, quicum bene sæpe libenter
Mensam sermonesq; suos, rerumq; suarum
Comiter impertit, magna quum lapsa diei
Parte fuisse: de parvis sumisq; gerendis
Consilio indufero, lata sanctoq; senatu,
Cui res audacter magnus, parvasq; jocumq;
Eloquerer, quæ tincta mali, & quæ bona dictu
Evomeret, si quid vellet totoque locaret,
Quocum multa volupe, ac gaudia clamq; palamq;
Ingenium cui nulla malum sententia suadet,
Ut facinus faceret: levis haud malus, idem
Doctus, fidelis, suavis homo, facundus, suoque
Contentus, scitus atque beatus, secunda loquens in
Tempore, commodus & verborum vir paucorum,
Multa tenens antiqua, sepulta, & sæpe vetustas
Quæ facit, & mores veteresque novosque tenentem,
Multorum veterum leges, divumque hominumq;.
Prudentem, qui multa loquive, tacereve posset.
Hunc interpugnas compellat Servilius sic.

*Amicum in necessitate positum deserere turpe est.*

*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

Turpe erit in miseris veteri tibi rebus amico.
  Auxilium nulla parte tulisse tuum.
Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci:
  Turpe laborantem deseruisse ratem:
Turpe sequi casum, & fortunæ accedere amicum,
  Et, nisi sit felix, esse negare suum.
Non ita vixerunt Strophio atque Agamemnone nati,
  Non hæc Ægidæ, Pyrithoique fides:

Quos

Quos prior est mirata, sequens mirabitur ætas:
In quorum plausus tota theatra sonant.

*Amicum deserere probum virum pudet, nec decet.*

*Plautus in Trinummo.*

Desere illum & dejuvare in rebus adversus pudet.

*Lucanus lib. 8. bel. civi.*

Adversis non deesse decet, sed lætas secutos.
Nulla fides unquam miseros elegit amicos.

*Amici pecantes reprebendendi sunt.*

*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

Corripis, ut debes, stulti peccata sodalis,
Et mala me meritis ferre minora doles:
Vera facis, sed sera meæ convicia culpæ,
Aspera confesso verba remitte reo.

*Amicum & propinquum peccantem, non reprehendere, facinus est immane.*

*Plautus in Trinummo.*

Næ amicum castigare ob meritam malam noxiam
Immane est facinus, verùm in ætate utile, & conducibile.
Nam ego amicum hodie meum concastigabo pro commerita noxia
Invitus, ni me id invitet, ut faciam fides.

*Ausonius in Solonis S. nten.*

Clàm coarguas propinquum palàm laudaveris.

*Amicum qui non defendit alio culpante, ille fugiendus est.*

*Horat. satyr. 4. lib. 1.*

—Absentem qui rodit amicum.
Qui non defendit alio culpante, &c.
—Hic niger est: hunc tu Romane caveto.

*Amici bona quæque largiuntur, at ingenio cedere qui velint, ravi sunt.*

*Martial 8. Epigram.*

Aurum & opes, & rura frequens, donabit amicus:
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

*Amici fideles certi atque stabiles rari sunt.*

*Plautus in Bacchid.*

Multi more isto, atque exemplo vivunt, quos cum censeas

Tibi amicos, reperiuntur falsi falsimoniis,
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.

*Idem in Pseudulo.*

Pauci ex multis sunt amici homini, qui certi sient.

*Amicorum absentia amanti dura.*

Terentius in *Heauton.*

Nam dum abs te absum, omnes mihi labores fuere, quos cêpi, leves,
Præterquàm tui carendum quòd erat.

*Amicorum beneficia in eorum adversitate maximè rememoranda atque reddenda sunt.*

*Plaut. in Cap.*

*PH.* Ut adhuc locorum feci, faciam sedulo,
Ut potissimum in rem quod rectè conducat tuam,
Id petam, id persequarq; corde, & animo, atq; virib:

*Et infrà.*

Si ego item memorem, quæ me erga multa fecisti bene
Nox diem adimat.
AGE. Nunc adest occasio
Benefacta cumulare, ut erga hanc rem geras fideliter.

*Silius Italic. lib. 7. Punic.*

—Quæ tanta oblivio recti,
Magnum, atque in magnis rebus populisq; virisque
Adversam ostentare fidem: Nunc tempus in ire
Prælia pro Rutulis, nunc signa aciemque movere.
Dum trepidæ res & medicinam vulnerea poscunt.
Is locus officio, quum cessant prospera, quumque
Dura ad opem fortuna vocat: Nam læta fovere
Haud quaqam magni est animi decus.

*Verba sunt Decii Capuani de fidelitate Romanis post Cannensem cladem servanda. Amicorum communia sunt omnia.*

*Terent. in* Adelph.

——Nam vetus verbum hoc quidem est:
Communia esse amicorum inter se omnia.

*Amicorum confortatio, est dolorum alleviatio, atque diminutio*

*Ovid. 1. de Ponto.*

Reddita confusæ nuper solatia menti
Auxilium nostris spemq; tulere malis:

Utque Machaoniis Pæantius artibus heros,
Lenito medicam vulnere sensit opem:
Sic ego mente jacens & acerbo saucius ictu,
Admonitu cœpi fortior esse tuo.
Et jam deficiens sic ad tua verba revixi,
Ut solet infuso vena redire mero.

*Stat. Theb. 9.*

Alterni præbent solatia luctus.

*Amicorum incommoda æquo animo toleranda sunt: hoc enim est amicitiæ insolubile vinculum.*

*Horat. Satyr. 3. Lib. 1.*

At pater ut gnati, sic nos debemus amici,
Si quod sit vitium non fastidire, &c.
Hæc res & jungit, junctos & servat amicos.

*Amicorum visio amanti non parvum gaudium adfert.*

*Terentius in Eunucho.*

O festus dies hominis, amice:
Salve, nemo est, quem ego magis nunc cuperem videre quam te.

*Amicos consulere debemus in re ambigua.*

*Plautus in Menæchmis.*

Ibo, & consulam hanc rem amicos, quid faciendum censeant.

*Cat. lib. 4.*

Auxilium à notis petito si forte laboras;
Nec quisquam melior medicus quàm fidus amicus.

---

## DE AMORE.

*Amor Deus est, seu puer alatus, ut à multis fingitur.*

*Seneca in Hippolyto.*

Deum esse amorem, turpitor vitio favens
Finxit libido: quoque liberior foret,
Titulum furori numinis falsi addidit:
Natum per omnes, scilicet, terras vagum
Erycina mittit. Ille per cælum volans.
Proterva tenera tela molitur manu
Regnumque tantum minimus in superos habet.

Vana

Vana ista demens animus ascivit sibi,
Venerisque numen finxit, atque arcus Dei.

*Idem in Octavia.*

Volucrem esse amorem fingit immittem Deum.
Mortalis error, armat & telis manus,
Arcusque sacros instruit sæva face:
Genitumque credit Venere, Vulcano satum.

*Amor à forma incensus durabilis non est.*

*Victor.*

Si forma placet venientibus annis
Cædet amor sola est senium quæ nescit honestas

*Amor mentis vis est maxima, atque blandus animi calor.*

*Seneca in Octavia.*

Vis magna mentis, blandus atque animi calor.
Amor est, juventæ gignitur luxu, otio
Nutritur inter læta fortunæ bona.

*Propertius lib. 2 eleg.*

Quicunq; ille fuit puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit sine sensu vivere amentes,
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas.
Fecit & humano corde volare Deum:
Scilicet alterna quoniam jactamur in unda:
Nostraq; non ullis permanet aura locis,
Et merito humatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero gnosia utroque jacet,
Ante fecit quouiam tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.

*Amor cæcus dicitur, eo quod cæcos amantes reddit.*

*Ovid Epist. 1. Heroid.*

—Quid deceat non videt ullus amans:

*Seneca in Hippolyto.*

—Quæ memoras scio
Vera esse nutrix, sed furor cogit sequi
Peiora vadit animus in præceps sciens,
Remeatque supra sana consilia appetens:
Sic quum gravatam navita adversa ratem:
Propellit unda, cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado,

Quod ratio poſcit, vincit, ac regnat furor,
Potenſque tota mente dominatur Deus.

*Idem in Medea.*

Cæcus eſt ignis ſtimulatus ira,
Nec regi curat patiturve frenos.
Haud timet mortem, cupit ire in ipſos
Obvius enſes.

*Plautus in Trinummo.*

Scio te ſponte non tuapte erraſſe, ſed amorem tibi
Pectus obſcuraſſe.

*Ovven.*

Ebrietas & amor ſimiles, extinguit uterq;
Corporis, ebrietas lumina, mentis amor.

*Propert. lib. 2 Eleg.*

Ante pedes cæcis lucebat ſemita nobis :
Scilicet inſano nemo in amore videt.

*Idem eodem ad Demophoontem.*

Quæris Demophoon, cur ſim tam mollis in omnes?
Quod quæris quare non habet ullus amor.

*Amor ſtabilis ſede in aliqua non eſt, ſed ubique errat*

*Ovid. 3. de Arte amandi.*

Errat, & in multa ſede moratur amor.

*Ovven.*

Uſque fluit fugitivus amor refluitq; viciſſim
Ut mare, quid mirum; nam Venus orta mari.
Nulla fides veneri, levis eſt interq; planetas
Ponitur, haud inter ſydera fixa Venus.

*Amans immoderate famam propriam parvi facit : ideo talis amor ſurdus dicitur.*

*Prop. lib. 2 eleg. ad Cynthiam.*

Ah pudeat, certe pudeat, niſi fortè quod aiunt
Turpis amor ſurdis auribus eſſe ſolet.

*Amor carnalis divitiis alitur.*

*Ovid. 2. de Remedio amoris.*

Cur nemo eſt Hecaten, nulla eſt quæ ceperit Irum?
Nempe, quod alter egens, altera pauper erat.

*Amor carnalis otio nutritur, ac luxu juventæ gignitur.*

*Ovid. de Remed. amor. lib. 1.*

Ergo ubi viſus eris noſtra medicabilis arte,
Fac monitis fugias otia prima meis.

Hæc

Hæc ut ames faciunt: hæc ut fecere, tuentur:
Hæc ſunt jucundi cauſſa cibuſq; mali.
Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptæq; jacent & ſine luce faces.

*Owen. Mon. 95.*

Qui vult virgineum cælebs ſervare pudorem
Otia devitet, fœmineoſq; choros.
Sæpe pudicitiam mulier formoſa propinqua
Eripuit caſtis, multaq; damna debit.

*Ovid. lib. 1. Eleg.*

Et invacuo pectore regnat amor.

*Sencea in Octavia.*

Amor eſt. Juventæ gignitur luxu, otio
Nutritur inter læta fortunæ bona.
Quem ſi fovere, aut alere deſiſtas; cadit,
Breviq; vires perdit extinctus ſuas.

*Amoris artes quæ ſint, & qualem hominem potiſſimum poſtulet.*

*Plautus in Trinummo.*

Amoris artes eloquar, quem admodum expediant, nunquam
Amor quemquam niſi cupidum hominem poſtulat, ſed in plagas
Conjicere eos cupit, eos confectatur, ſubdole blanditur, abs re
Conſulit, blandiloquentulus, harpago, mendax, cupes avarus,
Elegans, diſpoliator, latebricolarum hominum corruptor.
Blandus, inops, celati indagator. nam quam ad quod clamat,
Quàm extemplo ſaviis ſagittatis percuſſus eſt, illico res foras
Labitur, liquitur, da mihi hoc vel meum, ſi me amas, ſi audis.
Ibe ille cucullus: ocelle mi, fiat & iſtuc, & ſi amplius vis dari, (non ſat.
Dabitur ibi illa pendenrem ferit. jam amplius orat,
Id eſt mali, ni amplius etiam, quod bibit, quod come eſt,
Quod facit ſumpti, nox datur: ducitur familia tota,

Veſtiſpicii,

Vestispicii, unctor, auri custos, flabelliferæ, sandaligerulæ,
Cantrices, cistellatrices, nuncii, renuntii, raptores panis & peni
Fit ipse, dum illis comis est, inops amator.

*Amator credulus si ve suspiciosus est.*
*Ovid. Epist. 6. Hypsipyle Jaso.*

Credula res amor est, utinam temeraria dicar,
Criminibus falsis insimulasse virum.

*Amatoris manum celerem esse oportet.*
*Plautus in Bacchid.*

Celerem oportet esse amatoris manum.

*Amasiæ visio amanti ebibit sanguinem.*
*Plautus in Curculione.*

Sussilite obsecro, & mittite istanc foras,
Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem.

*Amans carnaliter amasiam fugiat.*
*Ovid 1. de remedio amoris.*

Tu tantum, quamvis firmis retinebere vinclis,
I procul, & longas carpere perge vias:
Nec quot transieris, sed quot tibi, quære supersunt
Millia, nec maneas ut prope, finge moras.
Tempora nec numera, nec crebro respice Romam:
Sed fuge, tutus adhuc Parthus ab hoste fuga est.

*Idem lib. de Remed. amoris.*

Manat amor tectus si non ab amante recedas,
Turbaque in hoc omnes ingeniosa sumus.
Proximus à tectis ignis defenditur ægrè:
Utile finitimis abstinuisse locis.
Non facilè esuriens posita retinebere mensa:
Et multam saliens incitat unda sitim.

*Amor carnalis fugiendo vincitur, contrà virò augetur.*
*Ovid. 10. Metamorph.*

Ire libet procul hinc, patriæq; relinquere fines,
Dum scelus effugiam: retinet malus ardor amantem.

*Idem lib. 2. de Remed. amoris.*

Ut penè extinctum cinerem, si sulphure tangas
Vivet, & ex minimo maximus ignis erit:
Sic nisi vitaris quicquid revocabit amorem,
Flamma redardescet, quæ modò nulla fuit.

Amor-

*Amor carnalis visione causatur:*
*Manil. lib. 1.*
Consensus hebes quia visus ademptus.
*Virgil. Elog. 8.*
Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.
*Ovid. Epistola 12. Heroid.*
Tunc ego te vidi, tunc cœpi scire quis esse:
Illa fuit mentis prima ruina meæ.
Et vidi & perii, nec notis ignibus arsi,
Ardet ut ad magnos pinea teda deos.
*Plautus in Mercatore.*
Ego illic, aspicio forma eximia mulierem,
Quam ego postquam aspexi, non ita amo, ut sani solent
Homines, sed eodem pacto, ut in sani solent.
*Amor carnalis evanescit citissimè tempore absentiâque.*
*Ovid. 2. de Arte amandi.*
Lentescunt tempore curæ,
Vanescitq; absens & novus intrat amor.
*Claudianus in Epist. ad Olibrium.*
—Spatio debilitatur amor.
*Amor carnalis labore sedatur.*
*Ovid. lib. 1 de Remedio amoris.*
—Finem qui quæris amoris,
Cedit amor rebus, res age, tutus eris;
Quæritur Ægisthus quare sit factus adulter,
In promptu causa est, desidiosus erat.
*Amor carnalis timoris res est plena.*
*Ovid. Epist. 1 Heroid.*
Quando ergo non timui graviora pericula veris
Res est solliciti plena timoris amor.
*Amor carnalis mala innumera secum adfert, nec non miserum amantem reddit.*
*Plautus in Mercatore.*
Nam amorem hæc cuncta vitia sectari solent:
Cura, ægritudo, nimiaq; elegantia.
Hoc non illum modo, qui amat, sed quemque attigit
Magno atque solido mulctat infortunio.
Nec pol profectò quisquam sine grandi malo.
Præter quam res patitur studet elegantiæ.

Sed amori accedunt eam ultra hæc quæ diximus
Insomnia, ærumna, error & terror,& fuga,
Ineptia,stultitiaq; adeo & temeritas,
Incogitantia,excors immodestia,
Petulantia, cupiditas,& malevolentia,
Inhæret etiam aviditas,desidia,injuria,
Inopia,contumelio, & dispendium.

*Idem in Trinummo.*

Nam qui in amore præcipitavit, pejus perit, quam si saxo saliat.

*Terentius in Eunucho.*

Here, quæ res in se neque consilium, neq; modum
Habet ullum,eam consilio regere non potes.
In amore hæc omnia in sunt vitia:injuriæ,
Suspiciones,inimicitiæ,induciæ,
Bellum,pax rursum:in certa hæc si tu postules
Ratione certa facere:nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.

*Tibullus eleg. ult. lib. 2.*

Acer amor fractas utinam tua tela sagittas
Scilicet extinctus aspiciamq; faces.
Tu miserum torques,tu me mihi dira precari
Cogis,& insana mente nefanda loqui.

*Vergil.Eclog.8.*

Sævus amor ducit natorum sanguine matrem
Commaculare manus. *Ut de medea legitur. Sic & Scilla Nisi regis filia amoris impatiens, patrem interemit. de quo Ovid. lib. 7. Metamorph. ad longum.*

*Amor carnalis ab animo illico resecandus est, & ad hoc exhortatio utilis.*

*Ovid. 1. de remedio amoris.*

Utile propositum est sævas extingere flammas,
Nec servum vitiis pectus habere suum.
Me duce damnosas homines compescite curas:
Rectaq; cum sociis me duce navis eat.

*Ibidem.*

Dum licet,& modici tangunt præcordia motus
Si piget,in primo limine siste pedem.
Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina morbi,

Et

Et tuus incipiens ire resistat equus:
Nam mora dat vires,&c.

*Ibidem.*

Quale sit id quod amas celeri circumspice mente:
Et tua læsuro subtrahe colla jugo.

*Ibidem.*

Verba dat omnis amans, reperitq; alimenta morando,
Optima vindictæ proxima quæque dies.

*Ibidem.*

Sed quia delectat Veneris decerpere flores:
Dicimus assiduè,cras quoque fiet idem.
Interea tacitæ serpunt in viscera flammæ,
Et mala radices altius arbor agit.

*Idem Epistola,16. Heroid.*

Dum novus est,cœpto potius pugnemus amori:
Flamma recens parva sparsa recedit aqua.

*Seneca in Hippolyto.*

Compesce amoris impii flammas precor.

*Plautus in trinummo.*

——Mille modis amor
Ignorandu'st: procul adhibendus est, atque abstinendum:
Nam qui in amore præcipitavit, pejus perit, quam
si saxo saliat:

*Terentius in Andria.*

Ah quanto satius est,te id dare operam, qui istum amorem ex animo dimoveas tuo,
Quàm id loqui, quo magis libido frustra incendatur
tua?

*Propertius lib.2.Eleg.*

Dum licet,injusto subtrahe colla jugo.

*Amor amantem maxime cruciat.*

*Virgil Ecloga 2.*

Me tamen urit amor. Quis enim modus adsit amori?

*Idem 4. Æneid.*

At regina gravi jamdudum saucia cura,
Vulnus alit venis,& cæco carpitur igni.

*Ibidem.*

——Est mollis flamma medullas
Interea, & tacitum vivit,sub pectore vulnus.
Uritur infœlix Dido totaq; vagatur

Urbe furens : qualis conjecta cerva ſagitta,
Quam procul incautum nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis, liquitq; volatile ferrum
Neſcius, illa fuga ſylvas ſaltuſq; peragrat
Dictæos, hæret lateri lethalis arundo.

*Ovid 1 Metamorph.*

Utque leves ſtipulæ demptis adolentur ariſtis
Ut facibus ſepes ardent, quas fortè viator
Vel nimis admovit, vel jam ſub luce reliquit :
Sic Deus in flammas abiit, ſic pectore toto
Uritur, & ſterilem ſperando nutrit amorem.

*Idem lib. 3. Metamorph.*

Sed tamen hæret amor, creſcitq; dolore repulſæ,
Et tenuant vigiles corpus miſerabile curæ,
Adducitq; cutem macies:

*Idem lib. 10. Metamorph.*

Noctis erat medium, curaſq; & corpora ſomnus
Solverat, at virgo Cinyreia pervigil igne
Carpitur indomito, furioſaq; vota retractat :
Et modò deſperat, modò vult tentare, pudetque,
Et cupit, & quid agat non invenit, utq; ſecuri
Saucia trabs ingens, ubi plaga noviſſima reſtat,
Quo cadat in dubio eſt, omniq; à parte timetur ;
Sic animus vario labefactus vulnere nutat
Huc levis, atque illuc, momentaq; ſumit utroque.

*Idem 2. de remedio amoris.*

Artibus innumeris mens oppugnatur amantum,
Ut lapis æquoreis undique pulſus aquis.

*Idem Epiſtola 11 Heroid.*

Fugerat ore color, macieſq; adduxerat artus,
Sumebant minimos ora coacta cibos.
Nec ſomni faciles, & nox erat annua nobis,
Et gemitum nullo læſo dolore dabam.

*Idem Epiſtola 13. Heroid.*

Sive latet Phœbus, ſeu terris altius exstat,
Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis.

*Ovid. 2. de arte amandi.*

Quod juvat exiguum eſt, plus eſt quod lædit amantes.
Proponant animo multo ferenda ſuo.
Quod lepores in Atho, quot apes paſcuntur in Hybla.

Cærule

Cærula quot baccas Palladis arbor habet,
Littora quot conchæ, tot ſunt in amore dolores:
Quæ patimur, multo ſpicula felle madent.

*Seneca in Hippolyto.*

Torretur æſtu tacito, & incluſus quoque,
Quamvis tegatur, proditur vultu furor:
Erumpit oculis ignis, & laſſæ genæ,
Lucem recuſant, nil idem dubiæ placet,
Artuſq; varie jactat incertus dolor.
Nunc ut ſoluto labitur moriens gradu,
Et vix labente ſuſtinet colla caput:
Nunc ſe quieti reddit, & ſomni immemor
Noctem querelis ducit: attolli jubet,
Iterumq; poni corpus, & ſolvi comas:
Rurſuſq; fingi, ſemper impatiens ſui,
Mutatur habitus, nulla jam Cereris ſubit
Cura, aut ſalutis: vadit incerto pede,
Jam veribus defœta: non idem vigor,
Non ora tingens nitida Purpurius rubor.
Populatur artus cura: jam greſſus tremunt,
Tenerq; nitidi corporis cecidit decor.
Et qui tenebant ſigna Phœbeæ facis,
Oculi, nil gentile, nec patrium micant.
Lacrymæ cadunt per ora, & aſſiduo genæ
Rure ligantur, qualiter tauri jugis
Tepido madeſcunt imbre profuſe nives.

*Idem in eadem tragœdia.*

Pectus inſanum vapor
Amorq; terret, intima ſævus vorat
Penitus medullas, atque per venas meat
Viſceribus ignis merſus, & venis latens
Ut agilis altas flamma percurrit trabes.

*Plautus in Milite.*

Sum ne ego miſer, qui nuſquam bene queo quieſcere?
Si domi ſum, foris eſt animus: ſin foris ſum, animus domi eſt:
Ita mihi in pectore atque in corde facit amor incendium:

*Propert. lib. 3. eleg. ad Cynthiam.*

Non tot Achæmeniis armantur ſuſa ſagittis
Spicula, quot noſtro pectore fixit amor.

*Ovid lib. 6. Metamorph.*

Concipit interea validos Aetias ignes,
Et luctata diu, postquam ratione furorem
Vincere non poterat, frustra Medea repugnans:
Nescio quis Deus obstat, ait, miriſq; quid hoc eſt,
Aut aliquid certe ſimile huic, quod amare vocatur.

*Amanti ob amati abſentiam candida nigra, dulcia amara, &c. videntur.*

*Titus Calphurnius Eclog. 3.*

Te ſine vel miſero mihi lilia nigra videntur,
Nec ſapiunt fontes, & aceſcunt vina bibenti.
At ſi tu venias, & candida lilia fient,
Et ſapient fontes & dulcia vina bibentur.

*Olympius Nemeſianus Eclog 2.*

Heu heu nulla meæ tangit te cura ſalutis.
Pallidior buxo, violæq; ſimillimus atræ,
Omnes ecce cibos. & noſtri pocula Bacchi
Horreo, nec placido memini concedere ſomno.
Te ſine, væ miſero mihi, lilia nigra videntur,
Pallenteſq; roſæ, nec dulce rubens hyacinthus,
Nullos nec myrtus, nec laurus ſpirat odores:
At ſi tu venias & candida lilia fient,
Purpureæq; roſæ: tum dulce rubens hyacinthus,
Tunc mihi cum myrto laurus ſpirabit odores.

*Amans, ſcilicet terrena, miſer eſt atque inſtabilis.*

*Plautus in Perſa.*

Miſer eſt qui amat.

*Propert ad Cynthiam lib. 2. eleg.*

Non ita Carpathiæ variant aquilonibus undæ,
Nec dubio nubes vertitur atra noto,
Quam facile irati verbo mutantur amantes.

*Ibidem eleg. 18.*

Durius in terris nihil eſt quod vivat amante,
Nec modo ſi ſapias quod minus eſſe velis.

*Amator & re animo perit.*

*Plautus in Truculento.*

Bis perit amator Ab re, atque animo ſimul.

*Amor & melle & felle fœcundiſſimus eſt.*

*Plautus in Ciſtellaria.*

Amor & melle felle eſt fœcundiſſimus: guſtu dat dulce,

Amarum ad satietatem usque aggerit.

*Plaut.*

Fel quod amarum est,
Amor mel faciet.

*Amor vulnus immedicabile.*

*Ovid.lib.1. Metamorph.*

Certa quidem nostra est,nostra tamen una sagitta
Certior,in vacuo quæ vulnera pectore fecit.
Inventum medicina meum est, opiferq; per orbem
Dicor,& herbarum subjecta potentia nobis,
Hei mihi quod nullis amor est sanabilis herbis,
Nec prosunt domino,quæ prosunt omnibus artes.

*Idem Epistola 5.*

Me miseram quod amor non est medicabilis herbis,
Destituor prudens artis ab arte mea.

*Propert.lib.2. eleg. ad Mæcenatem.*

Omnes humanos sanat medicina dolores:
Solus amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetæ sanavit crura Machaon,
Phœnicis Chiron lumina Phillyrides,
Et Deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona facis:
Mysus & Hæmonia juvenis,qua cuspide vulnus
Senserat,hac ipsa cuspide sensit opem,
Hoc si quis vitium potuit mihi demere solus
Tantalea poterit tradere poma manu.
Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,
Ne tenera assidua colla graventur aqua.
Idem caucasea solvet de rupe Promethei
Brachia,& à medio pectore pellet avem.

*Amor immoderata res est.*

*Vergil.Eclog.2.*

Me tamen urit amor. Quis enim modus adsit amori?

*Ovid. 4 de Ponto.*

Verum quid faciam ?res immoderata cupido est?
Da veniam vitio mitis amice meo.

*Propert. lib.2.eleg*

Errat qui finem vesani quærit amoris:
Verus amor nullum novit habere modum,

*Amor laborem non sentit*

*Seneca in Hippolyto.*

Non me per alias ire si jubeas nives,
Pigeat gelatis ingredi Pindi jugis,
Non si per ignes, ire, & infesta agmina,
Cuncter paratis ensibus pectus dare.

*Plautus in Mercatore.*

Neque ullam mihi obstabit amnis, neque mons, neque
adeo mare:
Nec calorem, nec frigus metuo: neq; ventum, neque
grandinem:
Imbrem perpetiar, laborem sufferam, solem, sitim:
Non concedam: neque conquiescam usquam noctu
neque diu,
Prius profectò, quàm aut amicam, aut mortem inve-
stigavero.

*Amor militiæ species est.*

*Ovid. 2. de Arte amandi.*

Militiæ species amor est, discedite segnes:
Nec sunt hæc timidis signa tuenda viris.
Nox & hyems, longæque viæ, sævique labores
Mollibus his castris, & dolor omnis inest.
Sæpe feres imbrem cælesti nube solutum,
Frigidus in uda sæpe jacebis humo.

*Idem lib. 1. eleg.*

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido,
Attice, crede mihi, militat omnis amans.
Quis nisi vel miles, vel amans & frigora noctis,
Et denso mistas perferet imbre nives?

*Amor audacem fortemve amantem reddit.*

*Ovid. lib. 4. Metamorph.*

Callida per tenebras versato cardine Thysbe
Egreditur, fallitque suos, adopertaque vultum
Pervenit ad tumulum, dictaque sub arbore sedit.
Audacem faciebat amor.

*Idem lib. 6. Metamorph:*

Et nihil est quod non effræno captus amore
Ausit.

*Idem 13. Epistola Heroid.*

Fortius ille potest multo qui pugnat amore.

*Amor inertes odit.*

*Ovid. 2. de Arte amandi.*

——Amor odit inertes.

*Amor metu caret.*

*Seneca in Medeca.*

Amor timere neminem verus potest.

*Statius ad Claudiam uxorem.*

Isset ad Iliacas (quid enim deterret amantes?)
Penelope gavisa domos si passus Ulysses.

*Amor adeo mutat amantes, ut vix cognoscantur.*

*Terentius in Eunucho.*

Dii boni quid hoc morbi est? Adeon' homines immutarier
Ex amore, ut non cognoscas eundem esse:

*Amor celari non potest.*

*Ovid 4. Metamorph.*

Ex æquo captis ardebant mentibus ambo:
Conscius omnis abest, nutu, signisq; loquuntur,
Quoque magis tegitur, tectus magis æstuat ignis.

*Idem Epistola 12. Heroid.*

Perfide sensisti. Quis enim bene celat amorem?
Eminet indicio prodita flamma suo.

*Idem 15 Epist. Heroid.*

Sed malè dissimulo. Quis enim celaverit ignem?
Lumine qui semper proditur ipse suo?

*Idem eadem Epistola.*

Qua licet & possum, luctor celare furorem,
Sed tamen apparet dissimulatus amor.

*Statius lib. 1. Achilleid.*

Nec latet haustus amor, sed fax vibrata medullis
In vultus atque ora redit, lucemque genarum
Tingit, & impulsam tenui sudore pererrat.

*Amor mulierum immoderatus bellorum sæpe causa extitit.*

*Vergil. de Venere & Vino.*

Bellum sæpe petit ferus exitiale Cupido.

*Ovid. 2. lib. eleg.*

——Nisi rapta fuisset
Tyndaris, Europæ pax, Asiæ q; foret.
Fœmina sylvestres Lapithas, populumq; biformem
Turpiter apposito vertit in arma mero.
Fœmina Trojanos iterum nova bella movere
Impulit in regno juste Latine tuo.
Fœmina Romanis iterum nunc urbe recenti
Immisit soceros, armaq; sæva dedit.

*Amor obstinatis fræna imposuit sæpe, atque odium in intimum amorem vertit.*

*Seneca in Hippolyto.*

Nihil immune est odiumq; perit,
Quum jussit amor, veteres cedunt
Ignibus iræ.

*Idem eadem Tragœd.*

Sæpe obstinatis induit frænos amor,
Et odia mutat.

*Amor novercas etiam vincit.*

*Idem eadem Tragœd.*

——Quid plura canam?
Vincit sævas cura novercas.

*Amor vincit omnia nullisque parcit.*

*Vergil. Ecloga 10.*

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

*Idem ad Messallam.*

Omnia vincit amor. Quid enim non vinceret ille?

*Ovid. 1. Metamorph.*

Filius huic Veneris figat tuus omnia Phœbe,
Te meus arcus, ait: quantoq; animalia cedunt
Cuncta Deo, tanto minor est tua gloria nostra.

*Ovid Epist. 3. Heroid.*

Quicquid amor jussit, non est contemnere tutum:
Regnat, & in superos jus habet ille Deos.

*Idem. Epist. 9. Heroid.*

Quem non mille feræ quem non Steneleius hostis,
Non potuit juno vincere, vincit amor.

*Propert. 27.*

——Diducere amanter
Non queat invitos Juppiter ipse duos.

*Seneca in Hippolyto.*

Iste lascivus puer aere nitens,
Telo quàm certo jaculator arcu:
Labitur totas furor in medullas,
Igne furtivo populante venas.
Non habet latam dato plaga frontem.
Sed vorat tectas penitus medullas.
Nulla pax isti puero, per orbem
Spargit effusas agilis sagittas.

*Propert. lib. 1. eleg ad æmulum suum Gallum.*

Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti.
Nescit amor priscis cedere imaginibus.

*Idem lib. 2. eleg. ad Cynthiam.*

Quò fugis? ah demens, nulla est fuga, tu licet usque
Ad Thanaim fugias, usque sequetur amor.
Non si Pegasei verteris in aere dorso,
Nec tibi si Persei moverit ala pedes,
Vel si te sectæ rapiant telaribus auræ,
Nil tibi Mercuri proderit alta via.
Instat semper amor supra caput, instat amanti,
Et gravis ipse super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos, & tollere nunquam
Te patietur humo lumina capta semel.

*Amoris finis mors tantùm.*

Nec modus & requies: nisi mors reperitur amoris.

*Propert. lib. 2. e. 1.*

Laus in amore mori.

*Amor verus post mortem durat.*

*Lucan. lib. 4.*

Nostros non rumpit funus amores.

*Propert. 2. 14.*

Fas est præteritos semper amare viros.

*Amorem inveteratum deponere facile non est.*

*Seneca in Hippolyto.*

Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Serò recusat ferre quod subiit jugum.

*Amans vitiose, si ab illo liberari cupit, sepe propria recogitet mala, mulierumque scelera.*

*Ovid. lib. 1 de Remed. amoris:*

Tu modo, qui quod amas ægrè dediscis amare,
Nec potes, & velles posse, docendus eris.
Sæpe refer tecum sceleratæ facta puellæ,
Et pone ante oculos omnia damna tuos.

*Terentius in Eunuch.*

Id verò est, quod mihi puto palmarium,
Me reperisse, quo modo adolescentulus
Meretricum ingenia & mores posset noscere
Maturè, ut quum cognorit, perpetuò oderit.
Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius,

Nec magis compositum quicquam nec magis elegans
Quæ cum amatore suo quum cœnant, liguriunt :
Harum videre ingluviem, sordes, inopiam,
Quàm inhonestæ solæ sint domi, atque avidæ cibi,
Quo pecto ex jure hesterno panem atrum vorent :
Nosse omnia hæc salus est adolescentulis,

*Amantium imagines, projiciendæ sunt.*
*Ovid. lib. 2 de Remed. amoris.*

Si potes, & ceras remove, quid imagine muta
Carperis? hoc periit Laodameia modo.

*Amantium scripta igni tradenda sunt.*
*Ibidem.*

Scripta cave relegas, blandæ servata puellæ :
Constantes animos scripta relecta movent.
Omnia pone feros, quam vis invitus, in ignes :
Et dic, ardoris sit rogus iste mei.

*Amor gravitásque morum haud bene conveniunt.*
*Ovid. lib. 3. Metamorph.*

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur
Majestas & amor.

*Amantibus lex dari non potest.*
*Boetius metro 12 lib. 3.*

Quis legem dat amantibus?
Major lex amor est sibi.

*Amoris immensi expressio lepidissima.*
*Vergil. Ecloga 1.*

Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,
Et freta destituent nudos in littore pisces,
Ante pererratis amborum finibus exul,
Aut ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quàm nostro illius labatur pectore vultus.

*Idem in Mæcenatis obitum,*

Et decet, & certè vivam tibi semper amicus,
Nec tibi qui moritur desinit esse tuus.
Ipse ego quicquid ero, cineres interq; favillas,
Tuncquoque non potero non memor esse sui.

*Idem ad Battarum:*

Dulcia amara prius fient, & mollia dura :
Candida nigra oculi cernent, & dextera læva :

Migrabunt

Migrabunt caſus aliena in corpora rerum;
Quam tua de noſtris emigret cura medullis.

*Olympius Nemeſianus Eclega 2.*

Nam dum Pallas amat turgenteis ſanguine baccas,
Dum Bacchus vites Deus, & ſata prima Priapus,
Paſcua læta Pales: Idas te diliget unam.

*Ovid. Epiſt. 17. Hercid.*

Rupe ſedens aliqua ſpecto tua littora triſtis:
Et quo non poſſum corpore, mente feror.

*Idem lib. 2 de Ponto.*

Ante meos oculos præſtò eſt tua ſemper imago.
Et videor vultus mente videre tuos.
Denique tantus amor nobis chariſſime ſemper,
Quantus in Æacidem, Actoridemq; fuit.
Non ego ſi biberes ſecuræ pocula lethes.
Excidere hæc credam pectore poſſe tuo.
Longa dies citior brumali tempore, noxq;
Tardior hyberna ſolſtitialis erit.
Nec Babylon æſtus, nec frigora Pontus habebit,
Calthaq; Pæſtanas vincet odore roſas.
Quàm tibi noſtrarum veniant obliviar erum.

*Idem eodem lib. ad Rufum.*

Ut quanquam longè toto ſimus orbe remoti,
Scire tamen poſſis nos meminiſſe tui.
Nominis ante mei venient oblivia nobis.
Pectore quàm Pietas ſit tua pulſa meo.
Et prius hanc animam vacuas reddemus in auro
Quàm fiat meriti gratia vana tui.

*Idem lib 4. de Ponto.*

Da mihi (ſi quid ea eſt) habetantem pectora lethen.
Oblitus potero non tamen eſſe tui.

*Claud. in Epiſt. ad Olibrium.*

Excidimuſne tibi? lucem jam condet Hydaſpes.
Et tarteſiaco ſol oriâre vado.
Candeſcat Geticis meroe converſa pruinis,
Claraq; ſe vetito proluat urſa mari.

*Plautus in Trinummo.*

Omnibus amicis, quod mihi eſt, cupio eſſe idem.

*Terentius in Hecyra.*

Verùm te hoc moneo unum, qualis ſim amicus.
Aut quid poſſim, potius quàm inimicus periculum
facias.

*Lucretius 1. de nat. rerum.*

Sed tua me virtus tamen, & spectata voluntas
Suavis amicitiæ, quemvis perferre laborem
Suadet, & inducit noctes vigilare serenas.

*Amor verus adversis rebus crescit.*

*Ovid. 4. de Ponto.*

Nam quum præstiteris verum mihi semper amorem,
Hic tamen adverso tempore crevit amor.

*Amor suavia, jucundave omnia reddit: ubi vero abest, è contra.*

*Plautus in Cassina.*

Nam ubi amor condimentum inerit, cuivis placiturum credo.
Neque falsum prorsus, neque suave esse potest quicquam, ubi amor
Non admiscetur, fel, quod est amarum, id mel faciet,
Hominem ex tristi lepidum & lenem,

*Amor conjugii sacramentum caste nectit.*

*Boëtius Metro 8. lib. 2.*

Hic & conjugii sacrum
Castis nectit amoribus.

*Verus conjugalis amor in quo consistat.*

*Ovid. lib 5. Trist.*

Esse bonam facile est, ubi quod vetat esse, remotum est,
Et nihil officii nupta quod obstet habet.
Quum Deus intonuit, non se sub ducere nimbo,
Id demum est pietas, id socialis amor.

*Amor conjugalis vis.*

*Martialis lib. 1. epig. de Portia.*

Conjugis audisset fatum quum Portia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor:
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?
Credideram satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes avido bibit ore favillas,
I nunc, & ferrum turba molesta nega,

*Statius lib. 3. Sylvarum.*

Isset ad Illiacas (quid enim deterret amantes?)
Penelope gavisa domos, si passus Ulysses.

*Idem initio 5. libri.*

Laudentur proavis seu pulchro munere forma,
Quæ morum caruere bonis falsoq; potentes

Laudis

Laudis egent veræ,tibi quamquam & origo niteret,
Et felix species,multumque optanda maritis;
Ex te major honos unum novisse cubile,
Unum secretis agitare sub ossibus ignem.
Illum nec Phrygius vitiasset raptor amorem,
Dulichiive proci,nec qui fraternus adulter
Casta Mycenæo connubia polluit auro.
Si Babylonis opes,Lydæ si pondera gazæ.
Indorumq; dares,Serumque Arabumque potentes
Divitias:mallet cum paupertate pudica
Intemerata mori, vitamque impendere famæ,
Nec frons triste rigens,nimiusque in morib.horror,
Sed simplex,hilari,que fides,& mixta pudori
Gratia:quid si anceps metus ad majora vocasset
Illa vel armiferas pro conjuge læta catervas,
Fulmineosq; ignes,mediiq; pericula ponti
Exciperet melius quod non adversa probarunt

*Amans licit as. perseverare debet,moraliter.*
*Ovid. 1.de Remed. Amoris.*

Si quis amat quod amare juvat feliciter ardet.
Gaudeat & vento naviget ille suo.

*Amantes carnaliter advertunt ea quæ non creduntur.*
*Terentius in Heauton.*

Novi ego amantium animum, advertunt graviter quæ non censeas.

*Amantes carnaliter ætate, satietatéve suas deserunt amasias.*
*Plautus in Mostel.*

——Stulta es tu planè,
Quæ illum tibi æternum putas fore amieum, & benevolentem.
Moneo ego,te deseret ille ætate,& satietate..

*Paulò post.*

Si dictis nequis perduci,ut vera hæc credas
Mea dicta,ex factis noscerem. vides quæ sim, & quæ fui ante;
Nihilò ego minus, quàm nunc tu amata sum, atq; uni modò gessi morem.
Qui pol me, ubi ætate hoc caput colorem commutavit,
Reliquit deservitq; me: tibi idem futuro credo.

*Idem in Epidico.*

Illam amabam olim, nunc jam alia cura impendet pectori.

*Amantium iræ amoris redintegratio est*

*Plautus in Amphitruone.*

Nam in hominum ætate multa eveniunt hujusmodi,
Capiunt voluptates mox rursum miserias:
Iræ interveniunt, redeunt rursum in gratiam.
Verum ira, si qua fortè eveniunt hujusmodi
Inter eos, rursum si reventum in gratiam est,
Bis tanto amici sunt inter se quàm prius.

*Terentius in Andria.*

Amantium iræ amoris redintegratio est.

*Ovid. lib. 2. de Art. amandi.*

Quæ modò pugnarunt jungunt sua rostra columbæ,
Quarum blanditias verbaq; murmur habet.

*Horat. Satyr. 3. lib. 2.*

In amore hæc sunt mala, bellum.
Pax rursum.

*Owen.*

Bellum, pax rursum, vitia hæc in amoribus insunt
Se comitantur enim semper Eris & eros.

*Amor creaturis naturaliter omnibus inest ad finem boni, nec aliter durare possint.*

*Boetius Metro 6. lib. 4.*

Hic est cunctis communis amor,
Repetuntq; boni fine teneri.
Qui non aliter dare queant,
Nisi converso rursus amore.
Refluant causæ, quæ dedit esse.

*Amor cælicolarum, id est sanctorum immensus est.*

*Plautus in Persa.*

SAGARIST. Et ne tu huic amicus? DORT.
Tanquam dii omnes, qui cœlum colunt.

*Amor auro non virtute conciliatur. s. sæpissime.*

*Ovid. lib. 2. de Art. amandi.*

Aurea nunc vere sunt secula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor,
Ipse licet venias musis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

*Amor hospitibus certus stabilisq; non est.*
*Ovid. Epist. 16. Heroid.*

Certus in hospitibus non est amor : errat ut ipsi ;
Quumq; nihil spores firmius esse, fugit.
Hypsipile testis testis Minoia virgo,
In non exhibitis utraq; juncta thoris.
Omnia Medæa fallax promisit Jason ;
Pulsa est Æsonia non minus illa domo.

*Amans properat quæq; agit, & male.*
*Plautus in Pœnulo.*

Ita me dii ament, tardo amico nihil est quicquam iniquius,
Præsertim homini amanti, qui, quicquid agit, properat omnia.

*Olympius Nemesianus Eclog. 4.*

Quisquis amat, pueros, ferro præcordia duret,
Nil properet, discatq; diu patienter amare,
Prudentesq; animos teneris non spernat in annis,
Perferat & fastus ; sic olim gaudia sumet,
Si modo sollicitos aliquis Deus audit amantes.

*Amanti longa videntur omnia.*
*Ovid Epist. 18. Heroid.*

Longa mora, est nobis omnis, quæ gaudia differt.
Da veniam fassæ, non patienter amo.

*Horat. lib. 1. Epist. ad Mæce.*

Ut nox longa quibus mentitur amica diesq;
Longa videtur opus debentibus, ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum.

*Amare oportet omnes, qui quod dent habent, vulgare dictum.*
*Plautus in Truculento.*

——Amare oportet
Omnes qui quod dent habent. Nam mihi hæc meretrix
Quæ hic habet Phronesium suum nomen, omnem.
Ex pectore movit meo Phronesim. Nam φρόνησις est sapientia.

*Amare recusat unusquisq; quæ habere minime sperat.*
*Ovid. Epist. 16. Heroid.*

Ferrea, crede mihi, non sum sed amare recuso
Illum, quem fieri vix puto posse meum.

*Amari cupidus alios amet.*

*Ovid. 2. de arte amandi.*

Sit procul omne nefas: ut ameris, amabilis esto.

*Matial. 16. Epigram.*

Ut præstem Pyladem aliquis mihi præstet Orestem.
Hoc non fit verbis, Marce: ut ameris ama.

*Amari potius, quam timeri eligere debet quilibet.*

*Plautus in Asinaria.*

Nolo ego metui, amari mavolo.

*Amat seipsum unusquisq; super omnia.*

*Terentius in Andria.*

Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet,
Omnes sibi melius esse malle, quam alteri.

*Idem in Adelphis.*

Quenquam ne hominem in animo instituere, aut
Parare quod sit charius, quam ipse est sibi?

*Ovid. lib 3. de arte amandi.*

Non avis aucupibus monstrat qua parte petatur,
Non docet infestos currere cerva canes.

*Amor bonus leges servat.*

*Statius 1. Sylvarum.*

Discite secur', quorum de pectore mixtæ
In longum coire faces, sanctusq; pudica.
Servat amicitiæ leges amor.

*Amor patriæ dulcis, immensusq; est.*

*Ovid. 1 de Ponto.*

Rursus amor patriæ ratione valentior omni,
Quod tua fecerunt scripta retexit opus.

*Ibidem.*

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.
Quid melius Roma? Sythico quid frigore pejus?
Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.
Quum bene sint clausæ cavea Pandione natæ,
Nititur in sylvas quæq; redire suas.

*Amor carnalis fumus est ad auras evolans.*

*Owen.*

Est amor in nobis in lignis ut latat ignis
Ignis uti lignum, nos levis urit amor.
Ligna sed in cineres vanescunt ignis in auras
Nos cinis & noster quid nisi fumus amor?

## DE ANIMA.

*Anima desuper datur, s. à Deo.*

*Juvenal.* Satyr. 15.

Sensum à cœlesti demissum traximus arce,
Cujus egent prona, & terram spectantia mundi.
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoq; mutuus ut nos
Affectus petere auxilium & præstare juberet:
Dispersos trahere in populum, migrare vetusto
De nemore, & proavis habitatas linquere sylvas,
Ædificare domos, laribus conjungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino limine somnos,
Ut collata daret fiducia: protegere armis
Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere civem
Communi dare signa tuba, defendier iisdem
Turribus, atque una portarum clave teneri.

*Boëtius metro 6. lib.* 3.

Hic clausit membris animos
Celsa sede petitos,
Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.

*Idem Metro 9. lib.* 3.

Tu causis animas paribus vitasq; minores
Provehis & levibus sublimes curribus aptas
In cœlum, terramq; seris, quas lege benigna
Ad te conversas reduci facis igne reverti.

*Silius Italic. lib.* 15 *bel. Pun.*

Postquam conticuit finisq; est addita dictis:
Tunc virtus Quasnam juvenem florentibus inquit
Pellicis in fraudes annis, vitæq; tenebras?
Cui ratio & magnæ cœlestia semina mentes
Munere sunt concessa Deum mortalibus alti
Quantum cœlicolæ, tantundem animalibus isti
Præcellunt cunctis, tribuit namq; ipsa minores,
Hos terris natura deos

*Valerius Flaccus lib.* 3. *Argonaut.*

Dicam ait, ac penitus caussas labemq; docebo
Mopsus ad astra tuens, Nam si mortalia membra
Sortitusq; breves, & parti tempora fati.

Perpe-

Perpetimur, socius superi quondam ignus Olympi,
Fas ideo miscere neces, ferroq; morantes
Exigere hinc animas, reddituraq; semina cœlo.

*Manilius lib. 4. Astronomic.*

Jam nusquam natura latet, pervidimus omnem,
Et capto petimur mundo, nostrumq; parentem
Pars sua conspicuus, genitiq; accedimus astris.
An dubium est habitare Deum sub pectore nostro?
In cœlumq; redire animas, cœloq; venire?
Utq; si ex omni constructus corpore mundus
Ætheris atque ignis summi, terræq; marisq;
Spiritum, & in toto rapidum qui jussa gubernat
Sic esse in nobis terrenæ corpora sortis
Sanguineas animas animi, qui cuncta gubernat
Dispensatq; hominem, quid mirum noscere mundum?
Si possunt homines, quibus est & mundus in ipsis.
Exemplumq; Dei quisq; est, & in imagine parva?
An quoquam genitos, nisi cœlo credere fas est
Esse homines?

*Virgil 6. Æneid.*

Igneus est ollis vigor & cœlestis origo.

*Paulinus ad Auso*

Mens quippe lapsis quæ superstes artibus
De stirpe durat cæliti.
Sensus necesse simul, & affectus suos
Teneat æqua, & vitam suam.

*Anima creatur denuo juxta corporis exigentiam & ambo simul crescunt, atq; deficiunt, ut Epicurei tenent.*

*Lucret. 3 de rerum natura.*

Præterea gigni pariter cum corpore, & una
Crescere sentimus, pariterq; senescere mentem,
Eam velut infirmo pueri, teneroq; vagantur
Corpore: sic animi sequitur sententia tempus,
Inde ubi robustis adolevit viribus ætas,
Consilium quoq; majus, & auctior est animi vis.
Post ubi jam validis quassatum'st viribus ævi
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus ævi
Claudicat ingenium, delirat linguaq; mensq;
Omnia deficiunt, atq; uno tempore desunt.
Quapropter fateare necesse est; quæ fuit ante
Interiisse, & quæ nunc est nunc esse creatam.

Horum

*Horum opinio in hoc vera est quum dicunt, quod rationalis anima creatur. Supra: anima desuper datur. Sed quod cum tempore crescat, deficiatq; hoc falsum est, ut infra liquet.*

*Anima immortalis est, non autem brutorum, ut quidem ponunt, sed rationalis tantum.*

*Propert. lib. 4. Eleg.*

Sunt aliquid manes, læthum non omnia finit:
Luridaq; evictos effugit umbra rogos.

*Claud. de 4. Honorii Consulatu.*

Disce orbis, quod quisq; sibi quum conderet artus
Nostros æthereis miscens terrena Prometheus
Synceram patri mentem furatus Olympo
Continuit claustris, indignantemq; revinxit.
Et quum non aliter possent mortalia fingi,
Adjunxit geminas: illæ cum corpore lapsæ
Intereunt, hæc sola manet, bustoq; superstes
Evolat. hanc alta capitis fundavit in arce
Mandatricem operum prospecturamq; labori,
Illas inferius collo, præceptaq; summæ
Passuras domina digna statione locavit.

*Anima mortalis est, secundum Epicureorum insulsam opinionem.*

*Seneca in Troad.*

Hæc omnes petimus fata, nec amplius
Juratos superis qui tetigit lacus,
Usquam est. Ut calidis furnus ab ignibus,
Vanescit per spatium breve sordidus:
Ut nubes gravidas, quas modo vidimus,
Arctoi borea dissipat impetus:
Sic hic, quo regimur, spiritus effluet.
Post mortem nihil est, ipsaq; mors nihil,
Velocis spacii meta novissima,
Spem ponant avidi solliciti metum.
Quæris quo jaceas post obitum loco?
Quo non nata jacent;
Tempus nos avidum devorat, & chaos,
Mors individua est noxia corpori,
Nec parcens animæ.

Lucret.

*Lucret. lib. 1 de natura rerum.*

Ennius æternis exponit versibus edens,
Quod neq; permaneant animæ, neq; corpora nostra.

*Anima agilis est & invisibilis.*

*Virgilius Ecloga 1.*

O Melibœe Deus nobis hæc otia fecit.

*Idem 6 Æn. Æneæ verba ad patrem.*

——— Da jungere dextras,
Da genitor, teq; amplexu ne subtrahe nostro.
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat,
Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucriq; simillima somno.

*Ovid. lib. 8 Metamorph.*

Inq; leves abiit paulatim spiritus auras.

*Silius Italic. lib. 13. bel. Pun.*

His alacer colla amplexus materna petebat,
Umbraq; ter frustra per inane petita fefellit.

*Anima Dei in contemplatione sita torvos intuetur tyrannos à vera patria exules.*

*Boëtius metro* 1. lib. 4.

Quod si terrarum placeat tibi
Noctem relictam visere,
Quos misere torvos populi timent
Cernes tyrannos exules.

*Anima à terrenis sublevata, obscuras ruinas vitat deumq; finem ac principium suum esse cognoscit*

*Boetius metro* 10. *lib.* 3.

Hoc quicquid placet excitatq; mentes
Infimis tellus aluit cavernis.
Splendor, quo regitur, vigetq; cœlum,
Vitat obscuras animæ ruinas.

*Idem metro* 1. *lib.* 4.

Huc si reducem referat via,
Quam nunc requiris immemor,
Hic dices, memini, patria est mihi,
Hinc ortus, hic sistam gradum.

*Animæ*

*Animæ corporibus unitæ in obscuro carcere, nec non multis passionibus deditæ dicuntur esse.*

*Virgil 6. Æneid.*

Igneus est illis vigor, & cœlestis origo
Seminibus: quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq; hebetant artus, moribundaq; membra.
Hinc metuunt, cupiuntq; dolent gaudentq; nec auras
Respiciunt clausæ tenebris, & carcere cœco.

*Animæ bonæ, seu purgatæ, ad loca ducuntur amœnissima, id est, ad cœlum, moraliter.*

*Virgil. 6. Æneid.*

Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas:
Dextera quæ Ditis magni sub mœnia tendit,
Hac iter Elysiam nobis: At læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

*Ibidem*

—Exinde per amplum
Mittitur Elysium, & pauci læta arva tenemus.

*Lucanus lib. 13. bel. civil.*

Sedibus Elysiis, campoq; expulsa piorum,
Ad Stygias inquit tenebras, manesq; nocentes
Post bellum civile trahor.

*Lucretius 2 de natura rerum.*

—Et quod missum'st ex ætheris oris,
Id rursum cœli stellantia templa receptant.

*Martialis 12. Epigram.*

Accipient olim quum te loca læta piorum,
Non erit in Stygia notior umbra domo.

*Silius Italic. lib. 2. bel. Pun.*

At vos sydereæ quas nulla æquaverit ætas,
Ite decus terrarum animæ, venerabile vulgus
Elysium, & castas sedes decorate piorum.

*Idem lib. 10. bel. Pun.*

Hæc Libys atque repens crepitantibus undique flammis
Æthereas anima exultans evasit in auras.

*Idem 11 bel. pun.*

Tum seducta loco, & laxata lucide nocte
Claustra nitent, quæ secreti per limitis umbram
Elysios ducant campos, hic turba piorum

Nec

Nec stygio in regno, cœli nec posita sub axe,
Verùm ultra Oceanum.

*Idem 15 lib.*

——At queis servatus seminis ortus
Cœli porta patet.

*Statius lib. 10. Thebaid.*

————Dant clara meanti
Astra locum.

*Idem lib. 5 Sylvarum.*

Parce precor lacrymis, sævo nec concute planctu
Pectora, nec crucia fugientem conjugis umbram
Sic ego nec furias, nec deteriora videbo
Tartara, & Elysias fœlix admittar ad oras.

*Manilius lib. 2. Astronomic.*

Nostra loquar, nulli vatum debebimus orsa,
Nec furtum, sed opus veniet, soloq; volamus
In cœlum curru, propria rate pellimus undas.

*Animæ hominum post mortem in brutorum corpora ingrediuntur, secundum Pythagoricorum opinionem, quæ falsa est.*

*Ovid. lib. 15. Metamorph.*

Morte carent animæ, semperq; priore relicta
Sede, novis domibus vivunt habitantq; receptæ.
Ipse ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram.

*Ibidem.*

————Inque ferinas
Possumus ire domos, pecudumq; in corpora condi,
Corpora quæ possunt animas habuisse parentum,
Aut fratrum, aut aliquo junctorum fœdere nobis,
Aut hominum certe.

*Tibullus 4. Eleg. lib.*

Quinetiam mea tunc tumulus quum texerit ossa,
Seu natura dies fato properat mihi mortem,
Longa manet seu vita, tamen mutata figura
Seu me fingit equum rigidos percurrere campos
Doctum, seu tardi pecoris sim gloria taurus:
Sive ego per liquidum volucris vehar aera pennis:
Quemcunque hominem me longa receperit ætas,
Incœptis de te sub texam carmina chartis.

*Claudianus 1. de raptu Proserpinæ.*

Quos ubi per varios annos, per mille figuras,
Egit lethæo purgatos flumine, tandem
Rursus ad humanæ revocat primordia vitæ.

*Anima paulatim vires exerit.*

*Lucret. lib. 3.*

——Cum corpore mentem
Crescere sentimus pariterq; senescere.

---

## DE ANIMO.

*Animi cupiditates qui subegit rationi, is latius regnat, quam si totum mundum suo subjiceret imperio.*

*Horat. Ode 2. lib. 2.*

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quàm si Lybiam remotis
Gadibus jungas, & uterq; Pœnus,
————Serviat uni.

*Animum vincens in juventute, innumera reportabit bona. Si vero superatus fuerit tunc è contra erit.*

*Plautus in trinummo.*

Qui homo cum animo inde ab ineunte ætate depugnat suo.
Utrum id itane esse mavelit, ut eum animus æquum censeat,
An ita potius, ut parentes eum esse, & cognati velint?
Si animus hominem perpulit, actum est; si animo servivit, non sibi.
Si ipse animum perpulit dum vivit, victor victorem cluet,
Tu si animum vicisti potius, quam animus te, est quod gaudeas.

*Animus æger, seu malo depravatus appetitu falsa pro veris videt.*

*Seneca in Oedipo.*

An æger animus falsa pro veris videt?

*Horatius Satyr. 2. lib. 2.*

Quæ virtus, & quanta, boni, sit vivere parvo,

Rusticus anormis, sapiens crassaq; Minerva,
Discite, non iter lances, mensasq; nitentes
Quum stupet insanis acies fulgoribus & quum
Acclinis fallis animus meliora recusat:
Verùm hic impransi mecum disquirite.

*Animi corporisq; ægritud. intimatio perpulchra*
*Ovid lib. 2. de Ponto.*

Vivimus ut numquam sensu careamus amaro,
Et gravior longa sit mea pœna mora.
Sic inconsumptum Titii, semperq; renascens
Non perit, ut possit sæpe perire, jecur.
Sive dies igitur caput hoc miserabile cernit,
Sive pruinosæ noctis aguntur equis
Sic mea perpetuis liquescunt pectora curis,
Ignibus admotis ut nova cera solet.

*Ibidem ad Rufinum.*

Nec tamen exhibuit tanta facundia vires,
Ut mea sint dictis pectora sana tuis.
Ut multum demas nostro de pectore curæ,
Non minus exhausto, quod superabit erit.

*Idem lib. 3 de Tristib.*

Nec cœlum nec aquæ faciunt, nec terra, nec aura,
Hei mihi perpetuus copora languor habet.
Seu vitiant artus ægræ contagia mentes,
Sive mei caussa est in regione mali.
Ut tetigi Pontum, vexant insomnia vixque
Ossa tegit macies, nec juvat ora cibus,
Quique per autumnum pertusis frigore primo
Est color in foliis, quæ nova læsit hyems:
Is mea membra tenet, nec viribus allevor ullis,
Et nunquam queruli causa doloris abest.
Nec melius valeo quam corpore, mente, sed ægra est
Utraq; pars æquè, binaq; damna fero.

*Idem 4. Tristium.*

Nam neque sunt vires, nec qui color esse solebat:
Vix habeo tenuem, quæ tegat ossa, cutem.
Corpore sed mens est ægro magis ægra, malisque
In circumspectu stat sine fine sui.

*Animus corpusve cæli temperie juvatur.*
*Ovidius 2 de Ponto.*

Tempesie cœli corpusq; animusq; juvatur.

*Animus corporales roborat vires, & omnia vincit.*

*Idem ibidem.*

Omnia deficiunt, animus tamen omnia vincit:
Ille etiam vires corpus habere facit.

*Exiguo corpori major interdum animus inest.*

*Sil. lib. 6.*

Vivulus exiguis membris vigor.

*Stat. lib. 1.*

——— Totusq; infusa per artus
Major in exiguo regnabat corpore virtus.

*Animus æquus ærumnæ condimentum est.*

*Plautus in Rudente.*

Animus æquus optimum est ærumnæ condimentum.

*Idem in Captivis.*

In re mala animo si bono utare, adjuvat.

*Idem in Pseudulo.*

Bonus animus in re mala, dimidium est mali.

*Animus impatiens verba monentis respuit: necnon odio habet.*

*Ovid lib. 1 de Remed. amor.*

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Respuit, atque odio verba monentis habet.

*Animus ambiguus ad utramque partem facillimè vertitur.*

*Terentius in Andria.*

Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur.

*Animus metu, cupiditatéve pressus bonum sibi oblatum corrumpit, suisque haud frui valet bonis*

*Horat. 2. Epist. Lib. 1.*

Qui cupit, aut metuit, juvat illum sic domus & res
Ut lippum pictæ tabulæ, fomenta podagram,
Auriculas citharæ collecta sorde dolentes.

*Animi anxietas homini haud parum nocet.*

*Ovid lib. 2 de Ponto.*

Jam mihi deterior canis aspergitur ætas,
Jamq; meos vultus ruga senilis arat.
Jam vigor & quasso languent in corpore vires,
Nec juveni lusus qui placuere, juvant.

Nec

Nec me, si subito videas, agnoscere possis:
Ætatis facta est tanta ruina meæ.
Confiteor facere hoc annos, sed & altera causa est.
Anxietas animi, continuusque labor,

*Idem 1 de Ponto.*

Unde locusque nocent, & caussa valentior istis
Anxietas animi, quæ mihi semper adest.

*Ovid 3 Trist. 8.*

Vitiant artus ægræ contagia mentis.

*Animi cruciatus vulnus insanabile, esse dicitur: quia difficillime sanatur.*

*Ovid. 1 de Ponto.*

Cura quoque interdum nulla est medicabilis arte:
Aut si sit, longa est attenuanda mora.

*Animi anxietas mora, nec non labore quandoque sanatur, ut jam ex Ovid ostendimus, & Seneca in Agamemnone docet his verbis.*

Proinde quicquid est, da spatium & tempus tibi.
Quod ratio nequit, sæpe sanavit mora.

*Animus patienter omnia ferat.*

*Alciat. Embl.*

Prospera non inflent animum nec aspera frangant,
Utra cadet, neutra mens generosa cadet.

*Animo imperare qui non potest, in servitute esse debet.*

*Martialis 2 Epigram.*

Reges & dominos habere debet,
Qui se non habet, atque concupiscit
Quod reges dominique concupiscunt.

*Animo optemperasse exilis est voluptas, nec non pigebit quandoque.*

*Plautus in Bacchid.*

Paulisper Lyde est libido.
Homini suo animo obsequi. Jam aderit tempus quum
se etiam
Ipse oderit.

*Animo homines obsequi decet, dummodo sit in bonum.*

*Plautus in Amphit.*

Amat, sapit, recte facit, animo quando obsequitur
suo,

Quod omnes homines facere oportet, dum id modo fiat bono.

*Animo culpa detento nihil miserius.*

*Plautus in Mustel.*

Nil est miserius, quam animus hominis conscius.

## DE ANIMALIBUS.

*Animalia naturæ instinctu quoquo modo futura præcognoscunt.*

*Manilius lib. 2. Astronomicôn.*

Deniq; sic pecudes, & muta animalia, terris
Quum maneant ignara sui, legisq; per ævum:
Natura tamen ad mundum revocante parentem,
Attollunt animos, cœlumq; ad sydera servant,
Corporaq; ad lunæ nascentis cornua lustrant,
Venturasq; vident hyemes, reditura serena.

*Horat. lib. 1. Satyr. 1.*

Parvula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit, quodcunq; potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri.
Quæ simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, & illis utitur ante
Quæsitis patiens.

*Virgil. l. 4. Georg. de Apibus sic loquens, ait.*

Præterea regem non sic Ægyptus & ingens
Lydia nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Observant: rege incolumi, mens omnibus una est:
Amisso, rupere fidem, constructaq; mella
Diripuere ipsæ & crates solvere favorum.
Ille operum custos, illum admirantur & omnes
Circumstant fremitu denso stipantque frequentes:
Et sæpe attollunt humeris, & corpora bello
Objectant, pulcramq; petunt per vulnera mortem:
His quidam signis, atque hæc exempla secuti.
Esse apibus partem divinæ mentis, & haustus
Æthereos dixere.

*Ovid. lib. 14. Metam. de Cygni natura.*

Carmina jam moriens canit exequialia Cygnus.

*Idem 7. Epist. Heroid.*

Sic ubi fata vocant, udis abjectis in herbis,

Ad vada Mæandri concinit albus olor.

*Martialis in Xeniis.*

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
　Cantator cygnus funeris ipse sui.

*Juvenal. Satyr. 12.*

—Imitatus Castora, qui se
Eunuchum ipsa facit, cupiens evadere damno
Testiculorum, adeo medicatum intelligit inguen.

*Claudian. in præfat. 3 Honorii. Aug. Consulat.*

Parvos non aquilis fas est educere fœtus,
　Ante fidem Solis, judiciumq; poli:
Nam pater excusso saliit quum germine proles,
　Ovaq; maternus rupit hiulca tepor,
Protinus implumes convertit ad æthera nodos,
　Et recto flammas imperat ore pati.
Consulit ardentes radios, & luce magistra
　Naturam, vires ingeniumq; probat.
Degener & refugo torsit qui limina visus,
　Unguibus hunc sævis ira paterna ferit.
Exploratores oculis qui pertulit ignes,
　Sustinuitq; acie nobiliore diem,
Nutritur, volucrumq; potens, & fulminis hæres,
　Gesturus summo tela trisulca Jovi.

*Animalia paucioribus indigent quàm homines,*
*Lucretius lib. 5. de nat. rerum.*

At varie crescunt pecudes, armenta, feræque:
Nec crepitacula eis opus est, nec cuiq; adhibenda'st
Almæ nutricis blanda & infracta loquela:
Nec varias quærunt vestes pro tempore cœli.
Denique non armis est opus, non mœnibus altis
Queis sua tutentur, quando omnibus omnia largè
Tellus ipsa parit, naturaq; dædala rerum.

*Animalia quæque in hostes suos insurgunt,*
*Propert. lib. 2. Eleg. ad Cynthiam.*

Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
　Verum etiam instanti læsa repugnat ovis.

*Horatius Epod. libro.*

Neque hic lupis mos, neque fuit leonibus
　Unquam, nisi in dispar feris.

*Juvenalis Satyr. 15.*

Sed jam serpentum major concordia parcit

Cognatis maculis similis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo ? quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri ?
Indica tigris agit rapida cum tigride pacem
Perpetuam sævis inter se convenit ursis.

*Propert.* 2. 5

Etiam instanti læsa repugnat ovis.

*Animalia laudum munera cuncta suo depromunt domino.*

*Ovidius in Philomela.*

Cuncta suo domino depromunt munera laudum,
Seu semper sileant, sive sonare queant

*Animalia lunæ ad motum alterantur.*

*Manilius lib 2. Astron.*

Ad Lunæ motum variant animalia corpus.

*Animalia naturaliter devitant ea, quæ semel læserunt.*

*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis æra subesse putat.
Sæpe canem visum longe fugit agna lupumq;
Credit, & ipsa suam nescia vitat opem.

*Idem lib. 1. de Tristib.*

Terretur minimo pennæ stridore columba,
Unguibus accipiter saucia facta tuis.
Non procul a stabules audet discedere, si qua
Excussa est avidi dentibus agna lupi.

*Horatius lib. 1 Epist. ad Quintium.*

Cautus enim metuit foveam lupus, accipeterq;
Suspectos laqueos & opertum milvius hamum.

*Animalia natura æquitatem colunt,*

*Stat. Theb. 2.*

...nt & rapidis jura insita monstris
...sq; suum.

---

## DE ARTE.

*Artes septem liberales.*

...am, loquitur. Dia, vera docet: Rhe, verba colorat:
..., canit: Ar, numerat: Geo, ponderat: As, docet astra.

*Artium ingenuarum vis.*

*Ovid lib. 6 Metamorph.*

——Non illa loco neque origine gentis
Clara, ſed arte fuit. *Ibidem.*
——Lydias tamen illa per urbes
Quæſierat ſtudio nomen memorabile, quamvis
Orta domo parva, parvis habitabat Hypæpis.

*Idem lib. 1 de Ponto.*

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura eſt,
Pectora molleſcunt, aſperitaſq; fugit.

*Idem 2 de Ponto.*

Artibus ingenuis, quæſita eſt gloria multis.

*Non ſolum juris ſed bonarum etiam artium ſtudiis vacandum eſt.*

*Ovid 1 de arte amandi.*

Diſce bonas artes, moneo, Romana juventus,
Non tantum trepidos ut tueare reos.

*Idem lib 2 de arte amandi.*

Nec levis ingenuas pectus coluiſſe per artes
Cura ſit, & linguas edidiciſſe duas.

*Ars naturæ defectum in multis ſupplet.*

*Ovid 1 de arte amandi*

Arte citæ, veloq; rates, remoq; reguntur,
Arte levis currus, arte regendus amor,
Sed tamen & tauri cervix oneratur aratro,
Frænaq; magnanimi dente teruntur equi.

*Ovid de Philomela.*

Pſittacus humanas depromit voce querelas,
Atque ſuo domino χαῖρε, ſonatq; vale.
Pica loquax varias modulatur gutture voces,
Scurriliter ſtrepitu quicquid & audit, ait.

*Perſius in proœmio.*

Quis expedivit pſittaco ſuum χαῖρε.
Picaſque docuit noſtra verba conari.
Magiſter artis, ingeniq; largitor,
Venter, negatas artifex ſequi voces.

*Statius lib. 1. Sylvarum.*

Pſittace dux volucrum, domini facunda voluptas
Humanæ ſolers imitator Pſittace linguæ.

*Artes ubiq; locorum homines comitantur.*

*Ovid lib. 4. Triſt.*

Sola comes noſtræ perſtitit illa fugæ.

Sola nec insidias inter, nec militis ensem
Nec mare, nec ventos, barbariemq; timet.
*Cat. lib. 4.*
Disce aliquid, nam cum subito fortuna recedit,
Ars remanet vitamq; hominis non deserit unquam.

---

## DE ASPERITATE.

*Asperitas odium bellaque causat, atque in omni re nociva est.*
*Ovid 2 de arte amandi.*

Dextera præcipue caput indulgentia mentes:
Asperitas odium sævaq; bella movet.
Odimus accipitrem quia vivit semper in armis,
Et pavidum solitos in pecus ire lupos.

---

## DE ASTUTIA.

*Astuti qui maxime videntur quandoque decipiuntur.*
*Plautus in Captivis.*

Qui cavet ne decipiatur, vix cavet quum etiam cavet.
Etiam quum cavisse ratus est, sæpe is cautor captus est.
*Terentius in Andria.*
Fallacia alia aliam trudit.
Astutum fallere difficile est.
*Seneca in* Troade.
Simulata remove, non facile est tibi
Decipere Ulyssem: id est vafrum, astutum, versipellem.

---

## DE ASSUETUDINE.

*Ab assuetis non fit passio*
*Ovid. 3 de Ponto.*

Hæc quoq; Naso feres: etenim majora tulisti:
Jam tibi sentiri sarcina nulla potest,
Ductus ab armento taurus detrectat aratra,
Subtrahit & duro colla novella jugo.
Nos quibus assuevit fatum crudeliter uti.
Ad mala jam pridem non sumus ulla rudes.

*Idem lib. 3 de Tristib.*

Quiq; fugax rerum, securaq; otia natus,
Mollis, & impatiens ante laboris eram,
Ultima nunc patior, nec me mare portubus orbum
Perdere, diversæ nec potuere viæ,
Sufecitq; malis animus. Nam corpus ab illo
Accepit vires, vixq; ferenda tulit.

*Idem lib. 5 de Tristib.*

Pone metum, valeo, corpusq; quod ante laborum
Impatiens nobis invalidumq; fuit,
Sufficit, atque ipso vexatum induruit usu.
An magis infirmo non vacat esse mihi?

*Idem lib. 2 de Arte Amandi.*

——Nil assuetudine majus.

*Idem eodem libro.*

Quod male fers, assuesce, bene multa vetustas
Lenit,

*Seneca in Thyeste.*

Jam tempus illi fecit ærumnas leves:

*Idem in Octavia.*

Parcite lacrymis, urbis festo
Lætoq; die.
——Non hoc primum
Pectora vulnus mea senserunt?
Graviora tuli.

*Valerius Flaccus lib. 5 Argonaut.*

——tamen aspera regum
Perpetimur juga, nec melior parere recuso.

*Propert. lib. 2 Eleg.*

Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
Post venit assueto mollis ad arva jugo.

*Claudianus lib. 2 in Ruffinum.*

——Jam nulli flebile damnum,
Sed cursus solennis erat, campusq; furori
Expositus, sensumq; mali detraxerat usus.

*Assueta difficulter relinquuntur.*

*Horat. Satyr. 5. lib. 12.*

Sic tibi Penelope frugi est, quæ si semel uno
De sene gustarit, tecum partita lucellum,
Ut canis à corio nunquam absterrebitur udo.

*Sozin*

Assueti sceleris vitium dediscitur ægrè.

## DE ATTENTIONE.

*Attenti auditores ut ſint exhortatio accommodata,*

*Virgil. lib. 5. Æneid.*

Accipite hæc animis, lætaſq; advertite mentes.
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.

*Idem 10. Æneid*

Accipite ergo animis, atqui hæc mea figite dicta.

*Idem 11 Æneid.*

Nunc adeò quæ ſit dubiæ ſententia menti,
Expediam, & paucis (animos adhibete) docebo.

*Idem in Ætna.*

Tu modo ſubtiles animo duce percipe curas,
Occultamq; fidem manifeſtis aſtrue rebus.
Mille ſub exiguo ponam tibi tempore veras
Res, oculiq; docent, certas res credere cogunt.

*Ovid. lib. 1. Faſtorum*

Diſce metu poſito vates operoſe dierum
Quod petis, & voces percipe mente meas.

*Plautus in Captivis.*

Nunc hoc advertite, ut ea quæ ſentio pariter ſciatis.

*Terentius in Eunucho.*

Date operam, & cum ſilentio animadvertite.

*Silius Italicus lib. 16.*

Mente favete pari, atq; aures advertite veſtras.

*Manilius lib. 3 Aſtronomicôn.*

Huc ades ô quicunq; meis advertere cœptis
Aurem oculoſq; potes, veras & percipe voces.
Non ad juratos reges, Trojamq; cadentem.
Impendas animum, nec dulcia carmina quæras
Ornari res ipſa negat contenta doceri.

*Plautus in Menæchmis.*

Salutem primum jam à principio propitiam
Mihi atq; vobis ſpectatores nuntio,
Adporto vobis Plautum lingua, non manu:
Quæſo ut benignis accipiatis auribus.
Nunc argumentum accipite, atque animum advortite,
Quàm petero in verba conferam pauciſſima.

*Attentionis maximæ intimatio perpulcra*

*Propertius lib 2 Eleg*

Nunc mihi, ſi qua tenes, ab origine dicere prima
Incipe, ſuſpenſis auribus iſta bibam.

## DE AVARITIA.

*Avaritia scelerum omnium mater est*
*Claud. 2 lib. in Stiliconis laudes.*

At primum scelerum matrem, quæ semper habendo
Plus sitiens patulis rimatur faucibus aurum,
Trudis avaritiam.

*Petronius Arbiter in Satyris.*

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terræ, qua sydus currit utrumque,
Nec satiatus erat: gravidis freta pulsa carinis
Jam peragrabantur, si quis sinus abditus ultra,
Si qua foret Tellus, quæ fulvum mitteret aurum,
Hostis erat, fatisq; in tristia bella paratis
Quærebantur opes: non vulgo nota placebant
Gaudia, non usu plebeia trita voluptas.

*Ibidem.*

Nec minor in campo furor est emptiq; Quirites
Ad prædam strepitumq; luci suffragia vertunt:
Vænalis populus, vænalis curia patrum
Est favor in pretio: senibus quoq; libera virtus
Exciderat, sparsiq; opibus conversa potestas,
Ipsaq; majestas auro corrupta jacebat.

*Lucanus lib. 3. bel. Civil.*

Usq; adeo solus ferrum, mortemq; timere
Auri nescit amor, Pereunt discrimine nullo
Amissæ leges: sed pars vilissima rerum
Certamen movistis opes.

*Ibidem lib. 7. bel Civil.*

Impulit amentes, aurique cupidine cæcos,
Ire super gladios, superq; cadavera patrum,
Et cæcos calcare duces.

*Propertius Eleg. 7. lib. 3.*

Ergo sollicitæ tu caussa pecunia vitæ es.
  Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes,
  Semina curarum de capite orta tuo.

*Idem lib. 3. Eleg. 13.*

At nunc desertis cessant sacraria lucis,
  Aurum omnes victa jam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro venalia jura.
  Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

*Tibullus*

*Tibullus* 10. *Eleg. lib.* 1.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus, ac vere ferreus ille fuit
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
Tunc brevior diræ mortis aperta via est,
At nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra
Vertimus in sævas, quod dedit ille, feras.
Divitis hoc vitium est auri: nec bulla fuerunt,
Faginus adstabat quum cyphus ante dapes,
Non arces, non vallus erat somnumq; petebat
Securus varias dux gregis inter oves.

*Avaritia homines ad omnia fere pericula atq; incommoda impellit.*

*Horat. lib.* 1, *Satyr.* 1.

——Quum te neq; fervidus æstus
Dimoveat lucro, neq; hyems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.

*Idem* 1. *lib. Epist.* 1.

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes,

*Manilius lib.* 4 *Astronom.*

Ut venaint gemmæ, totus transibitur orbis:
Nec lapidum pretio pelagus cœpisse pigebit.
Annua sollicitι consummant vota coloni,
Et quantæ mercedis erunt fallacia rura?
Quæremus lucrum navis mortemq; sequemur
In prædus, pudeat tanto bona velle caduca,

*Idem lib.* 5. *Astrono.*

———Nil est audere relictum,
Quæstus naufragio petitur, corpusq; profundo
Immissum pariter, quàm præda exquiritur ipsa:
Nam semper tanti merces est prava laboris,
Censibus æquantur conchæ, rapidumq; notari.
Vix quisquam est locuples, oneratur terra profundo.
Tali sorte suas arteis per littora tractat:
Aut emit externos pretio, mutatq; labores
Institor æquoreæ varia sub imagine mercis.

*Propertius lib.* 3. *Eleg.*

Ergo sollicitæ tu censa pecunia vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.

*Avarus assidue eget.*

*Horat lib. 1. epist. 1. ad Lollium.*

Semper avarus eget, certum voto pete finem.

*Idem Oda 16. lib. 3.*

———Multa petentibus]
Desunt multa.

*Manilius lib. 4.*

Pauperiorq; bonis quisq; est quo plura requirit.

*Ausonius in Biæ sententiis*

Quis dives? qui nil cupit. Quis pauper? Avarus.

*Claudia in Ruff. 1 lib.*

Semper inops quicunque cupit.

*Avarus hydropico assimilatur.*

*Horat. Oda 2. lib. 2.*

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

*Avarus insanissimus est, sed non cognoscitur: quia major hominum pars eodem vitio jactatur.*

*Horat. Satyra 3. lib. 2.*

Si quis emat cytharas, emptas comportet in unum,
Nec citharæ studio, nec musæ deditus ulli:
Si scalpra, & formas non sutor: nautica vela
Adversus mercaturis: delirus, & amens
Undiq; dicatur merito. Quid discrepat istis,
Qui numos, aurumq; recondit, nescius uti
Compositis, metuensq; velut contingere sacrum:
Nimirum insanus paucis videatur, eò quod
Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.

*Avarus perjurus exigua fiet re.*

*Juvenalis Satyra 14.*

Falsus erit testis, vendet perjuria summa
Exigua Cereris tangens aramq; pedemq;

*Avarus servus est.*

*Horat lib. 1. Eipst 17. ad Quintum.*

Quo melior servo, quo liberior sit avarus
In triviis fixum quum se dimittit ob assem,
Non video: nam qui cupiet; metuet quoque porro:
Qui metuens vivet, liber mihi non erit unquam.
Perdidit arma, locum vritutis deseruit, qui

Semp-

Semper in audenda festinat & obruiter re.

*Avari divitias dum modo possideant, Deum pœnamve omnem parvi faciunt.*

*Juvenalis 13 satyra.*

Est alius metuens ne crimen pœna sequatur,
Hic putat esse deos, & pejerat, atq; ita secum,
Decernit, quandocunq; volet de corpore nostro
Ipsis, & irato feriat mea lumina sistro
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, numos,

*Avari insanabiles sunt.*

*Horatius oda 24. lib. 3.*

——Scilicet improbæ
Crescunt divitiæ, tamen
Curtæ nescio quid semper abest rei

*Idem satyr. 1. lib. 1.*

At bona pars hominum decepta cupidine falso,
Nil satis est inquit.

*Hos & Tantalo comparat ibidem.*

Tantalus à labris, sitiens fugientia capta
Flumina, quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur: congestis undeque saccis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis,
Nescit quid valeat numus, quem præbeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius, adde
Queis humana sibi deleat natura negatis.

*Lucanus lib. 7 bel civil.*

Juvenore quidem spoliato plurima mundo,
Bellorum in sumptus congestæ pondera massæ.
Sed non implevit, cupientes omnia mentes,
Quicquid fodit Hiber. quicquid Tagus extulit auri,
Quodq; legit dives summis Arimaspus arenis
Ut rapiant.

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Cupit hic gazis implere famem:
Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Istri, nec tota sitim
Lydia vincit, nec quæ Zephyro
Subdita tellus stupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum:
Nec si totus serviat Hebrus,
Ruraq; dives cingat Hydaspes,

Intraq;

Intraq; suos currere fines
Spectet toto flumine Gangem,
Avidis, avidis natura parum est.

*Boetius metro 2. lib. 2.*

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus versat arenas,
Aut quos stelliferis edita noctibus
Cælo sydera fulgent,
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno copia cornu,
Humanum miseras haud ideo genus
Cessat flere querelas.
Quamvis vota libens excipiat Deus
Multi prodigus auri
Et claris avidos ornet honoribus,
Nil tam parta videntur:
Sed quæsita vorans sæva rapacitas
Alios pandit hiatus,
Quæ jam præcipitem frænam cupidinem
Certo fine retentent?
Largis quum potius muneribus fluens
Sitis ardescit habendi,
Nunquam dives agit qui trepidus gemens
Sese credit egentem.

*Idem Metro 3. lib. 3.*

Quamvis fluente dives auri gurgite
Non expleturas cogat avarus opes,
Oneretq; baccis colla rubri littoris,
Ruraq; centeno scindat opima bove,
Nec cura mordax deserit superstitem:
Defunctumq; leves non comitantur opes.

*Claudianus de inexplebili avaritia Ruffini: lib. 1 in Ruffinum sic ait*

Plenus sævitiæ, lucriq; cupidine fervens,
Non Tartesiacis illum satiaret arenis
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis
Aurea Pactoli: totumq; exhauserit Hermum,
Ardebit majore siti.

*Ibidem de eodem.*

Illecebris capitur: nimiumq; elatus avaro
Pascitur intuitu.

*Et iterum.*

Crescebat scelerata sitis: prædæque recentis
Incestus flagrabat amor, nullusque petendi
Cogendi ve pudor: crebris perjuria nectit
Blanditiis, sociat perituro fœdere dextras,
Si semel è tantis poscenti quisque negasset,
Effera prætumido quatiabat corda furore.

*Avari odiosi sunt omnibus, etiam propinquis*
*Horat. satyr 1. lib. 1.*

Non uxor salvum te vult, non filius, omnes
Vicine oderunt, noti, pueri, atque puellæ,
Miraris, quum tu argento post omnia ponas,
Si nemo præstet, quem non merearis, amorem?

*Plautus in Trinummo.*

PHILTO. De magnis divitiis si quid
Demas, plus fit, an minus; LY, Minus pater, sed civi
Immunifico scis quid cantari solet, quod habes, ne habeas.
Et illud: quod nunc non habes, habeas malum, quandoquidem
Nec tibi bene esse potes pati, nec alteri.

*Imprecatio Juvenalis satyr. 12. ut à nullo avarus ametur.*

Vivat Pacuvius quæso, vel nestora totum:
Possideat, quantum rapuit Nero: montibus aurum
Exæquet, nec amet quemquam, nec ametur ab ullo.

*Avari timent assidue.*
*Horat. satyr. 1. lib. 1.*

An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos, fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes hoc juvat: Horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

*Avaro divitiæ nihil prosunt, quum eis Uti nesciat.*
*Ovven.*

Solus habet quod avarus habet nil donat amico?
Nil nisi dat solus, non habet hoc quod habet.

*Ovid. lib. 3. de sine titulo.*

Quid mihi fortunæ tantum? quid regna sine usu?
Quid nisi possedit dives avarus opes?

Sic

Sic aret mediis taciti vulgator in undis,
Pomaque quæ nullo tempore tangat habet.

*Avarorum excusatio, seu sub specie boni deceptio, formicæ exemplo.*

*Horat. satyr. 1. lib. 1.*

Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautæque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre senes ut in otia tuta recedant
Aiunt, quum sibi sint congesta cibaria: Sicut
Parvula (nam exemplo est) magni formica laboris,
Ore trahit quodcumque potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri.
Quæ simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, & illis utitur ante
Quæsitis patiens.

*Avarorum opes luxu hæredes profundunt.*

*Claud. de bello Gild.*

——Quodcunque profunda
Traxit avaritia luxu pejore refundit.

*Epimenid.*

Quos hominis congessit opes industria avari,
Hæredis spargit prodiga dextra mali.

*Avarorum intimatio reprehensioque acerrima.*

*Horat. lib. 3. Oda. 24.*

Intactis opulentior
Thesauris Arabum, & divitis Indiæ,
Cæmentis licet occupes
Tyrrenum omne tuis & mare Ponticum:
Si figit adamantinos
Summis verticibus dira necessitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.

*Idem lib. 1. satyr. 1*

Quid juvat immensum te argenti pondus & auri
Furtim defossa timidum deponere terra?
Quod si comminuas vilem redigatur ad assem,
At ni id fit, quid habet pulcri constructus acervus
Millia frumenti tua triverit area centum,
Non tuus hoc capiet venter plus quàm meus.

*Cat. lib. 4.*

——Fuge nomen avari

Quid tibi divitiæ prosunt si pauper abundans.

*Juvenal. satyr. 12.*

Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet
Argento præferre caput, rebusque salutem?
Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed cæci vitio propter patrimonia vivunt.

*Idem satyra 14.*

Sed quo divitias hæc per tormenta coactas
Quis furor haud dubius, quum sit manifesta phrenesis,
Ut locuples moriaris, egenti vivere fato?

*Persius satyra 6.*

Vende animam lucro mercare, atq; excute solers
Omne latus mundi, ne sit præstantior alter
Cappadocas rigida pingues pavisse catasta
Rem duplica, feci jam triplex, jam mihi quarto,
Jam decies redit in rugam, jam mihi quarto,
Inventus Chrysippe tui finitor acervi.

*Martialis 8. lib. Epigr.*

Rape, congere, aufer, posside, relinquendum est.

*Avaris divitiæ nihil sunt, nisi temperato splendeant usu.*

*Horat. Oda lib. 2.*

Nullus argento color est avaris
Abdito terris inimice lamnæ
Crispe Salusti, nisi temperato
Splendeat usu.

*Owen.*

Nil numerare juvat, nil addere semper acervo,
Multiplicare nihil, divide dives eris.

---

## DE AUDACIA.

*Audaciam reprimendam esse exhortatio dignissima.*

*Statius lib. 10. Thebæ.*

Ille monet, ne fræna animo permitte calente:
Da spatium tenuemque moram mala cuncta ministrat
Impetus, hoc oro munus concede parenti.

*Idem. lib. 11. Theb.*

Adde moram sceleri, & metire quod audes.

*Ovid.*

*Ovid. lib. 11. Metamor.*

In audaces non est audacia tuta.

*Audentes Deus juvat, seu fortuna ut vulgo aiunt.*

*Vergil. 6. Æneid.*

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

*Tibullus.*

Audendum est, fortes adjuvat ipse Deus.

*Vergil. 10. Æneid.*

Audentes fortuna juvat.

*Claudianus ad Probinum.*

Fors juvat audentes, prisci sententia vatis.

*Ovid. lib. 11. Metamorph.*

Audentes Deus ipse juvat.

*Idem. 2. lib. Fastorum.*

——Audebimus ultima, dixit.
Viderit: audentes Forsq; Venusq; juvat.

*Terentius in Phormione.*

Fortes fortuna adjuvat.

*Valerius Flac. lib. 4. Argonaut.*

——Stetimus tamen, & Deus adfuit ausis,
Quin iterum idem adesit, crede, Deus.

---

## DE AUDITU.

*Auditui visus semper est præferendus.*

*Horat. in Arte Poet.*

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

*Idem.*

Nec retinent patulæ commissa fideliter aures.

*Auditum visui præferens laudandus non est.*

*Plautus in Truculento.*

Non laudandus est, qui plus credit quæ audit, quam
Quæ videt. non placet quum illi plus laudant quæ audiunt,
Quàm quæ vident. Pluris est oculatus testis unus, quàm auriti
Decem. qui audiunt audita dicunt: qui vident plane sciunt.

DE

## DE AULA.

*Aula in sublimi fraudes, & scelera maximè regnant.*

*Seneca in Hippolyto.*

Fraus sublimi regnat in aula.

*Idem in Thyeste.*

Ut nemo doceat fraudis & sceleris viam,
Regnum docebit.

*Aula exeat pius esse volens.*

*Lucan. lib. 8. bel. civil.*

——Exeat aula
Qui volet esse pius. Virtus & summa potestas
Non coeunt.

*Ouven. de Aulico lib. 1.*

Si bonus es melior non major tempore fies
Si magnus major tempore, non melior.

---

## DE AUTUMNO.

*Autumnus est morbosus.*

*Ovid lib 2. de Arte amandi:*

Sæpe seb autumno, quum formosissimus annus,
Plenaq; purpureo subrubet uva mero,
Quum modo frigoribus premimur, modo solvimur æstu,
Aere non certo corpora languor habet.

---

## DE AUXILIO.

*Auxilium ferendum est mora seclusa:*

*Ovid. lib. 4. Metamorph.*

Ad opem brevis hora ferenda est.

*Idem lib. 2. de Ponto.*

Brachia da lasso potius prendenda natanti,
Nec pigeat mento supposuisse manum.

*Auxilii divini imploratio disertissima*

*Vergil Æneid 2.*

Juppiter omnipotens precibus si flecteris ullis,
Aspice nos, hoc tantum: & si pietate meremur,
Da deinde auxilium pater, atq; hæc omnia firma.

*Auxilii imploratio lepidissima.*

*Vergil. 1. Æneid.*

Ad te confugio, & supplex tua numina posco.

*Idem*

*Idem 2. Ænid*

Quod te per ſuperos, & conſcia numina veri.
Per ſi qua eſt quæ reſtat adhuc mortalibus uſquam
Intemerata fides oro miſerere laborum
Tantorum, miſerere animi non digna ferentis.

*Ovid 1. Epiſt. Heroid.*

Victa precor, genibuſque tuis regalia tendo
Brachia.

*Idem 1. de Triſtib.*

Quo magis, ô pauci, rebus ſuccurrite læſis,
Et date naufragio littora tuta meo.



B

# DE BEATITUDINE.

*Beatitudo hac in vita non eſt, nec eſſe poteſt ante obitum.*

*Ovid lib. Metamorph.*

——Scilicet ultima ſemper
Expectanda dies hominis eſt, diciq; beatus
Ante obitum nemo, ſupremaq; funera debet.

*Auſonius in Solonis ſententiis.*

Dico tunc vitam beatam, quam peracta fata ſunt.

*Ad veram beatitudinem omnes vocantur, ubi conſummata requies eſt.*

*Boetius Metro. 10. lib. 3.*

Huc omnes pariter venite capti,
Quos fallax ligat improbis catenis
Terrenas habitant libido mentes:
Hic vobis requies erit laborum:
Hic portus placida manens quiete:
Hoc unum miſeris patens aſylum.

*Beatus bonus, ſapienſve tantum eſſe poteſt.*

*Horat. lib. 1. epiſt. ad Quintium.*

Tu recte vivis ſi curas eſſe quod audis
Jactamus jampridem omnis te Roma beatum,
Sed vereor ne cui de te plus quam tibi credas,
Neve putes alium ſapiente bonoq; beatum.

*Beatus dicitur qui adversa æquanimiter suffert.*
*Terentius in Phormione.*

Beatus es, ni unum desit, animus, qui modesti istbæc ferat.

*Beatus possidens multa non est, nec recte dicitur, sed potius virtute præditus.*
*Horat. Oda. 9. lib. 4.*

Non possidentem multa, vocaveris
Rectè beatum: rectiùs occupat.
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramq; callet pauperiem pati;
Pejusq; letho flagitium times:
Non ille pro caris amicis,
Aut patriat timidus perire.

*Beati divina visione illustrati, cælestia, nec non terrena cernunt, ut de Pompeio Magno dicitur.*
*Lucanus lib. 9. bel. civil.*

Non illuc auro positi, nec thure sepulti.
Perveniunt Illic postquam se lumine vero
Implevit: stellasq; vagas miratur & astra
Fixa polis, vidit quanta sub nocte jaceret
Nostra dies, ruitq; sui ludibria trunci.

*Supra de eodem titulo. Anima Dei in contemplatione sita, &c.*

*Beatorum gaudia immensa atque syncera sunt, necnon eorum loca amænissima esse dicuntur moraliter.*

*Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. ubi de duabus gemmeis portis loquitur.*

Ast aliam (*s. portam*) tentare nefas, & tendere contra.
Rara, & sponte patet, si quando pectore ductor
Vulnera nota gerens galeis præfixa rotisq;
Cui domus, aut studium mortales pellere curas.
Culta fides, longeq; metus, atq; ignota cupido.
Seu venit in vitiis, castaq; investe sacerdos.
Quos omnes lenis plantis, & lampada quassans
Progenies Atlantis agit, lucet via late
Igne Dei, donec sylvas, & amœna piorum
Deveniant, camposq; ubi sol, totumq; per anum
Durat aprica dies thiasique chorique virorum,

Carmi-

Carminaque & quorum populis jam nullo cupido.

*Tibullus Elegia 3. lib. 1 de camporum Elysiorem amœnitate in hunc modum loquitur.*

Hic choreæ, cantusq; vigent, passimq; vagantes.
Dulce sonant tenui gutture carmen aves.
Fert casiam non culta seges, totoiq; per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.

*Claud. item lib 2. de raptu Proserp.*

Amissum ne crede diem, sunt altera nobis
Sydera, sunt orbes alii, lumenq; videbis
Purius? Elysiosq; magis mirabere campos,
Cultoresq; pios, Illic pretiosior ætas:
Aurea progenies habitat, semperq; tenemus
Quod superi meruere semel: nec mollia desunt
Prata tibi Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores quos nec tua protulit Ætna.
Est etiam lucis arbor prædives opacis,
Fulgentes viridi ramos curvata metallo.
Hæc tibi sacra datur fortunatumq; tenebis
Autumnum, & fulvis semper ditabere pennis.

## DE BELLO.

*Bellum ex cupiditate ortum habet.*

*Lucan. lib. 1 bel. civil.*

Hinc usura vorax, avidumq; in fenore tempus,
Et concussa fides, & multis utile bellum.

*Tibullus eleg. 10. lib. 1.*

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?
Quàm ferus, & vere ferreus ille fuit?
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
Tunc brevior diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit, ad nos mala nostra
Vertimus, in sævas quod dedit ille, feras.
Divitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt
Faginus adstabat quum cyphus ante dapes
Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oves.

*Belli amor crevit maximè.*

*Vergil, lib. 1. Georg.*

Quippe ubi fas versum atq; nefas; tot bella per orbem
Tam

Tam multæ scelerum facies: nec ullus aratro
Dignus honos: squalent abductis arva colonis:
Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem:
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum
Vicinæ ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt, sævit toto Mars impius orbe.
Ut quum carceribus sese affudere quadrigæ
Addunt se in spatia, & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

*In bellum juvenes mittendi.*

*Claudian. Eutrop. 2.*

Ignoscant senio, juvenes ad prælia mittant.

*Belli civilis caussæ quæ sint.*

*Lucanus lib. 1. bell. civil.*

Fert animus caussas tantarum exponere rerum,
Immensumque aperitur opus, quid in arma furentem
Impulerit populum, quid pacem excusserit orbi.
Invida fatorum series, summisque negatum
Stare diu, nimioque graves sub pondere lapsus:

*Ibidem.*

——Tu caussa malorum
Facta tribus dominis communis Roma, nec unquam
In turbam missi feralia fœdera regni.

*Belli civilis, nec non generalis reprehensio asperrima:*

*Horatius lib. Epodon.*

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dextris
  Aptantur enses conditi?
Parum ne campis, atque Neptuno super.
  Fusum est Latini sanguinis?
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
  Unquam nisi in dispar feris.
Furor ne cæcus, an rapit vis acrior?
  An culpa? responsum date.
Tacent, & ora pallor albus inficit,
  Mentesq; perculsæ stupent.

*Lucanus lib. 1: de bel. civil.*

Quis furor ô cives: quæ tanta licentia ferri,
Gentibus invisis Latium præbere cruorem?
Quumq; superba foret Babylon spolianda trophæis
Ausoniis, umbraq; erraret Crassus inulta,
Bella geri placuit nullos habitura triumphos?
Heu quantum terræ potuit pelagiq; parari

Hoc

Hoc quem civiles hauſerunt ſanguine dextræ?

*Idem lib. 2. bel. civil.*

Nobilitas cum plebe perit, lateq; vagatur
Enſis, & à nullo revocatum eſt pectore ferrum,
Stat cruor in templis, multaque rubentia cæde
Lubrica ſaxa madent, nulli ſua profuit ætas;
Non ſenis extremum piguit ferventibus annis
Præcipitaſſe diem, nec primo in limite vitæ
Infantis miſeri naſcentia rumpere fata.
Crimine, quo parvi cædem potuere mereri?
Sed ſatis eſt jam poſſe mori.

*Tibullus eleg. 10. lib. 1.*

Quis furor eſt atram bellis accerſere mortem?
Imminet & tacito clam venit illa pede,
Quam potius laudandus hic eſt, quem prole parata
Occupat in parva pigra ſenecta caſa,
Ipſe ſuas ſectatur oves, at filius agnos,
Et calidum feſſo comparat uxor aquam.

*Belli eventus varius.*

*Vegril. lib. 10. Æneid.*

Hic magnus ſedet Æneas, ſecumque volutat
Eventus belli varios.

*Ovid. lib. 7. Metamorph.*

Sexta reſurgebant orientis cornua lunæ:
Et pendebat adhuc belli fortuno, diùque
Inter utrumque volat dubiis Victoria pennis.

*Ovid lib. 1. de Arte amandi.*

Mars dubius, nec certa Venus victique reſurgunt.
Quoſque neges unquam poſſe jacere cadunt.

*Seneca in Thebaide.*

——— Nunc belli mala
Propone, dubias Martis incerti vices.
Licet omne tecum regis robur trahas,
Licet arma longe miles, ac latè explicet
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.

*Silius Italic. lib. 6. bel. pun.*

——— Et incerti fallax fiducia Martis.

*Bello ſalus nulla eſt, igitur pax ab omnibus poſcenda eſt.*

*Vergil. 11. lib. Æneid.*

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

*Belli*

*Belli tempore portas claudere prodest.*

*Ovid. Eleg. 6 lib. 1.*

Urbibus obsessis clausæ munimina portæ
Prosunt, in media pace quid arma times?

*Ovid. 4. de Ponto.*

—Hic, ubi barbarus hostis
Ut fera plus valeant legibus arma facit.

*Bellum injuste susceptum suum finem non assequitur.*

*Propert. 4. Eleg. 6.*

Frangit & attollit vires in milite causa
Quæ nisi justa subest excutit arma pudor.

## DE BENEFICENTIA.

*Beneficium in bonos collatum haud parum prodest.*

*Plautus in Captivis.*

Quod bonis bene fit beneficium, gratia ea gravida est bonis.

*Idem in Persa.*

Si quid bonis boni fit, esse idem & grave, & gratum solet.

*Idem in Rudente.*

Bonis quod bene fit, haud perit.

*Beneficium accipere qui scit, sed reddere nescit improbus est.*

*Plautus in Persa.*

—Improbus est homo
Qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.

*Beneficii accepti recordatio perpetua esse debet, & ad hoc exhortatio dignissima.*

*Plautus in Captivis.*

At scire tu memento, quando hic quod voles habebis:
Nam ferè maxima pars morem hunc homines habent, quod sibi volunt,
Dum id impetrant boni sunt, sed id ubi jam penes sese habent,
Ex bonis pessimi, & fraudulentissimi sunt,

*Beneficia alteri impensa rememoranda non sunt.*

*Terentius in Andria.*

Si tibi quid feci, aut facio, quod placet, Simo,

Et id gratum fuisse adversum te, habeo gratiam.
Sed hoc mihi molestum: Nam istæc commemoratio,
Quasi exprobratio est immemoris beneficii.

*Mart. lib. 5. Epigr.*

Quæ mihi præstiteris, memini, semperq; tenebo,
Cur igitur taceo, posthume, tu loqueris?
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat, dixerat ipse mihi.
Non belle quædam faciunt duo, sufficit unus
Huic operi: si vis ut loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamvis ingentia Posthume dones:
Auctoris pereunt garrulitate sui.

*Ausonius in sent. Chilonis.*

Tu bene si facias, non meminisse fas est.

*Beneficium, quum opus est, à quovis etiam homine accipiendum est.*

Terentius in *Adelph.*

Abs quovis homine, quum opus est, beneficium accipere gaudeas.
Verum enim verò id demum juvat, si quem æquum est benefacere, is facit.

*Beneficia non beneficia.*

*Martial. 5.*

Quisquis magna dedit voluit sibi magna remitti.

*Owen.*

Munera qui dedit sperat majora remitti.
Nemo suas vellet perdere gratis opes.

---

## DE BLANDITIIS.

*Blanditiæ ut deponantur admonitio notabilis.*

*Ovid. lib. 3. eleg.*

Desine blanditias, & verba potentia quondam
Perdere, non ego sum stultus, ut antè fui.

---

## DE BONITATE.

*Bonus est qui leges & patrum statuta adunguem servat, quique ab inimicis etiam extollitur.*

*Horat. lib. 1. Epist. ad Quintium.*

—Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges, juraq; servat.

Terentius

*Terentius in Hecyra.*

Namque eo pacto maximè apud te meo erit ingenio
fides.
Quum illa, quæ nunc in me iniqua eſt, æqua de me
dixerit.

*Bonus ætatis ſuæ ſpatium ampliat.*
*Mart. lib.10.Epigr.*

Ampliat ætatis ſpatium ſibi vir bonus, hoc eſt
Vivere bis, vita poſſe priore frui.

*Bonus eſt, qui ſtudet eſſe quod ab aliis audit,*
*Horat. lib. 1. Epiſt. ad Quintium.*

Tu rectè vivis ſi curas eſſe quod audis
Jactamus jampridem omnis te Roma beatum.

*Bonus eſt, qui in Deo tantum ſpem collocat, nec pro ipſo tormenta mortémve horret.*
*Horatius ibidem.*

Vir bonus, & ſapiens audebit dicere, Pentheu,
Rector Thebarum, quid me perferre, patiq;
Indignum coges? Adimam bona, nempe pecus, rem
Lectos, argentum: tollas licet: in manicis, &
Compedibus ſævo te ſub cuſtode tenebo.
Ipſe Deus, ſimulatq; volam, me ſolvet opinor,
Hoc ſentit, moriar, Mors ultima linea rerum eſt.

*Bonus eſt maximis in divitiis poſitus, qui non peccat, quia hoc non facile eſt.*
*Martial. 11. Epig. in laudem Nervæ Trajani.*

Tanta tibi eſt recti reverentia, Cæſar, & æqui,
Quanta Numæ fuerat: ſed Numa pauper erat.
Ardua res hæc eſt, opibus non tradere mores,
Et quum tot Crœſos viceris, eſſe Numam.

*Bonus eſt, qui virtutis amore non peccat.*
*Horat. lib. 1. Epiſt. ad Quintium.*

Oderunt peccari boni virtutis amore.

*Bonus ut malos non timeat admonitio illuſtris.*
*Horat. lib. 1. Satyra 4.*

——— Sulcius acer
Ambulat & Caprius, rauci male, cumq; libellis,
Magnus uterq; timor latronibus: at bene ſi quis,
Et vivat puris manibus, contemnat utrumque.

*Bonis bene erit, malis verò è contra,*
*Plautus in Captivis.*

Bene merenti, bene profuerit: male merenti par erit.

*A bonis quæ expectantur potissimum.*

*Plautus in* Trinummo.

Boni sibi hæc expetunt, rem fidem, honorem,
Gloriam, & gratiam, hoc probis pretium'st.

*Boni rari sunt.*

*Virgil de viro bono.*

Vir bonus & sapiens, qualem vix repperit ullum
Millibus è cunctis hominum consultus Apollo.

*Juvenalis* 13. *Satyra.*

Rari quippe boni, numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

*Boni cari sunt.*

*Owen. lib.* 1. 187.

Si quicquid rarum carum est preciumq; meretur
Crede mihi res est vir pretiosa bonus.

*Boni malis parent, idque sæpissime.*

*Seneca in Hercule furente.*

——Sontibus parent boni.
Jus est in armis, opprimit leges timor.

*Veteres boni laudantur, sed eorum mores & ritus non observantur.*

*Ovid. lib.* 1. *Fastor.*

Laudamus veteris, sed nostris utimur annis.

*Bono consummatóve viro quæ conveniant.*

*Virgil in viro bono.*

Judex ipse sui, totum se explorat ad unguem.
Quid proceres, vaniq; ferat quid opinio vulgi,
Securus: mundi instar habens, teres atq; rotundus,
Externæ ne quid labis per lævia sidat.
Ille dies quam longus erit sub sydere Cancri,
Quantaq; nox tropico se porrigit in Capricorno
Cogitat, & justo trutinæ se examine pensat:
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coëat, nihil, ut deliret amussis.
Sit solidum quodcunq; subest, nec inania subtus
Judicet admotus digitis pellentibus ictus.

*Ibidem.*

Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longi reputaverit acta diei,
Quo præter gressus quid gestum in tempore, quid no

Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit,
Quam melius mutare fuit? miseratus egentem,
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid volui quod nolle bonum foret? Utile honesto
Cur malus ante tuli? Num dicto, aut deniq; vultu
Perstrictus quisquam? Cui me natura magis, quam
Disciplina trahit? Sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortoq; à vespere cuncta revolvens,
Offensus pravis, dat palmam & præmia rectis.

*Boni sæpe à vitiis obruuntur.*

*Alcim.*

Sæpe boni peccant, vitiis perit obruta virtus.

---

## DE BONO.

*Veri bonique fons est Deus.*

*Paulinus in Epist. ad Auson.*

Quid enim tenere vel bonum aut verum queant,
Qui non tenent summæ caput,
Veri bonique fomitem & fontem Deum?

*Summa boni quæ sit.*

*Auson de 7. Sapientum sententiis.*

Quæ nam summa boni? Mens quæ sibi conscia recti.

*Bona nostra tum cognoscimus, quum à nobis sublata sunt.*

*Plautus in Captivis.*

Tum denique homines nostra intelligimus bona,
Quum quæ in potestate habuimus, ea amisimus.

*Bona citius, ac prius quam mala, è medio tolluntur.*

*Ovid. Eleg. 6. lib. 2.*

Optima prima fere manibus rapiuntur avaris,
Implentur numeris deteriora suis.

*Meliora potius facienda, quam præcanda sunt.*

*Ovid. lib. 7. Metamorph.*

Dii meliora velint: quanquam non ista precanda,
Sed facienda mihi.

*Bona procrastinanda non sunt. Nam ea differre sapientis non est.*

*Tibullus lib. 1. Eleg. 4.*

At si tardus eris, errabis transiet ætas
Quam cito, nam signis stat remeatq; dies.

Quam citò purpureos deperdit terra colores,
Quàm citò formosas populus alba comas.
Vidi jam juvenem premeret quum serior ætas
Mœrentem stultos præteriisse dies.

*Mart. lib. 1. Epig ad Julium*

Non bene distuleris, videas quod posse negari,
Et solum hoc ducas, quod fuit esse tuum.
Expectant curæq; catenatiq; labores:
Gaudia non remanent, sed fugitiva volant.
Hac utraq; manu, complexuq; assere toto:
Sæpe fluunt, imo sic quoq; lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere, vivam:
Sera nimis vita est crastina, vive hodie.

*Bona vera quæ sint. pauci cognoscere valent.*

*Juvenalis 10 Satyra.*

Omnibus in terris quæ sunt à Gadibus usque
Auroram & Gangem, pauci dignoscere possunt
Vera bona, atq; illis multum diversa, remota
Erroris nebula. Quid enim ratione timemus?
Aut cupimus? Quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non peniteat, votiq; peracti?

*Ad peragendum bonum exhortatio lepidissima.*

*Horat. lib. 1. Epist ad Bullatium.*

Tu quamcumq; Deus tibi fortunaverit horam
Grata sume manu, nec dulcia differ in annum,
Ut quocumq; loco fueris, vixisse libenter
Te dicas.

*Seneca in Hippolyto.*

Ætate fruere, mobili cursu fugit.
Optimos vitæ dies
Effluere prohibe.

*Ibidem*

——Dum licet, utere.
Tempus sed tacitum subruit, horaq;
Semper præterita deterior subit.

*Martialis lib. 3. Epigr.*

Si sapis, utaris totis Coline diebus,
Extremumq; tibi semper adesse putes.

*Bonum, benève non vult, nisi qui bene operatur.*

*Plautus in Trinummo.*

Nequicquam illud verbum est; bene vult, nisi qui
benefacit.

*Nil suavius quam bene rem gerere.*

*Plautus in Captivis.*

Quid est suavius? quã bene rem gerere bono publico?

*Bonum, quod quisq; operatur, sibi facit.*

*Plautus in* Trinummo.

Quid exprobras bene quod fecisti? tibi fecisti, non mihi.

*Bonum summum speculari qui vult omnium terrenarum rerum cupiditates à se resecare debet: quia si non quicquid perspicuum est, perdet.*

Boetius *Metro* 12 *lib.* 13.

Vos hæc fabula respicit,
Quicumq; in superum diem
Mentem ducere quæritis.
Nam qui tartareum in specus
Victus lumina flexerit,
Quicquid præcipuum trahit,
Perdit, dum videt inferos.

---

## DE BREVITATE.

**Brevitas in dicendo habenda est.**

***Horat. de arte Poëtica.***

Quicquid præcipies, esto brevis, ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

***Terentius in Andria.***

Quin tu uno verbo dic, quid est quod me velis.

***Ausonius Paulino.***

Est, etenim comis brevitas sic fama renatum
Pythagoram docuisse refert, quum multa loquaces
Ambiguus sererent verbis, contra omnia solum
Est respondebat, vel non: ô certa loquendi
Regula: nam brevius nihil est, nec plenius istis,
Quæ firmata probant, aut infirmata reclinant.

*Ibidem.*

Nemo silens placuit, multi brevitate loquendi.

*Nimia brevitas obscuram reddit orationem.*

*Horat. de arte Poëtica.*

Decipimur specie recti: brevis esse laboro,
Obscurus fio: sectantem levia nervi
Deficiunt animique: professus grandia turget.

*Satis breve est cui nihil demi potest.*
*Mart. lib. 2. Epigr.*
Non sunt longa, quibus nihil est quod demere possis.



## C.

## DE CANTU,

*Cantus laborem mollit atq; fallit.*
*Ovid. lib. 4. Trist.*

Hoc est cur cantet vinctus quoq; compede fossor,
Indocili numero, quum grave mollit opus:
Cantet & innitens limosæ pronus arenæ
Adverso tardam qui vehit amne ratem.
Quiq; refert pariter lentos ad pectora remos,
In numerum pulsa brachia versat aqua.
Fessus ut incubuit baculo, saxoq; recedit
Pastor arundineo carmine mulcet oves.
Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis
Fallitur ancillæ decipiturq; labor.
Fertur & abducta Lyrnesside tristis Achilles
Æmonia curas attenuasse lyra.
Quum traheret sylvas Orpheus, & dura canendo
Saxa bis amissa conjuge mœstus erat.

*Bona voce præditus cantare debet.*
*Idem 1. de arte amandi.*

Si vox est, canta, si mollia brachia, salta.
Et quacumq; potes dote placere place.

*Cantorum vitium quale sit.*
*Horat lib. 1. satyra 3.*

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati.
Injussi nunquam desistant.

## DE CASTITATE.

*Castitas uxoris dos magna apud Getas.*
*Horat. Oda 24. lib. 3.*

Dos est magna, parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas.

*Castitatis seu virginitatis servandæ confortatio.*
*Ovi*

*Ovid. lib. 1. Metamorph.*

Sæpe pater dixit generum mihi filia debes,
Sæpe pater dixit, debes mihi nata nepotes.
Illa velut crimen tedas exosa jugales,
Pulcra verecundo suffundens ora rubore.
Inque patris blandis hæres cervice lacertis:
Da mihi perpetua, genitor charissime, dixit.
Virginitate frui, dedit hoc pater ante Dianæ

*Idem lib 8. Metamorph.*

Ante ait moriar, quam sit tibi copia nostri.

*Idem Epistola 8. Heroid.*

Pro somno lacrymis oculi funguntur obortis,
Quaq; licet fugio, sicut ab hoste viro.

*Seneca in Hercule furente.*

MEG. Gravent catenæ corpus, & longa fame
Mors protrahatur lenta, non vincet fidem
Vis nulla nostram: moriar Alcide tua.

*Plautus in Persa.*

PERSA, Tua isthæc potestas est, pater, veruntamen
Quamquam res nostræ sunt, pater, pauperculæ,
Modicæ, & Modestæ, melius est tamen ita vivere.
Nam ubi ad paupertatem accessit infamia.
Gravior paupertas fit, fides sublestior.

*Idem in Sticho.*

PINAG. Non quò dedisti nuptum abire nolumus.

*Castitas Deo grata est.*

*Tibullus lib. 2. Eleg.*

Vos quoq; abesse procul jubeo: discedat ab aris,
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis.

*Virgilius 2 Æneid.*

Hac casti maneant in religione nepotes.

*Romani usque adeo castitati studebant ut virgines Vestales etiam vivas tumularent, ob virginitatis violentiam.*

*Ovid, lib. 6. Fasto.*

Nullaq; dicetur vittas temererasse sacerdos
Hoc duce, nec viva defodietur humo.
Sic incesta perit, quia quam violavit, in illa
Conditur: & tellus, Vestaq; numen idem est.

*Juvenal. satyra 4.*

Nemo malus felix, minimè corruptor, & idem

Incestus, cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

*Remedia adversus libidinem.*

Ores, casta legas, jejunes, ocia vites,
Si vis servare corpora casta Deo.

---

## DE CARMINIBUS.

*Utilitas Carminum quæ sit*

*Horat. lib. 1. Epist. ad August.*

Scribimus indocti doctiq; poemata passim;
Hic error tamen, & levis, hæc insania quantus
Virtutes habeat, sic collige, &c.
Torquet ab obscœnis jam tunc sermonibus aurem,
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Asperitatis & invidiæ corrector, & iræ.
Recte facta refert, orientia tempora notis
Instruit exemplis: inopem solatur, & ægrum.
Castis cum pueris, ignara puella mariti
Disceret unde preces, vates, ni Musa dedisset?
Poscit opem chorus, & presentia numina sentit.
Cælestes implorat aquas docta prece, blandus
Avertit morbos, metuenda pericula pellit,
Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum.
Carmine dii superi placantur, carmine manes.

*Olympius Nemesianus Ecloga 2.*

Tum verò ardentes flammati pectoris æstus
Carminibus, dulciq; parant relevare querela.

*Idem Ecloga 4.*

Cantet amat quod quisq; levant & carmina curas.

*Carmina homines beant ac mori vetant.*

*Horatius Oda 6. lib. 4.*

Dignum laude virum Musa vetat mori.
Cœlo Musa beat.

*Idem Oda 9. lib. 4.*

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrymabiles
Urgentur ignotiq; longa
Nocte, carent quia vate sacro.

*Ovid. lib. 4. de Tristib.*

Carmine fit vivax virtus, expersq; sepulchri;
Notitiam seræ posteritatis habet.

Idem

*Idem lib. 1. Eleg.*

Scindentur vestes gemmæ frangentur & aurum,
Carmina quam tribuent fama perennis erit.

T*ibullus Eleg. 4. lib. 1.*

Quem referent Musæ vivet dum robora tellus,
Dum cœlum stellas, dum vehet amnis aquas.

*Carminum vis.*

*Ovid. lib. 2. Fastorum.*

Quod mare non novit, quæ nescit Ariona tellus?
Carmine currentes ille tenebat aquas.
Nomen Arionium Siculas impleverat urbes,
Captaq; erat lyricis Ausonis ora sonis.

*Ibidem.*

Protinus in medias ornatus desilit undas:
Spargitur impulsa cærula puppis aqua;
Inde (fide majus) tergo Delphina recurvo
Se memorant oneri supposuisse novo.
Ille sedens, citharamq; tenens, pretiumq; vehendi
Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.

*Silius Italic. lib. 11. bel. Pun.*

Altera turbatum plectro moderata profundum
Et tenuit Phocas, & in omni Protea forma
Traxit, & æquoreo portavit Ariona dorso.

*Ibidem legis & Amphiona lyræ sonitu* Thebanam *Civitatem construxisse.*

*Idem & Propert. lib. 3 affirmat.*

Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem,
Sponte sua in muri membra coisse ferunt.

*Sic & Orpheus carminibus & Cithara traxisse feras sylvas, &c. à poëtis fabulatur: eo quod effrenatos hominum animos sua lenivit doctrina atque eloquentia: nec non in unum eos redegit qui per devia ibant, ferarumq; more vivebant.*

*Virgilius de Orpheo.*

Threicius quondam vates fide creditur canora
Movisse sensus acrium ferarum,
Atque amnes tenuisse vagos,
Et surda cantu concitasse saxa,
Suavi sonosque modos testudinis arbores sequutæ
Umbram feruntur præbuisse vati.
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigavit.

Doctaq; vitam voce temperavit,
Justitiam docuit, cœtu quoque congregavit uno,
Moresq; agrestes expolivit Orpheus.

*Horatius de arte Poëtica.*

Sylvestres homines sacer interpresq; Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosq; leones:
Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet. Fuit hæc sapientia quondam
Publica privatis secernere, sacra prophanis:
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis:
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor & nomen divinis vatibus, atque
Carminibus venit, post hos insignis Homerus.

*Carminibus Ovidius ab ineunte ætate deditus fuit..*

*Ovid. lib. 4. de Tristibus.*

At mihi jam puero cælestia sacra placebant,
Inq; suum furtim Musa trahebat opus.
Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et quod tentabam scribere versus erat.

*Carmina mentis tranquillitatem, nec non scribentis otium exigunt:*

*Ovid. de Sappho.*

Nec mihi dispositis jungam quæ carmina nervis
Proveniunt, vacuæ carmina mentis opus.

*Idem lib. 1. de Tristib.*

Carmina proveniunt animo deducta sereno:
Nubila sunt subitis tempora nostra malis,
Carmina secessum scribentis, & otia quærunt:
Me mare, me venti, me fera jactat hyems.

*Horat. lib. 2. Epist. ad Jul Florum.*

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbem,

*Carmina honorem debitum non habent, id est, virtutes in pretio non sunt, sed divitiæ.*

*Ovid. lib. 2. de arte amandi.*

Quid tibi præcipiam teneros quoq; mittere versus:
Hei mihi non multum carmen honoris habet.
Carmina laudantur, sed munera magna petuntur,
Dummodo sit dives barbarus, ille placet.

*Ibidem.*

Ipſe licet venias muſis comitatus Homere:
Si nihil attuleris ibis Homere foras.

*Titus Calphurnius Ecloga 4.*

—Levibus quem ſæpe cicutis.
Ludere conantem vetuiſti fronte paterna,
Dicentem, Corydon te non ſemel iſta notavi:
Frange puer calamos, & inaneis delere Muſas,
Et potius glandes, rubicundaq; collige corna,
Duc ad mulctra greges, & lac venale per urbem
Non tacitus porta. quid enim tibi fiſtula reddet
Quo tutêre famam? certe mea carmina nemo,
Præter ab his ſcopulis ventoſa remurmurat Echo

*Vide infra tit. de Virtute, Virtutis præmium, &c.*

## DE CAUSSIS.

*Cauſa propagationis rerum omnium eſt caliditas cum humiditate temperata.*

*Ovid 1. Metamorph.*

Quippe ubi temperiem ſumpſere humorq; calorq;
Concipiunt & ab his oriuntur cuncta duobus:
Quumque ſit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes
Res creat, & diſcors concordia fœtibus apta eſt.

*Cauſas omnium quærere vanum eſt.*

*Virgilius in Ætna.*

Sed fruſtra certis diſponere ſingula cauſis
Tentamus.

*Boetius metro 2. lib. 5.*

Puro carum lumine Phœbum
Melleflui canit oris Homerus,
Qui tamen intima viſcera terræ
Non valet, aut pelagi radiorum
Infirma perrumpere luce.

*Cauſſas rerum qui potuit cognoſcere, is fœlix*

*Virgilius 2. Georgicôn.*

Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſſas.

*Cauſſas omnium rerum præſertim divinarum, inveſtigare velle, inſcitia eſt, atq; fas non eſt.*

*Virgilius in Ætna.*

Nam quæ mortali ſpes eſt, quæ amentia major

In Jovis errantem regno perquirere velle?

*Ovid. lib. 3. Fasto.*

Emissi laqueis quid agant quæ carmina dicant,
Quaque trahant superis sedibus arte Jovem,
Scire nefas homini est, nobis concessa canentur.

*Caussas terrenarum rerum inquirere hominis est.*

*Virgilius in Ætna.*

Sed prior hæc hominum cura est cognoscere terram,
Et quæ nunc miranda tulit natura notare:
Hæc nobis magna affinis cœlestibus astris.

*Ibidem.*

Tantum opus ante pedes transire & perdere segnes,
Torquemur miseri in parvis.

*Ibidem.*

Leves cruciant animos & corpora causa.

*Ovid. lib. 3. Fasto.*

—Nobis concessa canentur,
Quæq; pio dici vatis ab ore licet.

*Caussæ ejusdem diversi quandoque sunt effectus, & hoc ob materiæ variam dispositionem.*

*Ovid. lib. 1. de remedio amoris.*

Discite sanari per quem didicistis amare:
Una manus vobis vulnus opemq; feret.
Terra salutiferas herbas, eademq; nocentes
Nutrit, & urtice proxima sæpe rosa est:
Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

*Idem lib. 4. de Ponto.*

Nulla dies adeo est australibus humida nimbis,
Non intermissis ut fluat imber aquis:
Nec sterilis locus ullus ita est, ut non sit in illo
Mista fere duris utilis herba rubis.

*Caussa justa virtutem militis promovet, injusta deprimit.*

*Propertius.*

Frangit & attollit vires in milite caussa:
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.

DE

## DE CÆCITATE.

*Cæcitatis humanæ detestatio.*

*Lucretius lib.* 2. de nat. rerum.

O miseras hominum mentes & pectora cæca:
Qualibus in tenebris vita, quantisq; periclis
Degitur hoc ævi quodcunq; est?

*Ovid. 6. Metamorph.*

Pro superi, quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent!

---

## DE CÆLO

*Cælum peregrinas non patitur passiones.*

*Ovid.lib. 1. Metamorph.*

Hæc super imposuit liquidum & gravitate carentem
Æthera, nec quicquam terrenæ fæcis habentem.

*Cœlestia signa quæ.*

*Virgil. de sig. Cœlest.*

Primus adest Aries, Taurus insignibus auro
Cornibus & Fratres, & Cancer aquatile signum.
Tum Leo terribilis Nemees, atque innuba Virgo:
Libra subit, caudaq; animal quod dirigit ictum.
Armatusq; arcu Chiron, & Corniger Hircus,
Fusor aquæ simul, & fulgenti lumine Pisces.

*Manilius lib. 1. Astronom.*

Aurato princeps Aries in vellere fulgens
Respicit admirans adversum surgere Taurum,
Submisso vultu Geminos & fronte vocantem:
Quos sequitur Cancer, Cancrum Leo, Virgo Leonem
Æquato tum Libra die cum tempore noctis,
Attrahit ardenti fulgentem Scorpion astro,
In cujus caudam contentum dirigit arcum
Mixtus equo, volucrem missurus jamq; sagittam:
Tum venit augusto Capricornus sydere flexus.
Post hunc inflexum diffundit Aquarius urnam,
Piscibus assuetas avidè subeuntibus undas,
Quos Aries tangit claudentibus ultima signa.

*Cælum beatorum est locus.*

*Ovid. lib. 1. Metamorph.*

Neu regio foret ulla suis animalibus orba,
Astra tenent cæleste solum formæq; Deorum.

*Ibidem*

*Ibidem.*

Est via sublimis cœlo manifesta sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso:
Hac iter est superis ad magni tecta tonantis,
Regalemq; domum: dextra lævaq; Deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis,
Plebs habitat diversa locis, à fronte potentes
Cælicolæ, clariq; suos posuere penates.
Hic locus est, quem si verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixisse palatia cœli.

*Cœlum ardua acquiritur via.*

*Ovid. lib. 5. de Tristib.*

Ipse quoque æthereas meritis invectus es arces:
Quò non exiguo facta labore via est.

*Seneca in Hercule furente.*

Non est ad astra mollis è terris via.

*Valer. Flac. lib. 1. Argonaut.*

Tendite in astra viri, mea primum regia mundo
Japeti post bella, truces Phlegræq; labores,
Imposuit durum vobis iter, & grave cœli
Instituit: sic ecce meus, sic orbe per acto
Liber, & expertus terras remeavit Apollo.

*Cœlum virtutibus homines adipiscuntur, non pecunia.*

*Horat. Ode 2. lib. 3.*

Virtus recludens immeritis mori,
Cœlum negata tentat iter via.
Cœtusq; vulgares & udam
Spernunt humum fugiente penna.

*Seneca in Octavia.*

Pulchrum eminere est inter illustres viros
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere tempus atq; iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo:
Hæc summa virtus, petitur hac cœlum via.
Sic ille patriæ primus Augustus parens
Complexus astra est: colitur & templis Deus.

*Idem in Hercule Oeteo.*

Sed locum virtus habet inter astra.

*Valer. Flac. lib. 6. Argon.*

—Nulla cœlum reparabil e gaza.

*Silius Italic. lib. 13. bel. Pun.*

Audendo bella expedias, pigra extulit astris
Haud unquam sese virtus.

*Cœlestia cognoscentes terrena quæque parvi faciunt atque contemnunt.*

*Manilius lib. 2. Astronomic.*

Illa fuit, quæ divitias, quæ despicit aurum,
Imperia & fasces, mollemq; per otia luxum.
Et blandis adversa sonis dulcemq; per aures
Affectum & modico noscenda ad fata labore.

---

## DE CIBO.

*Cibus vires debilitatas roborat.*

*Valerius Flac. lib. 2. Argonaut.*

Hæc ubi dicta dedit, Cereris tum munere fessas
Restituunt vires, & parco corpora Bacho.

*Ciborum varietas tam animo, quam corpori nocet.*

Horatius *satyra 2. lib. 2.*

——Nam variæ res
Ut noceant homini, credas, memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit: At simul assis
Miscueris elixa simul conchylia turdis
Dulcia se in bilem vertent: stomachoq; tumultum
Lenta feret petuita: Vides ut pallidus omnis
Cœna desurgit dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoq; prægravat una,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

*Ciborum parcus ad omne opus promptus est.*

*Horatius Satyra 2. lib. 2.*

Alter ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit.

*Cibus vulgaris quilibet acceptus jejuno stomacho.*

*Horat. 2. Sat. 2.*

Jejunus raro stomachus vulgaria temnit.

---

## DE CHRISTO.

*Christi-Dei adventus, vere, & moraliter, seu pie intelligendo.*

*Claudianus de laude Christi.*

Proles vera Dei, cunctisq; antiquior annis:
Nunc genitus, qui semper eras, lucisq; repertor:

*Ante*

Ante tuæ matriſque parens : quem mihi ab aſtris
Æquævus genitor, verbique in ſemina fuſum
Virginios habitare ſinus, & corporis arcti
Juſſit in ire vias, parvaq; in ſede morari,
Quem cedes non ulla capit, qui lumine primo
Vidiſti quicquid mundo naſcente crearas.
Ipſe opifex opus ipſe ſui, dignatus iniquas
Ætatis ſentire vices, & corporis hujus
Diſſimiles perferre modos, hominemq; ſubire,
Ut poſſis monſtrare Deum, ne lubricus error,
Et decepta diu varii ſolertia mundi,
Pectora tam multis ſinerent mortalia ſecla
Auctorem neſcire ſuum.

*Virgil. Eclog.* 1.

Ultima Cumæi jam venit carminis ætas,
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo :
Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.
Jam nova progenies cælo dimittitur alto.

T*itus Calphurn*, *Eclog*. 4.

Vos ô precipuè nemorum gaudete coloni.
Vos populi gaudete mei, licet omne vagetur
Securo cuſtode pecus, nocturnaq; paſtor
Claudere fraxinea nolit præſepia crate :
Non tamen inſidias prædator ovilibus ullas
Adferet, aut laxis abiget jumenta capiſtris
Aurea ſecura cum pace renaſcitur ætas.
Et redit ad terras tandem ſqualore ſituq;
Alma Themis poſito, juvenemq; beata ſequuntur
Secula, maternis cauſſam qui luſit in ulnis
Dum populos Deus ipſe reget, dabit impia victas
Poſt tergum Bellona manus ſpoliataq; telis
In ſua veſanos torquebit viſcera morſus,
Et modò quæ toto civilia diſtulit orbe,
Secum bella geret nullos jam Roma Philippos
Deflebit, nullos ducet captiva triumphos :
Omnia tartareo ſubigentur carcere bella,
Immergentq; caput tenebris, lucemq; timebunt :
Candida pax aderit, nec ſolum candida voltu
Qualis ſæpe fuit, quæ libera Marte profeſſo,
Quæ domito procul hoſte, tamen graſſantibus armis
Publica diffudit tacito diſcordia ferro
Omne procul vitium ſimulatæ cedere pacis

Juſſit

Jussit, & insanos dementia condidit enseis.
Nulla catenati feralis pompa senatus.
Carnificum lassabit opus nec carcere pleno
Infœlix raros numerabit curia patres,
Plena quies aderit, quæ stricti nescia ferri.
Altera Saturni revocet Latialia regna,
Altera regna Numæ, qui primus ovantia cædi
Agmina Romuleis & adhuc ardentia castris
Pacis opus docuit, jussitq; silentibus armis
Inter sacra tubas, non inter bella sonare.
Nec jam adumbrati faciem mercatus honoris,
Nec vacuos tacitus fasces, & inane tribunal
Accipiat Consul, sed legibus omne reductis
Jus aderit, moremq; fori, voltumque priorem
Reddet, & afflictum melior Deus auferet ævum.
Exultet, quæcunque notum gens ima jacentem,
Erectumq; colit boream, quæcunque vel ortu,
Vel patet occasu, mediove sub æthere servit.

*Idem Eclog. 4.*

Illius ut primum senserunt numina terræ,
Cœpit & uberior, succis fallentibus olim,
Luxuriare seges tandem legumina plenis
Vix resonant siliquis, nec præfocata malignum
Messis habet lolium: nec inertibus albet avenis
Jam neque damnatos metuit jactare ligones
Fossor, & invento (si fors dedit) utitur auro,
Nec timet, ut nuper, dum jugera versat arator,
Ne sonet offenso contraria vomere massa,
Jamq; palam presso magis ac magis instat aratro.

*Quæ Christus humano generi præstiterit bona moraliter & ver*

*Lucretitus lib. 6. de nat. rerum.*

Veridicis igitur purgavit pectora dictis.
Et finem statuit cupidinis atque timoris.
Exposuitq; bonum summum, quo tendimus omnes,
Quid foret, atq; viam monstravit tramite parvo.
Qua possemus ad id recto contendere cursu
Quidve mali foret in rebus mortalibus, atque
Quod flueret naturali jure, atq; veniret.
Seu casu, seu vi, quod sic natura parasset:
Et quibus è portis occurri cuique deceret,
Et genus humanum frustra plerumque probavit

Volvere curarum tristes in pectora fluctus.

*Claudianus de Christo servatore.*

Christe potens rerum redeuntis conditor ævi,
Vox summi, sensusq; Dei, quem fundit ab alta
Mente pater, tantiq; dedit consortia regni:
Impia tu nostræ domuisti crimina vitæ.
Passus corporea mundum vestire figura,
Affariq; palam populos, hominemq; fateri.

*Ibidem.*

Quin & supplicii nomen nexusq; subisti,
Ut nos subriperes letho, mortemq; fugares
Morte tua.

*Miracula Christi.*

*Claudianus de mirac. Christi.*

Angelus alloquitur Mariam, quo præscia verbo
Concipiat, salva virginitate Deum,
Dant tibi Chaldæi prænuntia munera reges,
Myrrham homo, rex aurum, suscipe thura Deus.
Permutat lymphas in vina liquentia Christus,
Quo primum facto se probat esse Deum.
Quinque explent panes, pisces duo, millia quinque,
Et Deus ex parvo plus superesse jubet:
Editus ex utero cæcus nova lumina sensit,
Et stupet ignotum se meruisse diem:
Lazarus è tumulo, Christo inclamante, resurgit,
Et duræ mortis lex resoluta perit.
Nutantem quatit unda Petrum, cui Christus in alto
Et dextra gressus firmat, & ore fidem.
Exanguis Christi contingit fœmina vestem,
Stat cruor in venis fit medicina fides.
Jussus post multos graditur paralyticus annos
(Mirandum) lecti portitor ipse sui.

*Christi vox contra damnatos in judicii universalis die pronuncianda (moraliter dico) quæ erit. Ea voce prolata atq; audita, dæmonum turba in eos ruent.*

*Ovid lib 3. Metamorph.*

Præcipitem famuli rapite hunc, cruciataq; duris
Corpora tormentis stygiæ demittite morti.

*Ibidem.*

——ruit omnis in unum
Turba furens, cunctæ coeunt, trepidumque sequuntur,

Jam

Jam trepidum, jam verba minus violenta loquentem,
Jam ſe damnantem, jam ſe peccaſſe fatentem.

## DE CLEMENTIA.

*Clementiæ vis & laus ſumma.*

*Claud. in Stiliconis laud. lib. 2.*

Principio magni cuſtos clementia mundi,
Quæ Jovis incoluit zonam, quæ temperat æthram
Figoris & flammæ mediam, quæ maxima natu
Cæliculum. Nam prima chaos Clementia ſolvit,
Congeriem miſerata rudem, vultuq; ſereno
Diſcuſſis tenebris in lucem ſecula fudit.

*Clementia, pro aris & templis hominum pectoribus fruitur.*

*Claudianus in Stiliconis laudes, 2. lib.*

Hæc Dea pro templis & thure calentibus aris
Te fruitur, poſuitq; ſuas hoc pectore ſedes.

*Clementiæ doctrina præceptaque.*

*Claudianus ibidem.*

Hæc docet, ut pœnis hominum, vel ſanguine paſci
Turpe ferumq; putes, ut ferrum marte cruentum
Sic cum pace premas, ut non infenſus alendis
Materiam præſtes, odiis, ut ſontibus ultro
Ignoviſſe velis, deponas ocyus iram.
Quam moveas, precibus nunquam imolaçabilis obſtes,
Obvia proſternas proſtrataq; more leonum
Deſpicias. Alacres ardent quum ſternere tauros,
Tranſiliunt redas humiles, hac ipſe magiſtra
Dat veniam victis, hac exhortante calores
Horrificos, & quæ nunquam nocitura timentur
Jurgia, contento ſolo terrore coercet,
Ætherei patris exemplo, qui cuncta ſonoro
Concutiens tonitru Cyclopum ſpicula defert
In ſcopulos, & monſtra maris, noſtriq; cruoris
Parcus in Oetæis exercet ful mina ſylvis.

*Clementiæ germana eſt fides.*

*Claud. in Stiliconis laudes, lib. 2.*

Huic divæ germana fides, eademq; ſororis
Corde tuo delubra tenens ſeſe omnibus actis
Inſerit.

Ibidem

*Ibidem.*

—Hæc nullo docuit livescere fuco
Nunquam falsa loqui nunquam promissa morari:
Invisos odisse palam, non virus in alto
Condere, non lætam speciem prætendere fraudi,
Sed certum, mensiq; parem componere vultum
Occulto sævire vetat, prodesse remittit.

*Clementia principes decet.*

*Seneca in Octav.*

Pulcrum est eminere inter illustres viros:
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare;
Orbe quietem seculo pacem suo.
Hæc summa virtus, petitur hac cœlum via.

*Ovid.*

Sit piger ad pœnas princeps ad prœmia velox.

*Clementiæ bona commodáve.*

*Claudianus ibidem.*

Hæc & amicitias longo post tempore firmat,
Mansuroq; adamante ligat, nec mobile mutat
Ingenium parva strepitu, nec vincula noxa
Dissolvi patitur, nec fastidire priorem
Allicitur veniente novo, benefacta tenere,
Respuere offensas facilis, pariterq; minoris
Officii, magniq; memor superare laborat:
Utq; hostes armis, meritis sic vincit amicos:
Hæc fovet absentes: hæc longe sola remotis
Consulit, hæc nullis avidam rumoribus auram
Pandit, ut ignavum nunquam læsura clientem
Insidiosa tuos alienent murmura sensus.
Non vivis annexus amor, meminisse sepultos.
Desinit in prolem, transcurrit gratia patrum.

*Clementia res succedunt melius quam feritate.*

*Claud in Consulatum Manlii.*

Se jactent alii, studeant feritate timeri,
Addictoq; hominum cumulent æraria censu,
Lene fluit Nilus, sed cunctis amnibus extat
Utilior, nullo confessus murmure vires.
Acrior at rapidus tacitas prætermeat ingens
Danubius ripas. Eadem Clementia sævi
Gurgitis immensum deducit in ostia Gangem,
Torrentes immane fremant, lapsiq; minentur

Ponti-

Pontibus, involvant spumoso vertice sylvas.
Pax majora decet peragit tranquilla potestas,
Quod violenta nequit, mandataq; fortius urget
Imperiosa quies.

*Clementia nihil in homine melius.*

*Terentius in Adelphis.*

——— Reipsa reperi
Facilitate nihil esse homini melius neq; clementia.

*Clementia timoris maximum remedium est.*

*Seneca in Octavia.*

Magnum timoris remedium clementia.

*Clementia sola æquat nobis Deos.*

*Claud. de 4. Honorii consulatu.*

Sis pius in primis. Nam quum vincatur in omni
Munere, sola deos æquat clementia nobis.

*Clementia principum sæpe nocet.*

*Gunther lib. 1. 478.*

——Plus sæpe nocet patientiæ regis
Quam rigor: ille nocet paucis, hæc incitat omnes
Dum se ferre suos sperant impune reatus.

---

## DE COGNITIONE SUI.

*Cognoscunt sese pauci.*

*Persius satyra 4.*

Ut nemo in sese tentat discendere, nemo,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

*Horat. Satyra 3. lib. 1.*

Mævius absentem Nævium quum carperet, heus tu,
Quidam ait, ignoras te, an ut ignotum dare nobis
Verba putas. Egomet mi ignosco, Mævius inquit
Stultus & improbus hic amor est dignusq; notari.

*Terentius in Heauton.*

Dii vestram fidem: Itan' comparatam esse hominum
naturam omnium,
Aliena melius ut videant & judicent, quam sua?
An eo fit, quia in re nostra, aut gaudio sumus
Præpediti nimio, aut ægritudine?

*Cognoscere seipsum debet unusquisque in actione propria, & adhuc admonitio lepidissima.*

*Horat. lib. 1. Satyr. 3.*

——Denique teipsum

Concute,

Concute, num tibi quid vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala. Namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.

*Persius Satyra* 1.

——Ne te quæsiveris extra.

*Idem Satyra* 3.

Disciteque, ô miseri, & causas cognoscite rerum,
Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ, quam mollis flexus, & unde,
Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
Utile numus habet, patriæ charisq; propinquis
Quantum elargiri deceat, quem te Deus esse
Jussit, & humana, qua parte locatus es in re
Disce.

*Idem* 4. *Satyr.*

Respice quod non es, tollet sua munera cerdo:
Tecum habita, & noris quam sit tibi curta supellex.

*Seipsum ignorare, & aliena scire vituperabile.*

*Juvenal. Satyr* 11.

—— Illum ego jure
Despiciam, qui scit quando sublimior Atlas
Omnibus in Libya sit montibus: hic tamen idem
Ignoret quantum ferrata distet ab arca
Sacculus è cœlo descendit γνῶθι σεαυτὸν
Figendum & memori tractandum pectore, sive
Conjugium quæras, vel sacri in parte senatus
Esse velis. Nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se traducebat Ulysses:
Ancipitem seu tu magno discrimine caussam
Protegere affectas, te consule, dic tibi quis sis
Orator vehemens an Curtius, an Matho. Buccæ
Noscenda est mensura tuæ, spectandaq; rebus
In summis, minimisq; etiam quum piscis emetur.

*Boet.* 2. *Cons.* 5.

Cæteris animantibus sese ignorare natura est
Hominibus vitio venit.

## DE COMMUNIONE RERUM.

*Communia naturaliter sunt omnia. De quo vide etiam titulum de Elementis.*

*Horat. Satyr.* 2. *lib.* 2.

Nam proprie telluris herum natura, neque illum,

Nec me, nec quenquam ſtatuit. Nos expulit ille,
Illum aut nequities, aut vaſri inſcitia juris:
Poſtremo expellet certe vivacior hæres.

*Communia erant omnia antiquitus.*

Seneca in Hippolyto.

—Hoc equidem reor
Vixiſſe ritu prima quos miſtos dies
Profudit: Nulla his auri fuit
Cæca Cupido, nullos in Campo ſacer
Diviſit agros arbiter populis lapis
Nondum ſecabant credule pontum rates.

*Virgil. lib.* 2. *Georg.*

Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni:
Nec ſignare quidem, aut partiri limine campum
Fas erat, in medium quærebant, &c.

---

## DE CONCORDIA.

*Concordia parvo dives eſt.*

*Silius Italicus lib.*9. *Bel. Pun.*

Velle ac nolle ambobus idem, ſociataq; læto
Mens ævo, ac parvis dives concordia rebus.

*Ad concordiam ſervandam exhortatio.*

*Titus Calphurnius Eclog.* 2.

Eſte pares, & ob hoc concordes vivite, nam vos
Et decor, & cantus, & amor ſociavit, & ætas,

*Claudia, in Epithal. Pal. & Ser.*

Vivite concordes, & noſtrum diſcite munus.

*Concordiæ maritalis deſcriptio.*

*Ovid. lib.* 8. *Metamorph.*

Sed pia Baucis anus, pariliq; ætate Philemon
Illa ſunt annis juncti juvenilibus, illa
Conſenuere caſu, paupertatemq; ferendo
Effecere levem, nec iniqua mente ferendam:
Nonq; refert dominos, illic, famuloſve requiras,
Tota domus duo ſunt iidemq; parentq; jubentq;.

*Horat.* 1. *Od.* 13.

Felices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulſos quærimoniis
Suprema citius ſalvit amor die.

## DE CONFESSIONE.

*Confeſſio peccati errative veniam impetrat.*
*Ovid. lib. 11. Metamorph.*

Mite Deum numen Bacchus peccaſſe fatentem
Reſtituit, factiq; fide data munera ſolvit.

*Idem lib. 10. Metamorph.*

Numen confeſſis aliquod patet.

*Quæ ſint confeſſionis impedimenta.*
*Terentius in Adelphis.*

Nunc illud, quod ſi omnes omnia ſua conſilia conferant,
Atq; huic malo ſalutem quærant, auxilii nihil adferant,
Tot res repente circumvallant, unde emergi non poteſt:
Vis, egeſtas, injuſtitia, ſolitudo, infamia.
Hoccine ſeculum; ô ſcelera, ô genera ſacrilega,

*Confeſſo peccata remittenda ſunt.*
*Horatius Satyr. 3. lib. 1.*

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum,
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius: æquum eſt
Peccatis veniam poſcentem reddere rurſus.

*Claud. in Epigram. ſatisfactionis.*

En adſum, & veniam confeſſus crimina poſco:
Manibus Hectoreis atrox ignovit Achilles:
Victrices furias matris placavit Oreſtes.
Reddidit Alcides Priamo quas ceperat arces.
Pellæum juvenem regum flexere ruinæ:
Darium famulis manibus doluiſſe peremptum
Fertur, & ingenti ſolatus fata ſepulchro,
Tradita captivo ſpatioſior India Poro,
Conditor hic patriæ, ſic hoſtibus ille pepercit,
Hunc virtus tua digna ſequi.

---

## DE CONSCIENTIA.

*Conſcientia bona aheneus eſt homini murus.*
*Horat. lib. 1. Epiſt. ad Mæcenatem.*

——At pueri ludentes, rex eris, aiunt,
Si rectè facies hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

*Ovid. lib. 4. Fastor.*

Conſcia mens recti fam æ mendacia ridet,
Sed nos in vitium credula turba ſumus.

*Plautus in Amph.*

Qui non deliquit, decet
Audacem eſſe, & confidenter pro ſe & proterve loqui.

*Conſcientiæ bona nihili facit infortunium non ſecus ac laurus fulmen.*

*Camer. Embl.*

Sic illæſa malis conſtat pulcherrima virtus
Laurus ut eſt diris integra fulminibus.

*Conſcientia ſtimulus nocentem aſſidue rodit.*

*Ovidius lib. 1. de Ponto.*

Eſtur ut occulta vitiata putredine navis,
Æquoreos ſcopulos ut cavat unda ſalis,
Roditur ut ſcabra poſitum rubigine ferrum,
Conditus ut tineæ carpitur ore liber,
Sic mea perpetuos curarum pectora morſus
Fine quibus nullo conficiantur habent.
Nec prius hi mentem ſtimuli, quàm vita relinquent,
Quiq; dolet, citius quàm dolor ipſe, cadet.

*Idem lib. 1 Faſtor.*

Conſcia mens ut cuiq; ſua eſt, ita concipit intra
Pectora, pro facto ſpemq; metumq; ſuo.

*Juvenalis 13 ſatyra.*

Exemplo quodcumq; malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori prima hæc eſt ultio, quod ſe
Judice nemo nocens abſolvitur, improba quamvis
Grafia fallacis prætoris vicerit urnam.
Quid ſentire putas omnes Calvine recenti
De ſcelere, & fidei violatæ crimine?

*Ibidem.*

Nullane perjuri capitis fraudiſq; nefandæ
Pœna erit? abreptum credo hunc & graviore catenæ
Protinus, & noſtro (quid plus velit ira?) necari
Arbitrio.

*Ibidem.*

——— Cur tamen hos tu
Evaſiſſe putes, quos dixi conſcia facti
Mens habet attonitos: & ſurdo verbere cadit
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multo ſævior illis,

Quas & Seditius gravis invenit & Rhadamanthus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

*Lucanus lib 7 bel.civil.*

Omnes in Cæsare manes
Hunc omnes gladii, quos aut Pharsalia vidit,
Aut ultrix visura dies stringente senatu.
Illa nocte premunt : hunc infera monstra flagellant.
Heu quantum misero pœnæ mens conscia donat.

*Seneca in Hippolyto.*

Quid pœna præsens, conscia mentis pavor,
Animusq; culpa plenus. & semet timens ?
Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.

*Plautus in Milite.*

At hoc me facinus miserum macerat,
Meumq; cor, corpusq; cruciat.

*Terentius in Andria.*

Vix sum apud me, ita animus commotus est metu:

*Statius lib. 3. Thebaid.*

——Invigilant animo, scelerisq; parati
Supplicium exercent curæ. Tunc plurima versat
Pessimus in dubiis timor.

*Plautus in Mustellaria.*

Nihil est miserius, quam animus hominis conscius.

## DE CONFORTATIONE.

*Lepidissima sui ipsius confortatio.*

*Ovid. lib. 5 de Tristibus.*

Quid dubitas, & tuta times ? accede, rogaque,
Cæsare nil ingens mitius orbis habet.

*Seneca in Hippolyto.*

Aude anime, tenta, perage mandatum tuum,
Intrepida constent verba, qui timide rogat
Docet negare.

*De confortatione afflictorum lege tit. de afflictione.*

## DE CONSILIO.

*Consilium bonum vel saluberrimum alteri impendere, & sibi non posse consulere flagitium est.*

*Terentius in Heauton.*

——Téne istuc loqui ?

Nonne flagitium eſt te aliis conſilium dare
Foris ſapere, tibi non poſſe te auxiliarier?
*Plaut. in Epidico.*
Quid faciam? men' rogas? tu quidem
Ante hac aliis ſolebas dare conſilia mutua.
*Salubre conſilium ægrotis ſani facilè dant, at ubi ipſi decumbunt, conſilio egent.*
Terentius in Andria.
Facile omnes quum valemus recta conſilia ægrotis damus:
Tu ſi hic ſis, aliter ſentias.
*Malum conſilium conſultori peſſimum.*
*Claudianus lib. 1. in Eutrop.*
Quam bene diſpoſitum terris, ut dignus iniqui
Fructus conſilii primis auctoribus inſtet.
Sic multos fluvio vates arente per annos.
Hoſpite qui cæſo monuit placare tonantem,
Inventas primum Buſiridis imbuit aras,
Et cecidit ſævi, quo dixerat, hoſtia ſacri.
Sic opifex tauri, tormentorumq; repertor,
Qui funeſta novo fabricaverat æra dolori,
Primus inexpertum Siculo cogente tyranno
Senſit opus, docuitq; ſuum mugire juvencum.
*Conſilium poſt facta inutile.*
*Ovid. lib. 2. de Ponto.*
Quum poteram recte tranſire Ceraunia velo
Ut fera vitarem ſaxa, monendus eram.
Nunc mihi naufragio quid prodeſt dicere facto
Qua mea debuerit currere cymba via?
*Conſilio prius quam armis ſapientem experiri decet.*
Terentius in Eunucho.
Omnia prius experiri conſilio quam armis ſapientem decet.
*Conſilium ex re capiendum eſt.*
*Ovid. lib. 1 Eleg. ſive am.*
Conſilium nobis reſque locuſque dabunt.
*Conſilia oportunitas ſuperat.*
Sopho. in Phil.
Momentum haud exiguum confert.
Rebus agendis oportunitas:
Conſilia omnia ſuperat.

## DE CONSOLATIONE.

*Consolandi sunt homines congruo tempore.*

*Ovid. 4. de Ponto.*

Temporis officium solatia dicere certi est
Dum dolor in cursu est, dum petit æger opem,
At quum longa dies sedavit vulnera mentis,
Intempestive qui movet illa novat.

*Consolari amicum scelus non est.*

*Ovid. 2. de Ponto.*

Nec scelus admittis, si consoleris amicum,
Mollibus & verbis aspera fata leves.

---

## DE CONSTANTIA.

*Constantia quibus instruat hominem.*

*Claud. 2. Paneg. in laud. Stilico.*

Constantia facile nequid,
Infirmumq; geras.

*Constantiæ maximæ æstimatio, exemplaque celeberrima.*

*Virgil. 4. Æneid.*

Mens immota manet, lacrymæ volvuntur inanes.

*Ovid. lib. 8. Metamorph.*

——Flamma Meleagrus ab illa
Uritur & cæcis torreri viscera sentit
Ignibus, ac magno superat virtute dolores.

*Ibidem libro 9.*

———— Nec tædia cœpti
Ulla mei capiam, dum spiritus iste manebit.

*Idem lib. 13. Metamorp.*

Fortis, & infœlix, & plusquam fœmina virgo,
Ducitur ad tumulum, diroq; fit hostia busto
Utere jamdudum generoso sanguine dixit,
Mors tantum vellem matrem mea fallere posset.

*Idem Epist. 15. Paris Helenæ.*

Nec piget, haud unquam stulte elegisse videbor
Permanet in voto mens mea firma suo.

*Idem lib. 5. de Tristibus Epistola loquitur de Ovidio.*

Fert tamen (ut debet) casus patienter amaros,
More nec indomiti frena recusat equi.

Nec fore perpetuam ſperat ſibi numinis iram,
Conſcius in culpa non ſcelus eſſe ſua.

*Horat. Oda 9. lib. 4.*

——Eſt animus tibi
Rerumq; prudens, & ſecundis
Temporibus, dubiiſq; rectus.

*Lucanus lib. 5. bel. civil.*

Intrepidus quæcumq; datis mihi numina mortem
Accipiam.

*Idem lib. 9 bel. civil.*

Ille Deo plenus tacita quem mente gerebat
Effudit dignus adytis è pectore voces.
Quid quæri Labiene jubes? an liber in armis
Occubuiſſe velim potius, quam regna videre?
An ſi vita nihil ſed longa? an differat ætas?
An noceat vis ulla bono? fortunaq; perdat
Oppoſita virtute minas? laudandaq; velle
Sit ſatis, & nunquam ſucceſſu creſcat honeſtum?
Scimus, & hoc nobis non altius inſeret Hammon.

*Silius Italicus lib. 1. belli puni.*

At pœni, ſuccenſa ira, turbataq; luctu,
Et ſævis gens læta, ruunt, tormentaq; portant.
Non ignes, candenſq; chalybs, non verbera paſſim
Ictibus innumeris lacerum ſcindentia corpus,
Carnificeſve manus penituſve infuſa medullis
Peſtis, & in medio lucentes vulnere flammæ
Ceſſavere ferum viſu dictuque, per artem
Sævitiæ extenti, quantum tormenta jubebant
Creverunt artus, atque omni ſanguine rupto
Oſſa liquefactis fumarunt fervida membris:
Mens intacta manet, ſuperat, ridetque dolores
Spectanti ſimilis, feſſoque labore miniſtros
Increpitat, dominique crucem clamore repoſcit.

*Statius lib. 2. Sylvarum.*

Eſt hic, quem gemimus fœlix, homineſq; deoſq;
Et dubios caſus, & cæcæ lubrica vitæ,
Effugit immunis fati, non ille rogavit,
Non timuit, metuitve mori.

*Idem lib. 5. ſylvarum de Priſcilla.*

Nec tamen hic mutata quies, probitaſve ſecundis
Intumuit, tener idem animus, moreſq; modeſti,
Fortuna creſcente manent.

*De Fabii maximi constantia pete titulum,*
*De adversitate.*

*Hanibalis constantiam Silius Italicus sic inter cætera lib. 3. bel. Pun describit.*

An Romanæ juga, & famulas Carthaginis arces
Perpetiar? stimulant manes, noctisq; per umbras
Increpitans genitor: stant aræ atque horrida sacra
Ante oculos brevitasq; vetat mutabilis hora
Prolatare diem. Et qui sim nesciat omnis
Gens hominum, lethiq; metu decora alta relinquam!
Quantum etenim distant à morte silentia vitæ?

*De Reguli constantia Horat. Oda 5. lib. 3. sic ait.*

Fertur pudicæ conjugis osculum,
Parvosq; natos, ut capitis minor
A se removisse, & virilem
Torvus humi posuisse vultum:
Donec labanteis consilio patres
Firmaret auctor, nunquàm alias dato,
Interq; mœrenteis amicos:
Egregius properaret exul.
Atqui sciebat, quæ sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimovit obstantes amicos,
Et populum reditus morantem:
Quàm si clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

*Reguli orationem in hunc modum Silius Italicus lib. 6. bel. Pun. describit.*

Tunc palmas simul attollens ac lumina cœlo:
Justitiæ rectiq; dator, qui cuncta gubernas
Nec levior mihi diva Fides, Surranaq; Juno,
Quos reditus testes jurata mente vocavi,
Sit mihi fas me digna loqui, Latiosque tueri
Voce focos. Ibo ad Tyrios non segnior, inquit,
Stante fide reditus, & salvo fœdere pœnæ.
Sic nobis rerum exitio desistite honorem
Tendere: tot bellis, totq; annis fregimus ævum,
Nunc etiam vinclis, & longo carcere torpent

Capti

Captivo in ſenio vires: fuit ille, nec unquam
Dum fuit à duro ceſſavit munere Martis
Regulus,exangui ſpectatis corpore nomen,
At non Carthago fraudem domus, inſcia quantum
E nobis reſtet,juvenes parat aſpera ferro
Pectora captivos noſtra penſare ſenecta.
Ite dolos contra,genſq; aſtu fallere, læta
Diſcat me capto, quantum tibi Roma ſuperſit.
Nec vero placeat, niſi quæ de morte parentum
Pax erit, expoſcunt Libyci,nobiſque dedere
Hæc referenda pari libeat ſi pendere bellum
Fœdere, & ex æquo geminas conſcribere leges,
Sed mihi ſic ſtygios ante intraviſſe penates,
Talia quam videam ferientes pacta Latinos,
Hæc fatus Tyriæ ſeſe jam reddidit iræ.

*De Scævolæ conſtantia ſic Martial lib. 1.Epig.*

Dum peteret regem decepta ſatellite dextra
  Injecit ſacris ſe peritura focis.
Sed tam ſæva pius miracula non tulit hoſtis,
  Et raptum flammis juſſit abire virum:
Urere quam potuit contempto Mutius igne,
  Hanc ſpectare manum Porſena non potuit,
Major deceptæ fama eſt & gloria dextræ,
  Si non erraſſet, fecerat illa minus.

*De eodem & Silius Italicus lib. 9. bell. Pun. Scipionis conſtantiam exprimit Silius Italicus. lib. 13. his verbis.*

Tum juvenis, quæcumq; datur ſors durior ævi,
Obnitemur, ait,culpa modo pectora ceſſent.

*Idem de Camilli Conſtantia, lib. 7. ait.*

——Quantus qualiſq; fuiſti,
Quum pulſus lare & extorris Capitolia curru
Intrares exul,tibi corpora cæſa Camille
Damnata quot ſunt dextra? peccata fuiſſent
Ni conſulta viro, menſq; impenetrabilis iræ:
Mutaſſentq; ſolum ſceptris Æneia regna,
Nullaq; nunc ſtares terrarum vertice Roma.

*Cochlitis conſtantiam & fortitudinem idem his verbis lib.* 13. adumbrat.

——Tulit ire ruentem

Tybridis in ripas regem, ſolusq; revulſa
Pone ferox ponte excluſit redeuntia regna.

*Conſtans eſt, qui adverſa æquè ac proſpera æquanimiter ſuffert.*

*Horat. Oda* 10. *lib.* 2.

Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem bene præparatum
Pectus.

*Conſtantem virum blanda non movens verba, moraliter.*

*Virgil. lib.* 3. *Geor.*

Non umbræ altorum nemorum, non mollia poſſunt
Prata movere animum.

---

## DE CONTAGIONE.

*Contagia ſunt vitanda: nam multa mala inferre ſolent.*

*Ovid. lib.* 2. *de Rem. Amor.*

Siquid amas, nec vis facias contagia vites.
Hæc etiam pecori ſæpe nocere ſolent.
Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi;
Multaq; corporibus tranſitione nocent.
In loca nonnumquam ſiccis arentia glebis
De prope currenti flumine manat aqua.

*Juvenalis ſatyra* 2.

——Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures. Sicut grex totus in agro
Unius ſcabie cadit & porrigine porci,
Unaq; conſpecta livorem ducit ab uva.

*Virgil. Eclog.* 1.

Nec mala vicini pecoris contagia lædent.

*Ovid.* 3 *de Ponto.*

Quis non è timidis ægri contagia vitat
Vicinum metuens ne trahat inde malum?

*Contagia malorum hominum nihil nocent purè ac benè viventi.*

*Paulinus ad Auſo.*

Non recipit mens pura malum, neq; lævibus hærent
Inſperſæ fibris maculæ, ſi Vaſcone ſaltu
Quiſquis agit purus ſceleris vitam inter iniquos,
Nulla ab inhumano morum contagia ducit
Hoſpite.

## DE CONVITIO:

*Convitium indignis si dicitur, maledictum: si verò dignis, benedictum esse dicitur.*

*Plautus in Curcul.*

Indignis si malè dicitur, maledictum id esse dico:
Verum si dignis dicitur benedictum'st meo quidem animo

## DE CORRECTIONE.

*Corrigere opus aliquod, quam scribere laboriosius*

*Ovid. lib. 1. de Ponto.*

Quum relego, scripsisse pudet, quia plurima cerno
Me quoque, qui feci judice, digna lini.
Nec tamen emendo: labor hic quum scribere major,
Mensq; pati durum, sustinet ægra nihil.

*Idem lib. 3. de Ponto.*

Scribentem juvat ipse favor, minuitq; laborem
Cumq; suo crescens pectore fervet opus.
Corrigere at res tantò magis ardua, quantò
Magnus Aristarcho major Homerus erat.

## DE CREDULITATE.

*Credendum cito non est.*

*Owen.*

Qui cuivis quidvis credit, malè creditur illi
Quo credis mihi plus hoc tibi credo minus.

*Ovid. lib. 3. de Arte Amandi.*

Nec cito credideris: quantum cito credere lædat,
Exemplum vobis non leve Procris erit.

*Nulla res tam facilis est, quin initio difficilis sit creditu.*

*Lucretius lib 2. de natura rerum.*

Sed neque tam facilis res ulla'st, quin ea primum
Difficilis magis ad credendum constet. Itemq;
Nil adeo magnum, neq; tam mirabile quicquam
Quod non paulatim minuant mirarier omnes.

*Propriæ potius conscientiæ credendum, quam alterius encomio.*

*Horat. lib 1. Epist. ad Quintium.*

Tu rectè vivis, si curas esse, quod audis.

Jactamus jampridem omnis te Roma beatum.
Sed vereor ne cui de te plus, quam tibi credas,
Neve putes alium ſapiente, bonoq; beatum.

*Credibilia, ſcilicet credenti nihil nocet,*
*Ovid. 2. lib. Eleg.*

——At vos quod quiſq; loquatur
Credite, credenti nulla procella nocet.

*Idem lib. 3. de Triſtib.*

Vix equidem credar, ſed quum ſint præmia falſi
Nulla, ratam debet teſtis habere fidem.

---

## DE CRUDELITATE.

*Crudelitatis maximæ intimatio.*
*Ovid Epiſt. 7. Heroidum.*

Te lapis & montes, innataq; rupibus altis
Robora: te ſævæ progenuere feræ.

*Idem lib. 3. de Triſtib. contra inſultantem exilio ſuo.*

Sævior es triſti Buſiride, ſævior illo
Qui falſum lento torruit igne bovem.
Qui q; bovem Siculo fertur donaſſe tyranno,
Et dictis artes conciliaſſe ſuas.

*Lucanus lib 2. bell. civil.*

——Quid ſanguine manes
Placatos Catuli referam? quum victima triſteis
Inferias Marius, forſan nolentibus umbris
Pendit in expleto non fanda piacula buſto:
Quum laceros artus, æquataq; vulnera membris
Vidimus, & toto quamvis in corpore cæſo,
Nil animæ læthale datum, moremq; nefandæ
Dirum ſævitiæ pereuntis parcere morti.
Avulſæ cecidere manus, exectaq; lingua
Palpitat, & muto vacuum ferit aera motu.
Hic aures, alius ſpiramina naris aduncæ
Amputat, ille canis evolvit ſedibus orbes,
Ultimaq; effodit, ſpectatis lumina membris.
Vix erit ulla fides tam ſævi criminis unum
Tot pœnas cepiſſe caput, ſic mole ruinæ
Fracta ſub ingenti miſcentur pondere membra.
Nec magis informes veniunt ad littora trunci
Qui medio periere freto.

*Claud. lib. 1. in Ruffinum.*

—— Quis prodere tanta relatu
Funera? quis cædes posset deflere nefandas?
Quid tale immanes unquam gessisse feruntur,
Vel Scinis Isthmiaca pinu, vel rupe profunda
Scyron, vel Phalaris tauro, vel carcere Sylla?
O mites Diomedis equi, Busiridis aræ
Clementes! Jam Cinna pius, jam Spartace lenis
Ruffino collatus eris.

*De Tulliæ Servii Tullii filiæ crudelitate (quæ per patris cadaver carpentum, in quo sedebat, ire coëgit) sic scribit Ovid. lib. 6. Fast.*

Filia carpento patrios initura penates,
 Ibat per medias alta feroxq; vias,
Corpus ut aspexit, lacrymis auriga profusis
 Restitit: hunc tali corripit illa sono,
Vadis, an expectas pretium pietatis amarum?
 Duc, inquam, invitas ipsa per ora rotas.
Certa fides facti est, dictus Sceleratus ab illa
 Vicus, & æterna res ea pressa nota est.

*Ob hoc tam immane facinus Tullia non solum hic punita est, sed & in inferno acerrimas pœnas sustinet.*

*Seneca in Octavia.*

———— Dedit infandi
Sceleris pœnas cum Tarquinio
Tullia conjunx, quæ per cæsi
Membra parentis egit sævos
Impia currus, laceroq; seni
Violenta rogos nata negavit.

*Silius Italic. lib. 3. bel. Pun.*

Quum subito aspectu turbatus Scipio poscit.
Quæ pœnæ caussa, & qui sint in crimine manes.
Tum virgo patrios fregit quæ curribus artus,
Et stetit adductis super ora trementia frenis
Tullia, non ullos satis exhaustura labores,
Ardenti Phlegethonte natat, fornacibus atris
Fons rapidus furit, atque ustas sub gurgite cautes
Egerit, & scopulis pulsat flagrantibus ora.

*Ovidius lib. 1. Eleg. de Eriphyla à filio interempta.*

Ex quibus exierat, trajecit viscera ferro.

Filius

Filius, & pœnæ caussa monile fuit:

*Silius Italicus lib. 6. bel. Punic. de Pœnorum in Regulum civem Romanum crudelitate inter alios sic ait.*

Præfixo paribus ligno mucronibus omnes
Armantur laterum crates, densusq; per artem
Texitur erecti stantisque ex ordine ferri
Infœlix stimulus, somnusq; hac fraude negatus:
Quoscunque inflexus producto tempore tortor
Inclinavit iners, fodiunt ad viscera corpus.

*De Syllæ crudelitate sic Lucanus lib. 2. bel. civil.*

Sylla quoque immensis accessit claudibus ultor.
Ille quod exiguum restabat sanguinis urbi
Hausit, dumq; nimis jam putrida membra recidit,
Excessit medicina modum, nimiumq; sequuta est:
Qua morbi duxere manus, periere nocentes.
Sed quum jam soli possent superesse nocentes.
Tunc data libertas odiis, resolutaq; legum
Frænis ira ruit, non uni cuncta dabantur,
Sed fecit sibi quisque nefas semel omnia victor
Jusserat, infandum domini per viscera ferrum
Exegit famulus, nati maduere paterno
Sanguine: certatum est, cui cervix cæsa parentis
Cederet. in fratrum cecinerunt præmia fratres,
Busta repleta fuga permistaq; viva sepultis
Corpora, nec populum latebræ cepere ferarum,
Hic laqueo fauces, elisaq; guttura fregit,
Hic se præcipiti jaculatus pondere, dura
Dissiluit percussus humo, mortesq; cruento
Victori rapuere suas, hic robora busti
Extruit ipse sui, nec dum omnia sanguine fuso.
Desilit in flammas & dum licet occupat ignes.
Colla ducum pilo trepidam gestata per urbem.
Et medio congesta foro, cognoscitur illic
Quicquid ubiq; jacet scelerum: non Thracia tantum
Vidit Bistonii stabulis pendere Tyranni
Postibus Antæi Libyæ, nec Græcia mœrens
Tot laceros artus Pisæa flevit in aula,

*Crudelitatis reprehensio perpulchra. Ovid. lib. 5. de Tristib.*

Quæ tibi res animos in me facit improbe? curvo

Casibus

Caſibus inſultas, quos potes ipſe pati?
Nec mala te reddunt mitem placitumve jacenti
Noſtra, quibus poſſunt illacrymare feræ?
Exiget ad dignas ultrix Rhamnuſia pœnas.
Impoſito calcas quod mea facta pede.

*Idem lib. 7. Metamorph.*

Dii te ſummoveant, ô noſtri infamia ſecli,
Orbe ſuo, telluſque tibi, pontuſque negetur.

*Ad crudelitatem deponendam exhortatio.*

*Martialis lib 9. Epigr.*

Deponas animos truces monemus.

*Crudelis exiſtens multos caveat.*

*Auſonius in ſenten. Periandri.*

Multis terribilis, caveto multos.

---

## DE CULPA.

*Culpæ conſcius dum reprehenditur pallet, ſtupet ac tacet.*

*Ovid. lib. 2 Metamorph.*

Heu quam difficile eſt crimen non prodere vultu!

*Horat. lib. Epodon.*

Furor ne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? reſponſum date
Tacent, & ora palior albus inficit,
Menteſque perculſæ ſtupent.

*Juvenalis ſatyra 1.*

Enſe velut ſtricto, quoties Lucidius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens eſt.
Criminibus tacita ſudant præcordia culpa:
Inde iræ & lacrymæ.

*Seneca in Oedipo.*

Effare dubitas? cur genas mutat color
Quid verba quæris? veritas odit moras.

*Culpa cui objecta eſt omne, quod dubium putat, odit.*

*Seneca in Oedipo.*

—Quiſquis in culpa fuit,
Demiſſus omne odit quod dubium putat.

*Culpa nemo carere dicitur.*

*Terentius in Hecyra.*

Mulier fecit. Mirandum ne id eſt? cenſen' te poſſe
Ullam reperire mulierem, quæ careat culpa?

An

An quia non delinquunt viri?

*Culpa vacans confidenter pro se loqui debet.*

*Plautus in Amphytrione.*

Mulier es, audacter juras. ALC. Quæ non deliquit decet
Audacem esse: confidenter pro se, & protervè loqui.

*Idem in Captivis.*

Decet innocentem servum, atque innoxium
Confidentem esse suum apud herum potissimum.

*Culpa si non reciditur supplicio, nihil prosunt tristes querimoniæ.*

*Horat. Oda 24. lib. 3.*

Quid tristes querimoniæ,
Si non supplicio culpa reciditur?

*Culpa secunda pœnam meretur.*

*Ovid. Amor. 19.*

—Pœnam culpa secunda ferat.

## DE CUPIDITATE.

*Cupiditas sedes jecur.*

*Claud. de 4. Honorii consf.*

At sibi cuncta petens, nil collatura cupido
In jecur, & tactus imos compulsa recessit.
Quæ velut immanes reserat dum bellua rictus
Expleri passiq; nequit, nunc verbere curas
Torquet avaritiæ, stimulis nunc flagrat amorum,
Nunc gaudet, nunc mœsta dolet satiataque rursus
Exoritur, cæsaque redit pollentius hydra.

*Cupiditas divitiarum malorum ferè omnium caussa est.*

*Sophoc. Antigon.*

Nihil hominibus perinde noxium:
Evertit urbes propriis è sedibus,
Domoque cives excutit; docet, animos
Mutat bonos, ut se ad malas res applicent:
Fallacias quas vis struere quibus libet.
In rebus omnibus agere impie.

*Virgil. lib. 3. Æneid.*

—Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Ovid.

*Ovid. lib 3. Metamorph.*

Consilium sapiens? sceleris nisi præmia magnas
Adjecisset opes animi irritamen avari.

*Horat. Oda 16. lib. 3.*

——Concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
De mersa excidio. Et diffidit urbium
Portas vir Macedo, & subruit æmulos
Reges muneribus munera navium.
Sævos illaqueant duces.

*Juvenalis Satyra 11.*

Inde ferè scelerum caussæ, nec plura venena
Miscuit aut ferro grassatur sæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quàm sæva cupido
Indomiti census. Nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri: sed quæ reverentia legum,
Quis metus, aut pudor est unquam properantis avari.

*Seneca in Hippolyto.*

Rupere fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps.

*Plautus in Captivis.*

Odi ego aurum, multa multis sæpe suasit perperam.

*Lucret. lib. 3. de rerum natura.*

Denique avaritiis, & honorum cæca cupido,
Quæ miseros homines cogunt transcendere fines
Juris & interdum socios scelerumque ministros
Noctes atque dies niti præstante labore
Ad summas emergere opes.

*Idem lib 5.*

———Nunc aurum & purpura curis
Exercent hominum, vitam, belloque fatigant.

*Silius Italic. lib. 3. bel. Pun.*

Prodigere in bellum facilis præmissa feroces
Augebant animos argenti pondera, & auri.

*Cupiditas habendi maximè crevit.*

*Virgil de Ætna.*

———Subter
Scrutamur rimas, evertimus omne profundum.
Quæritur argenti semen nunc aurea vena

*Boëtius metro 5. lib. 2.*

Sed sævior ignibus Ætnæ

Fervens

Fervens amor ardet habendi.

*Cupiditas hominum finem non habet.*

*Ovid. lib. 1. Fastorum.*

Vix ego Saturno quenquam regnante videbam,
Cujus non animo dulcia lucra forent.
Tempora crevit amor, qui nunc est summus, habendi:
Vix ultra quo jam progrediatur habet.
Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis,
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit.
Ast postquam fortuna loci caput extulit hujus,
Et tetigit summos vertice Roma deos,
Creverunt & opes, & opum furiosa libido:
Et quum possideant plurima plura petunt.
Quærere ut absumant absumptare quirere certant.
Atque ipsæ vitiis sunt alimenta vices.
Sic quibus intumuit suffusa venter ab unda,
Quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.

*Idem lib. 2. eleg.*

Venator sequitur fugientia, capta relinquit
Semper: & inventis ulteriora petit.

*Juvenalis satyra 14.*

Interea pleno quum turget sacculus ære,
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit,
Et minus hanc optat, qui non habet, ergo paratur
Altera villa tibi, quum rus non sufficit unum:
Et proferre libet fines: majorque videtur,
Et melior vicina seges, mercaris & hanc, &
Arbusta, & densa montem qui canet oliva.

*Martialis lib. 12. Epigram.*

Habet Aphricanus millies, & tamen captat:
Fortuna multis nimis dat, satis nulli.

*Homines cupiditate habendi cæcati, utilia nocitave non cernunt.*

*Ovid. lib. 11. Meta. de Midæ voto, ut omnia quæ tangeret in aurum mutarentur.*

Huic Deus optanti gratum, sed inutile fecit
Muneris arbitrium gaudens altore recepto.
Ille male usurus donis, ait: effice quicquid
Corpore contigere fulvum vertatur in aurum.
Annuit optatis, nocituraque munera solvit
Liber, & indoluit quod non meliora petisset.

Lætus abit, gaudetque malo Berecynthius heros,
Pollicitique fidem tangendo singula tentat.
Tum vero sive ulla sua Cerealia dextra
Munera contigerat, Cerealiæ dona rigebant.
Sive dapes avido convellere dente parabat.
Lamina fulva dapes admoto dente premebat,
Miscuerat puris auctorem muneris undis,
Fusile per rictus aurum fluitare videres.
Attonitus novitate mali, divesque miserque
Effugere optat opes, & quæ modo voverat odit.
Copia nulla famem relevat, sitis arida guttur
Urit, & inviso meritus torquetur ab auro.

*Lucretius lib. 4. de nat. rerum.*

Non faciunt homines plerumque cupidine cæci,
Et tribuunt ea, quæ non sunt sibi commoda verè.

*Cupiditas regnandi malum habet.*
*Maphæus Vegius lib. 13. Æneid. Virgil. addito.*

—Quantos humana negotia motus
Alternasque vices miscent? quo turbine fertur
Vita hominis? O fragilis damnosa superbia sceptri,
O furor, ô nimium dominandi innata cupido,
Mortales quo cæca vehis? quo gloria tantis
Inflatos transfers animos quæsita periclis?
Quot tecum insidias? quot mortes? quanta malorum
Magnorum tormenta geris? quot tela? quot enses,
Ante oculos si cernis, habes? heu dulce venenum?
Et mundi lethalis honos, heu tristia regni
Munera, quæ haud parvo constent: & grandia rerum
Pondera, quæ nunquam placidam promittere pacem
Nec requiem conferre queant? heu sortis acervæ
Et miseræ regale decus: magnoque timori
Suppositos regum casus, pacique negatos.

*Cupiditatem Alexandri Magni his verbis Juvenalis saty. 10. perstringit.*

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis,
Æstuat infœlix angusto limite mundi,
Ut Gyaræ clausus scopulis, parvaque Seripho,
Cum tamen à figulis munitam intraverit urbem,
Sarchophago contentus erit.

*Cupidus timidusque catena in nectit qua trahi valeat.*

Boëtius

*Boëtius metro 4. lib. 1.*

At quisquis trepidus pavet vel optat
Quod non sit stabilis, suique juris
Adjecit clypeum, locoque motus
Nectit, qua valeat trahi, catenam.

*Cupidorum castigatio accommodata.*

*Juvenalis Satyra 3.*

——— Tanti tibi non sit opaci
Omnis arena Tagi, quodq; in mare volvitur aurum
Ut somno careas, ponendaque præmia sumas
Tristis, & à magno semper timearis amico.

---

## DE CURIS.

*Inanis hominum curæ taxatio.*

*Persius satyra 1.*

O curàs hominum, ô quantum est in rebus inane!

*Cura interdum nulla arte nisi mora est medicabilis.*

*Ovid. lib. 1. de. Ponto.*

Cura quoque interdum nulla medicabilis arte:
Aut si sit longa est attenuanda mora.

*Curæ animo inclusæ affligunt magis quam propalatæ.*

*Statius lib. 3. Thebai.*

Invigilant animo sceleris parati
Supplicium exercent curæ.

*Seneca in Medea.*

Nulla vis flammæ, tumidique venti
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta quum conjuux viduata cedis
Ardet & odit.

*Curæ hominum opibus haud levantur, sed crescunt magis.*

*Horat. Oda 15. lib. 2.*

Non enim gazæ, neque consularis
Submovet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.

*Idem Oda 1. lib. 3.*

———Timor & minæ
Scandunt eodem quo Dominus, neque
Decedit ærata triremi: &

Post equitem sedet atra cura.

*Idem Oda 16. lib. 3.*

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumque fames.

*Tibullus Eleg. lib. 3.*

Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri,
Arvaque si findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis
Tænare sive tuis, sive Chariste tuis?
Et nemora in domibus sacros immitantia lucos,
Aurataeque trabes, marmoreumque solum?
Quidvæ in Erythræo legitur quæ littore concha,
Tinctaque Sydonio murice lana juvat?
Et quæ præterea populus miratur in illis,
Invida quæ falso plurima vulgus amat?
Non opibus mentes homini, curæque levantur,
Nam fortuna sua tempora lege gerit.

*Claud. lib. 2. in Ruffinum.*

At procul exanguis Ruffinum perculit horror:
Infectæ pallore genæ, stetit ore gelato
Incertus peteretne fugam, veniamne subactus
Poscret, an tantos sese transferret in hostes.
Quid nunc divitiæ? quid fulvi vasta metalli
Congeries? quid purpureis effulta columnis
Atria? prolatæva juvant ad sydera moles?
Addit, iter numeratque dies spatioque viarum
Metitur vitam, torquetur peste futura:
Nec recipit somnos, & sæpe cubilibus amens
Excutitur pænamque luit formidine pœnæ.

## DE CURIOSITATE.

*Curiosus alienas res procurat.*

*Plautus in Sticho.*

Sed curiosi sunt hic quàm plures mali,
Alienas res qui curant studio maxumo,
Quibus ipsis nulla est res, quam procurent, sua.

*Terent. in Andria*

More hominum evenit, ut quid sum nactus mali
Prius rescires tu, quam ego illud, quod tibi evenit
boni.

*Curiosus nullus est qui malevolus non sit.*

*Plautus in Sticho.*

Nam curiosus nemo est, qui non sit malevolus.

## D

## DE DAMNATIS.

*Damnati multi, electi vero pauci.*
*Virgil. 6. Æneid.*

—Pauci quos æquus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.

*Damnati quietem optant, sed Dei lex justitiaque vetant.*
*Horat. lib. Epod. Oda 17.*

Optat quietem Pelopis infidi pater
Egens benignæ Tantalus semper dapis.
Optat Prometheus obligatus aliti.
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum, sed vetant leges Iovis.

*Damnatorum pœnæ diversæ innumerabiles, atque perpetuæ sunt.*
*Ovid in Ibid*

Noxia mille modis lacerabitur umbra, tuasque
Æacus in pœnas ingeniosus erit.
Nec mortis pœnas mors altera finiet hujus,
Horaque erit in tantis ultima nulla malis.
Nec mala voce mea poterunt tua cuncta referri,
Ora licet tribuas multiplicata mihi.

---

## DE DECEPTIONE.

*Deceptus semel veretur etiam non verenda.*
*Plautus in Captivis.*

Nunc certum est nulli post hæc quicquam credere,
Satis sum deceptus semel.

*Ovid. lib. 2. de Ponto ad Atticum.*

Proxima subsequitur quid agas audire voluntas:
Et modo quicquid agas sit tibi cura mei.
Nec dubito quin sit, sed me timor ipse malorum
Sæpe supervacuos cogit habere metus.
Da veniam quæso, nimioque ignosce timori:
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.

*Ibidem.*

Membra reformidant mollem quoq; saucia tactum,
Vanaque

Vanaque sollicitis incitat umbra metum.
Sic ego fortunæ telis confixus iniquis,
Pectore concipio nil nisi triste meo.

*Decipi te potius sinas quam tu alios fallas.*
*Seneca in Thebaid.*

Quoties necesse est fallere, aut falli à suis,
Patiare potius ipse, quam facias scelus.

---

## DE DELITIIS.

*Delitiis ad astra non itur.*
*Seneca in Hercule furente.*

Non est ad astra mollis è terris via.

*Ovid lib. ult. de Trist. Eleg. 3.*

Ipse quoque æthereas meritis invectus es arces,
Quo non exiguo facta labore via est.

*Delitiosorum intimatio perpulchra, seu potius reprehensio notabilis.*
*Juvenalis satyra 13.*

Te nunc delitias extra communia censes
Ponendum: quia tu gallinæ filius albæ.
Non viles pulli nati infelicibus ovis.

---

## DE DESIDIA,

*Desidia Ægistho caussa adulterii fuit.*
*Ovid. lib. 1 de Remed. amoris.*

Quæritur, Ægisthus quare sit factus adulter,
In promptu caussa est, desidiosus erat.
Pugnabant alii tardis apud Ilion armis,
Quo tulerat vires Græcia tota suas.
Sive operam bellis velit dare, nulla gerebat,
Sive foro, vacuum litibus Argos erat.
Quod potuit fecit: ne nil ageretur, amavit.
Sic venit ille puer, sic puer ille manet.

*Desidiam vitare qui cupit, amet.*
*Ovid. lib. 1 Eleg. sive Amo.*

Qui non vult fieri desidiosus, amet.

*Nam inertes amor odit, ut supra titulo De amore ostensum est prolixius.*

## DE DESPERATIONE.

*Non est desparandum in adversis.*

*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

Confugit interdum templi violator ad aram,
Nec petere offensi numinis horret opem.

*Anshelm. in Mon.*

Non læta extollant animum nec tristia frangant.

*Seneca in Medea.*

Qui nil potest sperare, desperet nihil.

*Despera io audaces homines reddit.*

*Ovid. 2 de Ponto.*

Qui rapitur fatis, quid præter fata requirit?
Porrigit ad spinas, duraq; saxa manus.
Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales,
Audet in humanos fessa venire sinus,
Nec se vicino dubitat committere tecto
Quæ fugit infestos territa cerva canes.

*Desperare salutem nonnunquam solatio est.*

*Ovid. 3. de Ponto.*

Proximus huic gradus est bene desperare salutem;
Seq; semel vera scisse perisse fide.

## DE DETRACTORIBUS.

*Detractores bonum quemque corrumpere student, possuntque.*

*Terentius in Andriæ prologo.*

Id isti vituperant factum, atque in eo disputant,
Contaminare non decere fabulas.
Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant,
Dehinc ut quiescant porro moneo: & desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua.

*Terentius in Phormione.*

——— Nihil est Antipho.
Quin male narrando possit depravarier
Tu quod boni est excerpis, dici quod mali est,

*Detractores fugiendi sunt summopere.*

*Horat. satyra 4. lib. 1.*

——— Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum famamq; dicatis
Fingere qui non visa potest, commissa tacere

Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caveto,

*Idem lib. 1 Epist. ad Lollium.*

Ut penitus notum si tentet crimina serves,
Tuterisq; tuo fidentem præsidio: qui
Dente Theonino quum circumroditur, ecquid
Ad te post paulo ventura periculo sentis?
Nam tua res agitur, paries quum proximus ardet
Et neglecta solent incendia sumere vires,

*Detractores muribus similes sunt, eo quod alienum cibum, id est, famam, assidue rodunt, id est, deturpant.*

*Plautus in Captivis*

Quasi mures semper edimus alienum cibum,
Ubi res prolatæ sunt, quum rus homines eunt,
Simul prolatæ sunt nostris dentibus.

*Detractorum admonitio lepidissima, ut à sua desistant detractione.*

*Horatius Epodon. lib. Oda 6.*

Cave cave, namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua:
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bubalo.
An si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

*Vide item tit. de Alienis, de Mævio, qui Nævium teste Horat lib. 1. sat: 3 carpserat.*

*Martialis lib. 6 Epigr.*

Audes præterea, quos nullus noverit, in me
Scribere versiculos, miseras & perdere chartas.
At si quid nostræ tibi bilis inusserit ardor,
Vives, & hærebit, totoque legetur in orbe,
Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte:
Sed miserere tui, rabido nec perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.
Sit placidus licet, & lambant digitosq; manusque:
Si dolor & bilis si justa cc[illegible] erit ira,
Ursus erit, vacua dentes [illegible] fatiges,
Et tacitus quæras, quam [illegible] dere carnem,

*Terentius in E[illegible] o.*

Nullum est jam dictum quod non dictum sit prius,
Quare æquum est vos cognoscere atque ignoscere.

DE

## DE DEO.

*Deus creator gubernatorque omnium rerum est.*

*Boetius metro. 3. lib. 1.*

O stelliferi conditor orbis,
Qui perpetuo nexus solio
Rapido cælum turbine versas,
Legemq; pati sydera cogis:
Tu frondifluæ frigore brumæ
Stringis lucem breviore mora:
Tu quum fervida venerat æstas,
Agiles noctis dividis horas,
Tua vis varium temperat annum:
Ut quas Boreæ spiritus aufert,
Revehat mitis Zephyrus frondes.
Quæque Arcturus semina vidit,
Sirius altas urat segetes.
Nihil antiqua lege solutum
Linquis propriæ stationis opus:
Omnia certo fine gubernas.

*Deum fecisse omnia ex quodam chao quidam asserunt, sed falso, quum veritas doceat omnia ex nihilo esse producta.*

*Ovid lib. 1. Metamorph.*

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cœlum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigestaq; moles,
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaq; eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum, &c.
Hanc Deus & melior litem natura diremit:
Nam cœlo terras, & terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab aëre cælum,
Quæ postquam evolvit, cæcoq; exemit acervo,
Dissociata locis concordi pace ligavit.

*Reliqua suis locis patebunt.*

*Ibidem lib. 1. Fastor.*

Me Chaos antiqui (nam sum res prisca) vocabant:
Aspice quam longi temporis acta canam:
Lucidus hic aër, & qui tria corpora restant,
Ignis, aqua, & tellus unus acervus erant.
Ut simul hæc rerum secessit lite suarum,
Inque novas abiit massa soluta domos, &c.

*Vide item Claudianum de laude Stiliconis 2 lib. tit. de Clementia.*

*Deum autem gubernare omnia, passim auctores tradunt.*

*Horat. Oda 12. lib. 1.*

—Qui res hominum ac Deorum,
Qui mare & terras variisq; mundum
Temperat horis.

*Virgil. Ecloga* 8.

Nec curare Deum credis mortalia quenquam?

*Horat, Oda 4. lib.3.*

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & urbes, regnaq; tristia,
Divosq; mortalesq; turbas,
Imperio regit unus æquo.

T*itus Calphurnius Eclog.* 4

—Deus ipse canatur,
Qui populos urbesq; regit, pacemq; togatam.

*Seneca in* Hi*ppolyto.*

O magna parans natura Deum,
Tuq; igniferi rector Olympi,
Qui sparsa cito sydera mundo,
Cursusq; vagos rapis astrorum,
Celerique polos cardine versas,
Cur tibi tanta est cura perennes
Agitare vias ætheris alti?
Ut nunc canæ frigora brumæ
Nudent sylvas,
Nunc arbustis redeant umbræ:
Nunc æstivi colla leonis
Cererem magno fervore coquant:
Vires suas temperet annus?

*Boëtius Metro 6. lib* 4.

[illegible]tet interea conditor altus,
[illegible]egumq; regens flectit habenas,
[illegible]ex & dominus, fons & origo,
[illegible]ex et sapiens arbiter æqui,
[illegible]t quæ motu concitat ire.
[illegible]stit retrahens, ac vaga firmat
[illegible]am nisi tectos revocans ictus,
[illegible]exos iterum cogat in orbes,
[illegible]æ nunc stabilis continet ordo,

Dissepta sua fonte fatiscant.

*Silius Italicus lib.6. bel.pun.*

Justitiæ, rectiq; dator, qui cuncta gubernas.

*Statius lib. 5. Thebaid.*

—Cuncta hæc superum demissa supremæ
Mente fluunt.

*Manilius lib 1. Astronomicôn.*

Ac mihi tam præsens ratio non ulla videtur,
Qua patet mundum divino numine verti,
Atque ipsum esse Deum, nec forte coisse magistra,
Ut voluit credi, qui primus mœnia mundi
Seminibus struxit minimis, inq; illa resolvit,
Æquis & maria & terras, & sydera cœli,
Ætheraq; immensos fabricantem finibus orbes,
Solventemq; alios, constare, & cuncta reverti
In sua principia & rerum mutare figuras.
Quis credat tantas operum sine numine moles
Ex minimis, cæcoq; creatum fœdere mundum?
Si fors ista dedit nobis, sors ipsa gubernet.
At cur dispositis vicibus consurgere signa:
Et velut imperio præscriptos reddere cursus
Cernimus, ac nullis properantibus ulla relinqui?
Cur eadem æstivas exornant sydera noctes
Semper, & hybernas eadem, certamque figuram
Quisque dies reddit mundo, certamq; relinquit.

*Claud. lib. 1. in Ruffinum.*

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu:
Nam quum dispositi quæsissent fœdera mundi,
Præscriptosq; maris fines, anniq; meatus,
Et lucis noctisq; vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sydera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qni variam Phœben alieno jusserit igne
Complere, solemq; suo, porrexerit undis
Littora, tellurem medio libraverit axe.

*Deus immobilis cuncta movet, seu moveri facit.*

*Seneca in Thyeste.*

Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

*Boëtius Metro 9. lib. 3.*

O qui perpetua mundum ratione gubernas
Terrarum cœliq; sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes stabilisq manens das cuncta moveri,
Quem non externæ populerunt fingere caussæ
Materia fluitantis opus, verum insita summi
Forma boni, livore carens.

*Plautus in Rudente.*

Qui gentes omnes, mariaq; & terras movet,
Ejus sum civis civitate cœlitum, &c.

*Manilius lib. 1. Astronomic.*

——Deus est qui non mutatur in ævo:
Nunquam transversus solem decurrere ad arctos,
Nec mutare vias, & in ortum vertere cursus,
Auroramque novis, nascentem ostendere terris,
Nec lunam certos excedere luminis orbes:
Sed servare modum, quo crescat, quove recedat,
Nec cadere in terram pendentia sydera cœlo.

*Deum mundi animam esse quidam asserunt; sed falso: quia tunc passibilis esset: nisi intelligunt quod Deus sit omnia, id est, omnium caussa.*

*Virgil. Eclog. 3.*

Ab Jove principium musæ Jovis omnia plena:
Illit colit tarras, ili mea carmina curæ.

*Idem lib. 4. Georgic.*

——Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum
Quemq; sibi tenues nascentem arcescere vitas.

*Idem lib 6. Æneid.*

Principio cœlum ac terras, camposq; liquentes,
Lucentemque globum lunæ, titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet:
Inde hominum pecudumq; genus, vitæque volantum
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus,
Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo.

*Lucanus lib. 9. Bel. civil.*

Estque Dei sedes nisi terra, & pontus & aër,
Et cœlum, & virtus, superos quid quærimus ultra?
Jupiter est quodcunq; vides quodcunq; moveris.

*Boëtius metro 4. lib. 1.*

At quisquis trepidus pavet vel optat
Quod non sit stabilis, suique juris
Adjecit clypeum, locoque motus
Nectit, qua valeat trahi, catenam.

*Cupidorum castigatio accommodata.*

*Juvenalis Satyra 3.*

——— Tanti tibi non sit opaci
Omnis arena Tagi, quodq; in mare volvitur aurum
Ut somno careas, ponendaque præmia sumas
Tristis, & à magno semper timearis amico.

---

## DE CURIS.

*Inanis hominum curæ taxatio.*

*Persius satyra 1.*

O curàs hominum, ô quantum est in rebus inane!

*Cura interdum nulla arte nisi mora est medicabilis.*

*Ovid. lib. 1. de. Ponto.*

Cura quoque interdum nulla medicabilis arte:
Aut si fit longa est attenuanda mora.

*Curæ animo inclusæ affligunt magis quam propalatæ.*

*Statius lib. 3. Thebai.*

Invigilant animo sceleris parati
Supplicium exercent curæ.

*Seneca in Medea.*

Nulla vis flammæ, tumidique venti
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta quum conjuux viduata cedis
Ardet & odit.

*Curæ hominum opibus haud levantur, sed crescunt magis.*

*Horat. Oda 15. lib. 2.*

Non enim gazæ, neque consularis
Submovet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.

*Idem Oda 1. lib. 3.*

———Timor & minæ
Scandunt eodem quo Dominus, neque
Decedit ærata triremi: &

Post equitem sedet atra cura.

*Idem Oda 16. lib. 3:*

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumque fames.

*Tibullus Eleg. lib. 3.*

Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri,
Arvaque si findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis
Tænare sive tuis, sive Chariste tuis?
Et nemora in domibus sacros immitantia lucos,
Aurataeque trabes, marmoreumque solum?
Quidvæ in Erythræo legitur quæ littore concha,
Tinctaque Sydonio murice lana juvat?
Et quæ præterea populus miratur in illis,
Invida quæ falso plurima vulgus amat?
Non opibus mentes homini, curæque levantur,
Nam fortuna sua tempora lege gerit.

*Claud. lib. 2. in Ruffinum.*

At procul exanguis Ruffinum perculit horror:
Infectæ pallore genæ, stetit ore gelato
Incertus peteretne fugam, veniamne subactus
Poscret, an tantos sese transferret in hostes.
Quid nunc divitiæ? quid fulvi vasta metalli
Congeries? quid purpureis effulta columnis
Atria? prolatæva iuvant ad sydera moles?
Addit, iter numeratque dies spatioque viarum
Metitur vitam, torquetur peste futura:
Nec recipit somnos, & sæpe cubilibus amens
Excutitur pænamque luit formidine pœnæ.

## DE CURIOSITATE.

*Curiosus alienas res procurat.*

*Plautus in Sticho.*

Sed curiosi sunt hic quàm plures mali,
Alienas res qui curant studio maxumo,
Quibus ipsis nulla est res, quam procurent, suaé

*Terent. in Andria*

More hominum evenit, ut quid sum nactus mali
Prius resciires tu, quam ego illud, quod tibi evenit
boni.

*Curiosus nullus est qui malevolus non sit.*

*Plautus in Sticho.*

Nam curiosus nemo est, qui non sit malevolus.

# D

## DE DAMNATIS.

*Damnati multi, electi vero pauci.*
*Virgil. 6. Æneid.*

—Pauci quos æquus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.

*Damnati quietem optant, sed Dei lex justitiaque vetant.*
*Horat. lib. Epod. Oda 17.*

Optat quietem Pelopis infidi pater
Egens benignæ Tantalus semper dapis.
Optat Prometheus obligatus aliti.
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum, sed vetant leges Iovis.

*Damnatorum pœnæ diversæ innumerabiles, atque perpetuæ sunt.*
*Ovid in Ibid*

Noxia mille modis lacerabitur umbra, tuasque
Æacus in pœnas ingeniosus erit.
Nec mortis pœnas mors altera finiet hujus,
Horaque erit in tantis ultima nulla malis.
Nec mala voce mea poterunt tua cuncta referri,
Ora licet tribuas multiplicata mihi.

---

## DE DECEPTIONE.

*Deceptus semel veretur etiam non verenda.*
*Plautus in Captivis.*

Nunc certum est nulli post hæc quicquam credere,
Satis sum deceptus semel.

*Ovid. lib. 2. de Ponto ad Atticum.*

Proxima subsequitur quid agas audire voluntas:
Et modo quicquid agas sit tibi cura mei.
Nec dubito quin sit, sed me timor ipse malorum
Sæpe supervacuos cogit habere metus.
Da veniam quæso, nimioque ignosce timori:
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.

*Ibidem.*

Membra reformidant mollem quoq; saucia tactum,
Vanaque

Vanaque sollicitis incitat umbra metum.
Sic ego fortunæ telis confixus iniquis,
Pectore concipio nil nisi triste meo.

*Decipi te potius sinas quam tu alios fallas.*
*Seneca in Thebaid.*

Quoties necesse est fallere, aut falli à suis,
Patiare potius ipse, quam facias scelus.

## DE DELITIIS.

*Delitiis ad astra non itur.*
*Seneca in Hercule furente.*

Non est ad astra mollis è terris via.

*Ovid lib. ult. de* Trist. *Eleg.* 3.

Ipse quoque æthereas meritis invectus es arces,
Quo non exiguo facta labore via est.

*Delitiosorum intimatio perpulchra, seu potius reprehensio notabilis.*
*Juvenalis satyra* 13.

Te nunc delitias extra communia censes
Ponendum: quia tu gallinæ filius albæ.
Non viles pulli nati infelicibus ovis.

## DE DESIDIA.

*Desidia Ægistho caussa adulterii fuit.*
*Ovid. lib.* 1 *de Remed. amoris.*

Quæritur, Ægisthus quare sit factus adulter,
In promptu caussa est, desidiosus erat.
Pugnabant alii tardis apud Ilion armis,
Quo tulerat vires Græcia tota suas.
Sive operam bellis velit dare, nulla gerebat,
Sive foro, vacuum litibus Argos erat.
Quod potuit fecit: ne nil ageretur, amavit.
Sic venit ille puer, sic puer ille manet.

*Desidiam vitare qui cupit, amet.*
*Ovid. lib.* 1 *Eleg. sive Amo.*

Qui non vult fieri desidiosus, amet.

*Nam inertes amor odit, ut supra titulo De amore ostensum est prolixius.*

## DE DESPERATIONE.

*Non est desparandum in adversis.*

*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

Confugit interdum templi violator ad aram,
Nec petere offensi numinis horret opem.

*Anshelm. in Mon.*

Non læta extollant animum nec tristia frangant.

*Seneca in Medea.*

Qui nil potest sperare, desperet nihil.

*Desperatio audaces homines reddit.*

*Ovid. 2 de Ponto.*

Qui rapitur fatis, quid præter fata requirit?
Porrigit ad spinas, duraq; saxa manus.
Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales,
Audet in humanos fessa venire sinus,
Nec se vicino dubitat committere tecto
Quæ fugit infestos territa cerva canes.

*Desperare salutem nonnunquam solatio est.*

*Ovid. 3. de Ponto.*

Proximus huic gradus est bene desperare salutem,
Seq; semel vera scisse perisse fide.

## DE DETRACTORIBUS.

*Detractores bonum quemque corrumpere student, possuntque.*

Terentius in Andriæ prologo.

Id isti vituperant factum, atque in eo disputant,
Contaminare non decere fabulas.
Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant,
Dehinc ut quiescant porro moneo: & desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua.

Terentius in Phormione.

——— Nihil est Antipho.
Quin male narrando possit depravarier
Tu quod boni est excerpis, dici quod mali est,

*Detractores fugiendi sunt summopere.*

*Horat satyra 4. lib. 1.*

——— Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum famamq; dicatis
Fingere qui non visa potest, commissa tacere

Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caveto,

*Idem lib. 1 Epist. ad Lollium.*

Ut penitus notum si tentet crimina serves,
Tuterisq; tuo fidentem præsidio: qui
Dente Theonino quum circumroditur, ecquid
Ad te post paulo ventura periculo sentis?
Nam tua res agitur, paries quum proximus ardet
Et neglecta solent incendia sumere vires,

*Detractores muribus similes sunt, eo quod alienum cibum, id est, famam, assidue rodunt, id est. deturpant.*

*Plautus in Captivis*

Quasi mures semper edimus alienum cibum,
Ubi res prolatæ sunt, quum rus homines eunt,
Simul prolatæ sunt nostris dentibus.

*Detractorum admonitio lepidissima, ut à sua desistant detractione.*

*Horatius Epodon. lib. Oda 6.*

Cave cave, namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua:
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bubalo.
An si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

*Vide item tit. de Alienis, de Mævio, qui Nævium teste Horat lib. 1. sat: 3 carpserat.*

*Martialis lib. 6 Epigr.*

Audes præterea, quos nullus noverit, in me
Scribere versiculos, miseras & perdere chartas.
At si quid nostræ tibi bilis inusserit ardor,
Vives, & hærebit, totoque legetur in orbe,
Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte:
Sed miserere tui, rabido nec perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.
Sit placidus licet, & lambant digitosq; manusque:
Si dolor & bilis si justa c[illegible]erit ira,
Ursus erit, vacua dentes [illegible] fatiges,
Et tacitus quæras, quam [illegible]dere carnem,

*Terentius in E[illegible]cho.*

Nullum est jam dictum quod non dictum sit prius,
Quare æquum est vos cognosere atque ignoscere.

DE

## DE DEO.

*Deus creator gubernatorque omnium rerum est.*
*Boetius metro.3. lib.1.*

O stelliferi conditor orbis,
Qui perpetuo nexus solio
Rapido cælum turbine versas,
Legemq; pati sydera cogis :
Tu frondifluæ frigore brumæ
Stringis lucem breviore mora :
Tu quum fervida venerat æstas,
Agiles noctis dividis horas,
Tua vis varium temperat annum :
Ut quas Boreæ spiritus aufert,
Revehat mitis Zephyrus frondes.
Quæque Arcturus semina vidit,
Sirius altas urat segetes :
Nihil antiqua lege solutum
Linquis propriæ stationis opus :
Omnia certo fine gubernas.

*Deum fecisse omnia ex quodam chao quidam asserunt, sed falso, quum veritas doceat omnia ex nihilo esse producta.*

*Ovid lib.1, Metamorph.*

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cœlum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigestaq; moles,
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaq; eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum,&c.
Hanc Deus & melior litem natura diremit :
Nam cœlo terras,& terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab aëre cælum,
Quæ postquam evolvit, cæcoq; exemit acervo,
Dissociata locis concordi pace ligavit.

*Reliqua suis locis patebunt.*

*Ibidem, lib.1. Fastor.*

Me Chaos antiqui (nam[illegible]m res prisca) vocabant :
Aspice quam l[illegible]poris acta canam :
Lucidus hic aër,& [illegible]gria corpora restant,
Ignis,aqua, & te[illegible] unus acervus erant.
Ut simul hæc rerum secessit lite suarum,
Inque novas abiit massa soluta domos,&c.

*Vide item Claudianum de laude Stiliconis 2 lib. tit. de Clementia.*

*Deum autem gubernare omnia, passim auctores tradunt.*

*Horat. Oda 12. lib. 1.*

—Qui res hominum ac Deorum,
Qui mare & terras variisq; mundum
Temperat horis.

*Virgil. Ecloga 8.*

Nec curare Deum credis mortalia quenquam?

*Horat, Oda 4. lib. 3.*

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & urbes, regnaq; tristia,
Divosq; mortalesq; turbas,
Imperio regit unus æquo.

*Titus Calphurnius Eclog. 4*

—Deus ipse canatur,
Qui populos urbesq; regit, pacemq; togatam.

*Seneca in Hippolyto.*

O magna parans natura Deum,
Tuq; igniferi rector Olympi,
Qui sparsa cito sydera mundo,
Cursusq; vagos rapis astrorum,
Celerique polos cardine versas,
Cur tibi tanta est cura perennes
Agitare vias ætheris alti?
Ut nunc canæ frigora brumæ
Nudent sylvas,
Nunc arbustis redeant umbræ:
Nunc æstivi colla leonis
Cererem magno fervore coquant:
Vires suas temperet annus?

*Boëtius Metro 6. lib 4.*

...tet interea conditor altus,
...egumq; regens flectit habenas,
...ex & dominus, fons & origo,
...ex et sapiens arbiter æqui,
...t quæ motu concitat ire.
...stit retrahens, ac vaga firmat:
...am nisi tectos revocans ictus,
...exos iterum cogat in orbes,
...æ nunc stabilis continet ordo,

Dissepta sua fonte fatiscant.

*Silius Italicus lib.6.bel.pun.*

Justitiæ, rectiq; dator, qui cuncta gubernas.

*Statius lib. 5. Thebaid.*

—Cuncta hæc superum demissa supremæ
Mente fluunt.

*Manilius lib 1. Astronomicôn.*

Ac mihi tam præsens ratio non ulla videtur,
Qua patet mundum divino numine verti,
Atque ipsum esse Deum, nec forte coisse magistra.
Ut voluit credi, qui primus mœnia mundi
Seminibus struxit minimis, inq; illa resolvit,
Æquis & maria & terras, & sydera cœli,
Ætheraq; immensos fabricantem finibus orbes,
Solventemq; alios, constare, & cuncta reverti
In sua principia & rerum mutare figuras.
Quis credat tantas operum sine numine moles
Ex minimis, cæcoq; creatum fœdere mundum?
Si sors ista dedit nobis, sors ipsa gubernet.
At cur dispositis vicibus consurgere signa:
Et velut imperio præscriptos reddere cursus
Cernimus, ac nullis properantibus ulla relinqui?
Cur eadem æstivas exornant sydera noctes
Semper, & hybernas eadem, certamque figuram
Quisque dies reddit mundo, certamq; relinquit.

*Claud. lib. 1. in Ruffinum.*

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu:
Nam quum dispositi quæsissent fœdera mundi,
Præscriptosq; maris fines, anniq; meatus,
Et lucis noctisq; vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sydera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phœben alieno jusserit igne
Complere, solemq; suo, porrexerit undis
Littora, tellurem medio libraverit axe.

*Deus immobilis cuncta movet, seu moveri facit.*

*Seneca in Thyeste.*

Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

*Boëtius Metro 9. lib. 3.*

O qui perpetua mundum ratione gubernas
Terrarum cœliq; sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes stabilisq manens das cuncta moveri,
Quem non externæ populerunt fingere caussæ
Materia fluitantis opus, verum insita summi
Forma boni, livore carens.

*Plautus in Rudente.*

Qui gentes omnes, mariaq; & terras movet,
Ejus sum civis civitate cœlitum, &c.

*Manilius lib. 1. Astronomic.*

——Deus est qui non mutatur in ævo:
Nunquam transversus solem decurrere ad arctos,
Nec mutare vias, & in ortum vertere cursus,
Auroramque novis, nascentem ostendere terris,
Nec lunam certos excedere luminis orbes:
Sed servare modum, quo crescat, quove recedat,
Nec cadere in terram pendentia sydera cœlo.

*Deum mundi animam esse quidam asserunt; sed falso: quia tunc passibilis esset: nisi intelligunt quod Deus sit omnia, id est, omnium caussa.*

*Virgil. Eclog. 3.*

Ab Jove principium musæ Jovis omnia plena:
Illit colit tarras, ili mea carmina curæ.

*Idem lib. 4. Georgic.*

——Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum
Quemq; sibi tenues nascentem arcescere vitas.

*Idem lib 6. Æneid.*

Principio cœlum ac terras, camposq; liquentes,
Lucentemque globum lunæ, titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet:
Inde hominum pecudumq; genus, vitæque volantum
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus,
Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo.

*Lucanus lib. 9. Bel. civil.*

Estque Dei sedes nisi terra, & pontus & aër,
Et cœlum, & virtus, superos quid quærimus ultra?
Jupiter est quodcunq; vides quodcunq; moveris.

*Owen.*

Omnia de nihilo qui fecit is omnia solus
Quod Deus ex nihilo fecit id omne nihil.

*Manilius lib* 1. *Astronom.*

Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Membraq; naturæ diversa condita forma
Aeris atque ignis, terræ pelagiq; jacentis
Vis animæ divina regit sacroq; meatu
Conspirat Deus,& tacita ratione gubernat,
Et multa in cunctas dispensa fœdera partes,
Altera & alterius vires faciatq; feratque,
Summaq; per varias maneant cognata figuras.

*Idem lib.* 2. *Astro.*

Namq; canam tacita naturæ mente potentem
Infusumq; Deum cœlo, terrisq; fretoque,
Ingentem æquali moderantem fœdere molem,
Totumq; alterno consensu vivere mundum,
Et rationis agi motu, quum spiritus unus
Per cunctas habitet parteis atque irriget orbem:
Omnia pervolitans, corpusq; animale figuret.
Quod nisi cognatis membris contexta maneret
Machina, & imposito pararet tota magistro:
Ac tantum mundi regeret prudentia sensum,
Non esset statio terris,non ambitus astris,
Hæreretque vagus mundus, standoq; rigeret,
Nec sua dispositos servarent sydera cursus.
Noxque alterna diem fugeret, rursumq; fugaret.
Non imbres alerent terras, non æthera venti,
Non pontus gravidas nubes, nec flumina pontum
Nec pelagus fonteis,nec staret summa per omneis
Pars semper partes æquo digesta parente,
Ut neque deficerent undæ,nec sydera nobis.
Nec cœlum justo majusve minusve volaret,
Motus alit, non mutat opus ; sic omnia toto
Dispensata manent mundo,dominumq; sequuntur.
Hac igitur Deus & ratio,quæ cuncta gubernat,
Ducit ab æthereis terrena animalia signis.
Quæ quanquam longo cogit submota recessu,
Sentiri tamen ut vitamq; ac fata ministrent
Gentibus, ac proprios per lingula corpora mores;
Nec minus est quærenda fides sic temperat arva
Cœlum, si varias fruges redditq; rapitque,

Sic pontum movet, & terris immittit & aufert.

*Deus amore gubernat omnia.*

Boëtius lib. 2. *Metro* 8.

Quòd mundus ſtabili fide
Concordes variat vices,
Quòd pugnantia ſemina
Fœdus perpetuum tenent,
Quòd Phœbus roſeum diem
Curru provehit aureo,
Ut quas duxerit heſperus
Phœbe noctibus imperet,
Ut fluctus avidum mare
Certo fine coerceat,
Nec terris liceat vagis
Latos tendere terminos.
Hanc rerum ſeriem ligat
Terras ac pelagus regens,
Et cœlo imperitans Amor.

*Idem lib.* 4. *Metro* 6.

Hic eſt cunctis communis amor,
Repetuntq; boni fine teneri,
Qui non aliter durare queant
Niſi converſus rurſus amore
Refluant cauſæ quæ dedit eſſe.

*Claud. de* 4. *Honorii conſolatu.*

Nonne vides operum qui ſe pulcherrimus ipſe
Mundus amore ligat, nec vi connexa per ævum
Conſpirant elementa ſibi? quo limite Phœbus
Contentus medio, contentus littore pontus:
Et qui perpetuo terras ambitq; vehitque,
Nec premat incumbens oneri, nec ceſſerit, aer.

*Deus animantibus omnibus gignitivam virtutem tradidit ob ſpeciei conſervationem.*

*Seneca in Hippolyto.*

Providit ille maximus mundi parens,
Quum tam rapaces cerneret fati minas,
Ut damna ſemper ſobole repararet nova.

*Olympius Nemeſianus Eclog.* 4.

Cerva marem ſequitur, taurum formoſa juvenca,
Et venerem ſenſere lupæ, ſenſere leænæ,
Et genus aereum volucres & ſquamea turba,
Et montes ſylvæq; ſuos habet armor amores.

*Deus audit omnia quæ homines fantur, videtque moraliter.*

*Ovid. lib. 4. de Ponto.*

Et tamen hæc tangent aliquando Cæſaris aures.
Nil illum, toto quod fit in orbe, latet.
Tu certè ſcis hæc ſuperis aſcite videſque
Cæſar, & eſt oculis ſubdita terra tuis.

*Et vere, ut Plaut. in Capt.*

Eſt profecto Deus, qui quæ nos gerimus auditque & videt

*Deus ſolus novit omnia, præſentia, præterita, & futura. Ergo Jupiter,* Diana, *Cæſar, &c. non ſunt* Dii, *quia non noverunt omnia.*

*Ovid lib. 1. de* Triſtib.

Si tamen acta Deos nunquam mortalia fallunt,
A culpa facinus ſcitis abeſſe mea.

*Juvenal. Satyr.* 10.

——At illis
Notum, qui pueri, qualiſq; futura ſit uxor.

*Lucan. lib. 6. bel. civil.*

——Nequeunt animam ſibi reddere fata.
Conſumpto jam jure ſemel.

*Ovid lib. de* Ponto.

Neſcit enim Cæſar, (quamvis Deus omnia norit)
Ulrimus hic qua ſit conditione locus.

*Deus videt cuncta.*

*Ovid. lib. 13. Metamorph.*

Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia juſtis.

*Boëtius Metro 2. lib. 3.*

Haud ſic magni conditor orbis,
Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terræ mole reſiſtunt :
Non nox atris nubibus obſtat :
Quæ ſint, quæ fuerint, veniantque
Uno mentis cernit in ictu.
Quem quia reſpicit omnia ſolus.
Verum poſſis dicere ſolem.

*Statius lib. Sylvarum.*

——Vidit qui cuncta ſuorum.
Novit & inſpectis ambit latus omne miniſtris :
Nec mirum videt ille ortus obituſq; quid Arctos,

Qui

Quid Boreas hybernus agat, ferriq; toga ;
Consilia, atq; ipsam mentem probat.

*Deus caussas omnium cognoscit tantum.*
*Virgilius in Ætna.*

Solis scire modum,& quanto minor orbita luna est
Cur illi brevior,cur isti pervolet orbis
Annuus : ille monet quæ certo sidera currant
Ordine, quæve sua careant incondita cura.
Scire vices etiam signorum, & tradita jura,
Nubila cur cœlo terræ denuntiet imbres,
Quo rubeat Phœbe, quo frater palleat igni,
Tempora cur variant anni primaq; juventa.
Ver præit æstatem,cur æstas ipse senescit,
Autumnoq; obrepit hyems,& in orbe recurrit
Axem scire Helices, & tristem nosse Cometem,
Lucifer unde micet, quaq; Hesperus, unde Boötes,
Saturni cur stella tenax, cur Martia pugnax,
Quo rapiant nautæ, quo sydere lintea tendant :
Scire vias maris, & cœli prædicere cursus,
Quò volet Orion, quò Syrius incubet index,
Et quæcumq; jacent toto miracula mundo,
Non digesta pati, nec acervo condita rerum
Sed manifesta notis certa disponere sede
Singula, divini est animi, ac jucunda voluptas.

*Deus vult ac peragit omnia.*
*Ovid lib.8. Metamorph.*

———Immensa est finemque potentia cœli
Non habet, & quicquid superi voluere per actum est.

*Deus vitam viventium dat aufertque.*
*Horat. lib.1. Epist. ad Lollium.*

Sed satis est orare Jovem, qui donat & aufert :
Det vitam, det opes,æquum mî animum ipse parabo.

*Deus potest omnia.*
*Ovid. lib. 4. Metamorph.*

——Pars omnia veros
Posse Deus memorant.

*Idem lib. 8 Metamorph.*

—Immensa est, finemq; potentia cœli.
Non habet.

*Owen.*

Omnia de nihilo qui fecit is omnia solus
Quod Deus ex nihilo fecit id omne nihil.

*Manilius lib* 1. *Astronom.*

Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Membraq; naturæ diversa condita forma
Aeris atque ignis, terræ pelagiq; jacentis
Vis animæ divina regit sacroq; meatu
Conspirat Deus,& tacita ratione gubernat,
Et multa in cunctas dispensa fœdera partes,
Altera & alterius vires faciatq; feratque,
Summaq; per varias maneant cognata figuras.

*Idem lib.* 2. *Astro.*

Namq; canam tacita naturæ mente potentem
Infusumq; Deum cœlo, terrisq; fretoque,
Ingentem æquali moderantem fœdere molem,
Totumq; alterno consensu vivere mundum,
Et rationis agi motu, quum spiritus unus
Per cunctas habitet parteis atque irriget orbem:
Omnia pervolitans, corpusq; animale figuret.
Quod nisi cognatis membris contexta maneret
Machina, & imposito pararet tota magistro:
Ac tantum mundi regeret prudentia sensum,
Non esset statio terris,non ambitus astris,
Hæreretque vagus mundus, standoq; rigeret,
Nec sua dispositos servarent sydera cursus.
Noxque alterna diem fugeret, rursumq, fugaret.
Non imbres alerent terras, non æthera venti,
Non pontus gravidas nubes, nec flumina pontum
Nec pelagus fonteis,nec staret summa per omneis
Pars semper partes æquo digesta parente,
Ut neque deficerent undæ,nec sydera nobis.
Nec cœlum justo majusve minusve volaret,
Motus alit, non mutat opus; sic omnia toto
Dispensata manent mundo, dominumq; sequuntur.
Hac igitur Deus & ratio,quæ cuncta gubernat,
Ducit ab æthereis terrena animalia signis.
Quæ quanquam longo cogit submota recessu,
Sentiri tamen ut vitamq; ac fata ministrent
Gentibus, ac proprios per singula corpora mores:
Nec minus est quærenda fides sic temperat arva
Cœlum, si varias fruges redditq; rapitque,

Sic pontum movet, & terris immittit & aufert.

*Deus amore gubernat omnia.*

Boëtius *lib.* 2. *Metro* 8.

Quòd mundus ſtabili fide
Concordes variat vices,
Quòd pugnantia ſemina
Fœdus perpetuum tenent,
Quòd Phœbus roſeum diem
Curru provehit aureo,
Ut quas duxerit heſperus
Phœbe noctibus imperet,
Ut fluctus avidum mare
Certo fine coerceat,
Nec terris liceat vagis
Latos tendere terminos.
Hanc rerum ſeriem ligat
Terras ac pelagus regens,
Et cœlo imperitans Amor.

*Idem lib.* 4. *Metro* 6.

Hic eſt cunctis communis amor,
Repetuntq; boni fine teneri,
Qui non aliter durare queant
Niſi converſus rurſus amore
Refluant cauſæ quæ dedit eſſe.

*Claud. de* 4 *Honorii conſulatu.*

Nonne vides operum qui ſe pulcherrimus ipſe
Mundus amore ligat, nec vi connexa per ævum
Conſpirant elementa ſibi? quo limite Phœbus
Contentus medio, contentus littore pontus:
Et qui perpetuo terras ambitq; vehitque,
Nec premat incumbens oneri, nec ceſſerit, aer.

*Deus animantibus omnibus gignitivam virtutem tradidit ob ſpeciei conſervationem.*

*Seneca in Hippolyto.*

Providit ille maximus mundi parens,
Quum tam rapaces cerneret fati minas,
Ut damna ſemper ſobole repararet nova.

*Olympius Nemeſianus Eclog.* 4.

Cerva marem ſequitur, taurum formoſa juvenca,
Et venerem ſenſere lupæ, ſenſere leænæ,
Et genus aereum volucres & ſquamea turba,
Et montes ſylvæq; ſuos habet armor amores.

*Deus audit omnia quæ homines fantur, videtque moraliter.*

*Ovid. lib. 4. de Ponto.*

Et tamen hæc tangent aliquando Cæsaris aures.
Nil illum, toto quod fit in orbe, latet.
Tu certè scis hæc superis ascite videsque
Cæsar, & est oculis subdita terra tuis.

*Et vere, ut Plaut. in Capt.*

Est profecto Deus, qui quæ nos gerimus auditque & videt

*Deus solus novit omnia, præsentia, præterita, & futura. Ergo Jupiter,* Diana, *Cæsar, &c. non sunt* Dii, *quia non noverunt omnia.*

*Ovid lib. 1. de Tristib.*

Si tamen acta Deos nunquam mortalia fallunt,
A culpa facinus scitis abesse mea.

*Juvenal. Satyr. 10.*

——At illis
Notum, qui pueri, qualisq; futura sit uxor.

*Lucan. lib. 6. bel. civil.*

——Nequeunt animam sibi reddere fata.
Consumpto jam jure semel.

*Ovid lib. de Ponto.*

Nescit enim Cæsar, (quamvis Deus omnia norit)
Ulrimus hic qua sit conditione locus.

*Deus videt cuncta.*

*Ovid. lib. 13. Metamorph.*

Aspiciunt oculis superi mortalia justis.

*Boëtius Metro 2. lib. 3.*

Haud sic magni conditor orbis,
Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terræ mole resistunt:
Non nox atris nubibus obstat:
Quæ sint, quæ fuerint, veniantque
Uno mentis cernit in ictu.
Quem quia respicit omnia solus.
Verum possis dicere solem.

*Statius lib. Sylvarum.*

——Vidit qui cuncta suorum.
Novit & inspectis ambit latus omne ministris:
Nec mirum videt ille ortus obitusq; quid Arctos,

Qui

Quid Boreas hybernus agat, ferriq; togæ ;
Consilia, atq; ipsam mentem probat.

Deus caussas omnium cognoscit tantum.
*Virgilius in Ætna.*

Solis scire modum, & quanto minor orbita luna est
Cur illi brevior, cur isti pervolet orbis
Annuus : ille monet quæ certo sidera currant
Ordine, quæve sua careant incondita cura.
Scire vices etiam signorum, & tradita jura,
Nubila cur cœlo terræ denuntiet imbres,
Quo rubeat Phœbe, quo frater palleat igni,
Tempora cur variant anni primaq; juventa.
Ver præit æstatem, cur æstas ipse senescit,
Autumnoq; obrepit hyems, & in orbe recurrit
Axem scire Helices, & tristem nosse Cometem,
Lucifer unde micet, quaq; Hesperus, unde Boötes,
Saturni cur stella tenax, cur Martia pugnax,
Quo rapiant nautæ, quo sydere lintea tendant :
Scire vias maris, & cœli prædicere cursus,
Quò volet Orion, quò Syrius incubet index,
Et quæcumq; jacent toto miracula mundo,
Non digesta pati, nec acervo condita rerum
Sed manifesta notis certa disponere sede
Singula, divini est animi, ac jucunda voluptas.

Deus vult ac peragit omnia.
*Ovid lib. 8. Metamorph.*

———Immensa est finemque potentia cœli
Non habet, & quicquid superi voluere per actum est.

Deus vitam viventium dat aufertque.
*Horat. lib. 1 Epist. ad Lollium.*

Sed satis est orare Jovem, qui donat & aufert :
Det vitam, det opes, æquum mî animum ipse parabo.

Deus potest omnia.
*Ovid. lib. 4. Metamorph.*

——Pars omnia veros
Posse Deus memorant.

*Idem lib. 8 Metamorph.*

—Immensa est, finemq; potentia cœli.
Non habet.

*Ovid 1. de Arte Amandi.*

—— Facile est omnia posse Deo.

*Deus pater est omnium.*

*Boëtius Metro 6. lib. 3.*

Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu.
Unus enim rerum pater est,
Unus qui cuncta ministrat.
Ille dedit Phœbo radios,
Dedit & cornua lunæ,
Ille homines etiam in terris
Dedit & sydera cœlo.

*Lucretius lib. 2. de natura rerum.*

Denique cælesti sumus omnes semine oriundi.
Omnibus ille idem pater est.

*Deus perfectissimus est, perfecteque cunctas mundi partes absolvit.*

*Boëtius Metro 9. lib. 3.*

Perfectasq; jubes perfectum absolvere partes.

*Deus pulcherrimus est.*

*Ibidem.*

——Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo; pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similiq; imagine formans.

*Deus prudentissimus est: nam terras ab aquis prudenter sejunxit.*

*Horat. Oda 3. lib. 1.*

Necquicquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada:

*Deus tempora quæque propriis officiis aptat.*

*Boëtius Metro 6. lib. 1.*

Signa tempora propriis
Aptans officiis Deus.
Nec quas ipse coercuit
Misceri patitur vices.

*Deus principio caret moraliter.*

*Lucan. lib. 8 bel. civil.*

——Si numina nasci.
Credimus, aut quemquam fas est cœpisse deorum.

*Deo*

*Deo nihil majus est.*

*Horat. lib.* 1. *Oda* 12.

Unde nihil majus generatur ipso,
Nec viget quicquem simile aut secundum.

*Mantuan. lib.* 3. *Sylv.*

Cuncta Deus replet Deus est supra Deus infra.

*Deo subjiciuntur omnia.*

*Ovid. lib.*4. *de* T*ristib.*

Nil ita sublime est, supraque pericula tendit,
Non sit ut inferius, suppositumq; Deo.

*Dei voluntate omnia fiunt, qua semota, nihil fieri, seu esse potest.*

*Lucanus lib.* 9. *bel. civil.*

Hæremus cuncti superis, temploque tacente
Nil agimus nisi sponte Dei.

*Plautus in Amphion.*

Ita quoque comparatum est in ætate hominum,
Ita diis placitum, voluptati ut mœror omnes consequatur.

*Dei voluntas, seu dispositio immutabilis est.*

*Statius lib.* 1. *Achilleidos.*

Ne pete Dardaniam frustra Theti mergere classem
Fata vetant, rarus ordo Deum, miscere cruentas
Europæq; Asiæq; manus, consultaq; bella
Jupiter, & tristes edixit cædibus annos.

*Manil. lib.* I.

Deus est qui non mutatur in ævo.

*Deo resistere fas possibileque homini non est.*

*Claudianus lib.* I. *in Ruffinum.*

Signa quidem ô socie, divos attollere contra
Nec fas est, nec posse reor.

*Deus, manum si subtraheret suam, id est, amorem, à rerum gubernatione, omnia in nihilum cederent*

*Boërius Metro* 8. *lib.* 3.

Hic si fræna remiserit.
Quicquid nunc amat invicem
Bellum continuo gerit.
Et quam nunc socia fide.
Pulchris montibus incitant,
Certant solvere machinam.

*Deus invisibilis est, s. coporali visione.*

*Lucretius lib. 5 de natura rerum.*

Tenuis etiam natura deum, longeq; remoat
Sensibus à nostris, animi vix mente videtur.

*Deus cognoscibilis est per effectus tantum.*

*Lucanus lib. 3 de bel. civil.*

Ignarum mortale genus per fulmina tantum
Sciret adhuc cœlo solum regnare tonantem.

*Deus requies, vector, dux, via, principium, finisve ultimus est omnium.*

*Boëtius metro 9. lib. 3.*

Tu requies tranquilla piis, te cernere finis.
Principium, vector, dux, semina, terminus idem.

*Deus diligit nos magis, quam ipsi nos.*

*Juvenalis Satyra 10.*

Nam pro jucundis aptissima quæq; dabunt dii
Charior est illis homo quam sibi.

*Deus honorandus est super omnia, & animo, & lingua.*

*Virgilius lib. 1. Georg.*

In primis venerare Deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri,

*Ovid. lib. 15. Metamorp.*

——Cognovit numina castus
Evinctus vitta crines albente sacerdos,
En Deus est, Deus est, animis linguisq; favete
Quisq; adest, dixit.

*Idem lib. 1. de Arte Amandi.*

Expedit esse Deos & ut expedit esse putemus,
Dentur in antiquos thura, merumq; focos.

*Deo parent omnia, & ab illius nutu dependent, moraliter.*

*Petronius Arbiter in frag.*

Quicquid in orbe vides paret mihi, florida tellus
Quum volo spissatis arescit languida succis,
Quum volo fundit aquas scopulis, atq; horrida saxa
Niliades jaculantur aquas. Mihi pontus inertes
Submittit fructus, Zephyriq; recentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes: mihi flumina parent,
Hyrcanæq; tygres: jussi & servire dracones:

*Cui Deus bene vult, illi ne bina quidem venena nocere possunt.*

*Ausonius*

*Ausonius in Epigram.*

Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito.
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit argenti lethalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem,
Quam pia cura Deum? prodeſt crudelior uxor,
Et quum fata volunt, bina venena juvant.

Deus *mentes & pectora hominum gaudet inhabitare, non metallo, &c.*
*Statius lib.* 12. *Thebaid.*

Nulla autem effigies, nulli commiſſa metallo
Forma Dei, mentes habitare & pectora gaudet.

Deus *ſcit quæ nobis potiſſimum conveniunt, ideoq; Dei voluntas ubique petenda eſt.*
*Juvenalis Satyra* 10.

Nil ergo optabunt homines? Si conſilium vis,
Permittit ipſis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis rebuſq; ſit utile noſtris.
Nam pro jucundis aptiſſima quæq; dabunt dii,
Carior eſt illis homo, quam ſibi nos animorum
Impulſu, & cæca, magnaq; cupidine ducti
Conjugium petimus, parumq; uxoris. At illis
Notum qui pueri, qualiſq; futura ſit uxor.

Deus *majora dona, quam exigimus, ſæpe præſtat, moraliter.*
*Ovid lib.* 2. *de Triſtib.*

Non precor ut redeam: quamvis majora petitis,
Credibile eſt magnos ſæpe dediſſe deos.

Deus *bonorum omnium remunerator eſt.*
*Ovid lib.* 2. *Faſtor.*

Dii pia facta vident Aſtris Delphina recepit
Jupiter & ſtellas juſſit habere novem.

*Plautus in Captivis.*

Eſt perfecto Deus, qui quæ nos gerimus auditque & videt:
Bene merenti bene profuerit, male merenti par erit.

Deus miſericors eſt ſummopere moraliter.
*Ovid lib.* 3 *de Ponto.*

Crede mihi, miſeris cœleſtia numina parcunt,
Nec ſemper læſos, & ſine fine premunt.

*Idem*

*Idem lib. 3. de Tristibus.*

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.
Nunc ubi detonuit, strepituq; extorruit orbem,
Puerum discussis aera reddit aquis.
Jure igitur rectorque Deum genitorque vocatur:
Jure capax mundus nil Jove majus habet.

*Deus orantes exaudit*

*Ovid lib. 1. de Arte Amandi.*

Flectitur iratus voce rogante Deus

*Idem lib. 2. de Tristibus.*

Sed solet interdum fieri placabile numen,
Nube solet pulsa candidus ire dies.

*Martial. lib. 8, Egigram*

Et Dominum mundi flectere vota solent.

*Deus orantes in eorum detrimentum, exaudit sæpissime ut moraliter de Midæ regis historia explicari potest.*

*Ovid. lib. 1. Metamorph.*

Hic Deus optanti gratum, sed inutile fecit
Muneris arbitrium, gaudens altore recepto:
Ille malé usurus donis ait, Effice quicquid
Corpore contigero fulvum vertatur in aurum.
Annuit optanti, nocituraq; munera solvit
Liber, & indoluit quod non meliora petisset, &c.

*Reliqua pete ex tit de Cupiditate.*

*Deus nunc haud syncere colitur.*

*Statius lib. 5 Thebaid.*

—— Niger omnibus aris
Ignis, & in nullis spirat Deus integer extis.

*Deus cor hominum mutare potest.*

*Virgil lib. 1. Æneid.*

—Ponuntque ferocia Pœni
Corde volente Deo.

*Deus superbis resistit, atque eos humiliter*

*Horat. Oda 24. lib. 1.*

—Valet ima summis
Mutare & insignem attenuat Deus,
Obscura promens.

*Seneca in Hercule furente.*

Dominare tumidus, spiritus altos gere,
Sequitur superbos victor à tergo Deus.

*Deum offendens. s. peccando impunè non erit.*

*Lucan. lib. 3. bel. civil.*

—Quis enim læsos impunè putaret
Esse Deos? servat multos fortuna nocentes,
Et tantum miseris irasci numina possunt.

*Ovid. lib. 1. de Arte amandi.*

Nec secura quies illos, similisque sopori
Detinet innocui vivite, numen adest.
Reddite depositum pietas sua fœdera servet,
Fraus absit, vacuas cædis habete manus.

*Deus tyrannos alaciter punit.*

*Persius satyra 3.*

Magne pater Divum sævos punite tyrannos
Haud alia ratione velis, quum dira libido
Noverit ingenium ferventi tincta veneno,
Virtutem videant intabescantque relicta:
Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci?
Et magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter services terruit?

*Deus malorum acerrimus punitor est.*

*Ovid. lib. 1. Metamorph.*

Occidit una domus, sed non domus una perire
Digna fuit: qua terra patet, fera regnat Erynnis.
In facinus jurasse putes, dent ocyus omnes
Quas meruere pati (sic stat sententia) pœnas.

*Horat. Oda. 3. lib. 3.*

—Scimus ut impios
Titanas, immanemque turbam
Fulmine substulerit caduco.

*Dei ira malum omne secum trahit, moraliter, nec ei quicquam resistere potest.*

*Ovid. lib. 3. de Tristibus.*

Omne trahit secum Cæsaris ira malum.

*Ibidem libro 4.*

Nil adeo validum est (adamas licet alliget illud)
Ut maneat rapido firmius igne Jovis.

*Dei ira quos premit, miseros facit.*

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Cælestis ira quos premit miseros facit:
Humana nullos.

*Deus timendus est, & ad hoc exhortatio militis.*

*Virgil.*

*Virgil. lib. 1. Æneid.*

Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At sperate deos memores fandi atque nefandi.

*Plaut in Pseudulo.*

Deos maxime aequum est metuere.

*Deus judex justissimus rerum omnium est.*

*Plautus in Rudente.*

Quotidie ille scit, quis hic quærat malum,
Qui hic litem apisci postulant perjurio,
Mali res falsas qui impetrant apud judicem,
Iterum ille eam rem judicatam judicat.
Majore mulcta mulctat quam litem auferunt:
Bonos in aliis tabulis exscriptos habet.

*Deus peccantibus quando obstat.*

*Statius lib. 3. Thebaid.*

——Deus ecce furentibus obstat.

*Deo opera hominum, bona malave sint nihil conferunt.*

*Lucanus lib. 3. bel. civil.*

——Si cælicolis furor arma dedisset,
Aut si terrigenæ tentarent astra gigantes,
Non tamen auderet pietas humana vel armis,
Vel votis prodesse Jovi: sortisque Deorum
Ignarum mortale genus.

*Dei gloria augeri non potest moraliter.*

*Ovid lib. 2. de Tristibus.*

Non tua carminibus major fit gloria, nec quo
Ut major fiat, crescere possit, habet.

*Dei ignorare bona scelerum omnium caussa est.*

*Silius Italic. lib. 4 bel. Pun.*

Heu primæ scelerum caussæ mortalibus ægris
Naturam nescire Deum.

*Dei dona sunt quæ homines possident.*

*Martialis lib. 11. Epigram.*

Omnia quum tibi sint dona concessa Deorum,
Si quod habes, non vis, ergo quid accipies?

*Deo gratiæ ob bona innumera nobis concessa assiduè referendæ sunt, aliorum exemplo.*

*Sic Tityrus apud Virg. eclog 1.*

O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit,
Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram

Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, & ipsum
Ludere quæ vellem, calamo permisit agresti.

*Idem & Demipho apud Terent. in Phorm.*

Diis magnas merito gratias habeo, atque ago,
Quando evenere hæc frater nobis prospere.

*Deus terrena parvi facientibus, amore sui s. innumera largitur bona.*

*Horatius Oda 16. lib. 3.*

Quanto quisque sibi plura negaverit,
Adiis plura feret.

*Deo vocans segnis vocandus non est.*

*Paulinus.*

Huic vacantem, vel studentem, deditum,
In hoc reponentem omnia,
Ne quæso segnem, neve perversum putes:
Ne crimineris impium.

*Dei spiritus in Poetis esse dicitur. Quia quicquid boni dicunt, à Deo est.*

*Ovid. lib 6. Fastorum.*

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

*Tibullus lib. 3. de Arte amand.*

Est Deus in nobis, sunt & commercia cæli,
Sædibus æthereis spiritus ille venit.

*Dei charitatem seu lucem quisquis notare poterit, solis radios lucidos esse negabit.*

*Bôetius Metro. 10. lib. 3.*

Hanc quisquis poterit notare lucem,
Candidos phœbi radios negabit.

*Deum videns fælix est.*

*Ovid lib. 2. de Ponto.*

Fœlices illi, qui non simulacra, sed ipsos,
Quique Deum coram corpore vera vident.

*Dei visio est ultimus hominum finis.*

*Boetius Metro 9. lib. 3.*

Tu requies tranquilla piis, te cernere finis,
Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

*Idem metro 12. lib. 3.*

Fœlix qui potuit boni.
Fontem visere lucidum:

*Dii gentium nihil numinis habent, quia victi dicuntur.*

*Virgil.lib.1.Æneid.*

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
Ilium in Italium portans victosque penates.

*Martialis lib.8.Epigram.*

Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille deos: qui rogat ille facit.

*Diis equandus est qui cum fortuna, id est, adversitate moritur.*

*Seneca in* Hercule *Oeteo.*

Par ille est superis, cui pariter dies
Et fortuna fuit.

*Deos nocere ac invidere mortalibus non decet.*

*Claud.de raptu Proser.lib.3.*

——Nec enim livescere fas est,
Vel nocuisse deos.

---

## DE DIE.

*Nullus est dies mœrore vacans in hac vita.*

*Seneca in* T*roade.*

——Nulla dies
Mœrore caret, sed nova fletus
Caussa ministrat.

Hoc *adeò verum esse Dionysius tyrannus exemplo notabili comprobavit, quum cuidam, qui illum fœlicem adserebat, ensem alligatum setæ equinæ capiti super imponeret.*

Horat *Oda.1.lib.3.*

Districtus ensis, cui super impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes.
Dulcem elaborabunt saporem,
Non aurum, citharaque cantus
Somnum reducens.

*Dies lætitiæ post ærumnas quandoque advenit.*

T*ibullus eleg.6.lib.3.*

Venit post multas una serena dies.

*Ovid.lib.2.de Tristib.*

Sed solet interdum fieri placabile numen,
Nube solet pulsa candibus ire dies.

*Dies sereni plures quam nebulosi.*
*Ovid. 5. de* T*ristibus.*

Si numeres anno soles & nubila toto,
Invenies nitidum sæpius esse diem.

*Dies perfido nocendi aditum præstat.*
*Seneca in Oedipo.*

Aditum nocendi perfido præstat dies.

*Diei indagatio lepidissima.*
*Virgil. lib. 11. Æneid.*

Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores.

*Dies quisque supremus putandus.*
*Cat, lib. 1.*

Cum dubia incertis versetur vita periclis
Pro lucro tibi pone diem, quicunq; laboras.

---

## DE DISCIPULIS.

*Discipulorum officium.*
*Ausonius in Protreptico ad nepot.*

Disce libens, tetrici nec præceptoris habenas,
Detestere nepos nunquam horrida forma magistri,
Ille licet tristis senio, nec voce serenus,
Aspera contractæ minitetur jurgia frontis,
Nunquam immanis erit, placet assuetudine vultus;
Qui semel imbuerit, rugas nutricis amabit,
Qui refugit matrem Pappos aviasque trementos
Ante ferunt patribus seri nova cura nepotes,
Sic neque Peliden terribat Achillea Chiron
Thessalico permixtus equo, nec pinnifer Altas
Amphitryoniadem puerum, sed blandus uterque
Mitibus aloquiis teneros mulcebat alumnos.
Tu quoq; ne metuas quamvis schola verbere multo
Increpet, & truculenta senex gerat ora magister.
Degeneres animos timor arguit, at tibi consta
Intrepidus, nec te clamor, plagæque sonantes,
Nec matutinis agitet formido sub horis,
Quod sceptrum vibrat ferulæ, quod multa suppellex
Virgea, quod mollis scuticam prætexit aluta,
Quod ferveat trepido subsellia vestra tumultu:
Pompa loci, & vani fugiatur scena timoris.

*Ovid. lib. 1. de Artis.*

Phillyrides puerum citharæ præfecit Achillem,

Atque

Atque animos molli contudit arte feros,
Qui toties socios, toties exteruit hostes
Creditur anno sum pertimuisse senem.
Quas Hector sensurus erat poscente magistro,
Verberibus jussas præbuit ille manus.

## DE DISCORDIA.

*Discordiæ descriptioi*
*Prudent de Conc.& disc.p.*

——Scissura domestica, turbat
Rem populi titubatque foris quod dissidet intus:
Ergo cavete viri, ne sit sententia discors
Sensibus in vestris.

*Petronius Arbiter Satyricus.*

Intremuere tubæ, ac scisso Discordia crine
Extulit ad superos Stygium caput. hujus in ore
Concretus sanguis, contusaque lumina flebant.
Stabant irati scabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora,
Atque inter toto laceratam pectore vestem
Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra,

*Discordia res maximæ dilabuntur.*
*Virgil. in Bucol. 1. Ecloga.*

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en quo discordia cives
Perduxit miseros? en queis consevimus agros?

*Discordia Cælos intravit, & superos ad bella coegit.*
*Silius Italicus 9 lib.*

——Discordia demens
Intravit cælos superosque ad bella coegit.

*Discordia, demens dicitur, eo quod dementet homines.*

*Discordia gaudet ima summis permiscere.*
*Silius Italicus 13 bel. Pun. sec.*

——Et discordia gaudens
Permiscere fretum cælo.

## DE DISSIMULATIONE.

*Dissimulatoris intimatio reprehensione dignissima.*
*Martialis lib. 4. Epigram.*

Decipies alios verbis vultuque benigno:

Nam mihi jam notus dissimulator eris.

*Dissimulata verba sæpe profectu carent:*

*Ovid. lib. 3 de Ponto.*

Quum toties eadem dicam, vix audior ulli,
Verbaque profectu dissimulata carent.

*Dissimulare afflicto non est facile.*

*Tibullus Eleg. 7 lib. 3.*

Hei mihi difficile imitari gaudia falsa,
Difficile est tristi fingere mente jocum,
Nec bene mendaci risus componitur ore:
Nec bene sollicitis ebria verba sonant.

*Cornelius Gallus.*

Certe difficile est abscondere pectoris æstus:
Panditur & clauso sæpius ore furor

*Dissimulasse utile multis fuit.*

*Ovid. lib. 2 Fastorum.*

Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset
Tutus ab insidiis, dire Superbe, tuis.

*Idem lib. 2 de Arte Amandi.*

Utile quæ multis dissimulasse fuit.

*Horat.*

Misce stultitiam consiliis brevem:
Dulce est desipere in loco.

*Dissimulatio principib. necessaria.*

*Pecenst. symb.*

Nescit regnare qui nescit dissimulare.

---

## DE DIVITIIS.

*Divitiarum vis ac potestas.*

*Horat. 2 serm.*

——Divina humanaque
Divitiis parent.

*Petronius Arbiter in satyr.*

Quisquis habet nummos secura naviget aura,
Fortunamq; suo temperet arbitrio.
Uxorem ducat Danaen, ipsumque licebit
Acrisium semper credere, quod Danaen.
Carmina componat, declamet, concrepet, omneis
Et peragat caussas, sitque Catone prior;
Jurisconsultus paret, non paret habeto,
Atque esto quicquid Servius & Labeo.

Multa

Multa loquor, quidvis nummis præsentibus opta,
Et veniet. Clausum possidet arca Jovem.

*Divitiæ animi corporisve ægritudines non levant.*

*Horat. lib.* 1. *Epist. ad Lollium.*

Non domus & fundus, non æris acervus & auri
Ægroto domino deducit corpore febres,
Non animo curas. Valeat possessor oportet
Si comportatis rebus bene cogitet uti.

*Divitiæ non sunt appetendæ affectu, scilicet, maximo: quia congestæ assidue hominem cruciant.*

*Juvenalis satyra* 10.

Sed plures nimia congesta pecunia cura
Strangulat, & cuncta exuperans patrimonia census.

*Divitiæ mentis aciem haud illustrant, sed potius in veri boni ignorantia cæcos involvunt possidentium animos.*

*Boetius Metro* 2 *lib.* 1.

Heu quàm præcipiti mersa profundo
Mens habet, & propria luce relicta
Tendit in externas ire tenebras?
Terrenis quoties flatibus acta
Crescit in immensum noxia cura,
Hic quondam cœlo liber aperto,
Suetus in æthereos ire meatus
Cernebat rosei lumina Solis,
Visebat gelidæ sydera Lunæ
Et quæcunque vagos stella recursus
Exercet varios flexa per orbes,
Compressam numeris victor habebat.

*Idem metro* 10. *lib.* 3.

Non quicquid Tagus aureis arenis
Donat, aut Hermus rutilante ripa,
Aut Indus calido propinquus orbi,
Candidis miscens virides lapillos,
Illustrant aciem: magisque cæcos
In suas condunt animos tenebras.

*Divitiæ ignobilem nobilitate haud valent:*

*Horatius lib. Epodon in Menam.*

Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.

Divit

*Divitiæ à morte revocare vel liberare neminem possunt.*

*Valerius Flac. lib 6. Argonaut.*

Nulla cælum reparabile gaza.

*Horatius Oda 3. lib. 2.*

Cedes coemptis saltibus & domo
Villaq; flavus quam Tyberis lavat,
Cedes: & extructis in altum
Divitiis patietur hæres.
Dives ne prisco natus ab Inacho
Nil interest, an pauper & infima
De gente, sub divo moreris
Victima nil miserantis orci.

*Idem Oda lib. 3.*

Est ut vir viro latius ordinet
Arbusta sulcis, hic genero sior
Descendat in campum petitor,
Moribus hic meliorq; fama
Contendat, illi turba clientum
Sit major: æqua lege necessitas
Sortitur insignes & imos.
Omne capax movet urna nomen.

*Horat. lib. 2. epist. ad Florum:*

Quid vici prosunt, aut horrea, quid ve Calabris
Saltibus adjecti Lucani, si metit orcus
Grandia cum parvis non exorabilis auro?

*Seneca in Octavia.*

Licet extruat marmoribus atque auro tegat
Superbus aulam, limen armatæ ducis
Servent cohortes: mittat immensas opes
Exhaustus orbis, supplices dextram petant
Parthi cruentam, regna divitias ferant:
Veniet dies tempusque quo reddet suis
Animam nocentem sceleribus, jugulum hostibus,
Desertus, & districtus, & cunctis egens,

*Martialis lib. 1. Epigram.*

Divitior Crispo, Thrasea constantior ipso,
Lautior & nitido sis Meliore licet,
Nil addit penso Lachesis, fusoque sororum:
Explicat, & semper de tribus una negat.

*Statius lib. 5 Sylvarum.*

Quid probitas, aut casta fides? quid numina prosunt

Culta

Culta Deum? furvæ miseram circum undique lethi
Villivere plagæ, tenuantur dura sororum
Lucia,& exacti super est pars ultima fili.
Nil famuli cœtus, nil ars operosa medentum.
Auxiliata malis.

*Ausonius in Epigram.*

Effigiem rex Crœse tuam ditissime regum
Vidit apud manes Diogenes Cynicus,
Constitit,utque procul solito majore cachinno
Concussus dixt, quid tibi divitiæ
Nunc prosunt regum rex ô ditissime, quum sis
Sicut ego solus, me quoque pauperior?
Nam quæcunq; habui mecum fero, quum nihil ipse
Ex tantis tecum Crœse feras opibus.

*Divitiæ ut in morte homines haud sequuntur, ita nec auro sepultos in cælum, perducunt.*

*Ovid.* 5. *de* Tristibus.

Non ego divitias dando tibi plura dedissem,
Divitis ad manes nil feret umbra suos,

*Horatius Oda* 14 *lib.*2.

Languida tellus, & domus & placens
Uxor,neque horum, quas colis,arborum
Te præter invisas cupressos
Ulla brevem dominum sequetur.

*Idem lib.* 2.*epist. ad Jul. Florum.*

Sed vocat usque suum, qua populus adsita certis
Limitibus? vicina refugit jurgia, tanquam.
Sit proprium cuiquam,puncto quod mobilis horæ,
Nunc prece,nunc pretio,nunc vi,nunc sorte suprema
Permutet dominos, & cedat in altera jura.
Sic quia perpetuus nulli datur usus, & hæres
Hæredem alterius, velut unda supervenit undam.

*Silius Italicus lib.* 3. *bel. Pun.*

——Ditissimus agri
Occumbis generose Volunx, nec clausa repostis
Pondera thesauris,patrio nec regia quondam
Præfulgens ebore, & possessa mapalia soli
Profuerint quid rapta juvant? quid gentibus auri
Nunquam extincta sitis? modo quem fortuna fovendo
Congestis opibus, donisq; refersit opimis,
Nudum tartarea portabit navita cymba,

*Propertius*

*Propertius lib. 3. Eleg. ad amicam iratam.*

Nunc maris in tantum ventis jactamur, & hostem
Quærimus atq; armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas,
Nudus ad infernas stulte vehere rates:
Victor cum victis pariter miscebitur umbris
Consule cum Martio capte Iugurtha sedes,
Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.
Optima mors parca, quæ venit apta die.

*Lucanus lib. 9. bel. Civil.*

Nunc illuc auro positi, nec thure sepulti
Perveniunt.

*Divitiæ male acquisitæ diuturnæ esse non possunt, & ut ita sint precatio notatu digna.*

*Ovid lib. 3. Eleg.*

O si neglecti quisquam est Deus ultor amantis,
Jam male quæsitas pulvere vertat opes.

*Divitiæ malorum innumerum sæpe causa sunt.*

*Tibullus Elegia 9. lib. 1.*

Sæpe solent auro multa subesse mala.

*Divitiæ maximæ sunt, æquo animo parcè vivere.*

*Lucretius lib. 5. de natura rerum.*

Quod si quis vera vitam ratione gubernat,
Divitiæ grandes homini sunt, vivere parcè
Æquo animo; neq; enim est usquam penuria parvi.

*Divitiæ homini nihil prosunt, nisi eis utatur.*

*Cornelius Gallus.*

Quid mihi divitiæ, quarum si demeris usum,
Quamvis largus opum, semper egenus ero?
Imo etiam pœna est, partis incumbere rebus.
Quas quum possideas, est violare nefas.
Non aliter sitiens vicinas Tantalus vndas
Captat & appositis abstinet ora cibis.

*Divitiarum acumulatores seipsos fraudant suo malo, quas alii dum gaudio profundunt.*

*Plaut. in Aul.*

Heu me miserum, miserum, perii malè perditus, pessimè ornatus eo.
Tantum gemiti & malæ molestiæ hic dies mihi obtulit famem & pauperiem.

Per-

Perditiſſimus ego ſum omnium in terra.
Nam quid mihi opus vita'ſt qui tantum auri
Perdidi, quod cuſtodivi ſedulo? egomet me fraudavi
Animumq; meum geniumq; meum, nunc eo alii
Lætificantur meo malo & damno: pati nequeo.

*Divitiarum cuſtodia maxima eſt, quæ miſera eſſe dicitur, quia miſerum ſæpiſſime hominem reddit.*

*Juvenalis Satyra 14.*

Tantis parta malis cura majore metuq;
Servantur: miſera eſt magni cuſtodia cenſus.

*Divitiis patent omnia.*

*Horat. Satyr. 3. lib. 2.*

——— Omnis enim res,
Virtus, fama, decus divina humanaq; pulchris
Divitiis parent, quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens, etiam rex,
Et quicquid volet, hoc veluti virtute paratum
Speravit magnæ laudi fore.

*Lucret. lib. 5. de nat. rerum.*

Poſterius res inventa 'ſt, aurumq; repertum,
Quod faciles & validis & pulchris dempſit honorem
Divitioris enim ſectam plerumq; ſequuntur
Quamlibet & fortes, & pulchro corpore creti:

*Ovid lib. 3. eleg. de auri potentia.*

Jupiter admonitus nihil eſſe potentius auro,
Corruptæ pretium virginis ipſe fuit.
Dum merces aberat, durus pater, ipſe ſevera,
Ærati poſtes, ferrea turris erat:
Sed poſtquam ſapiens in munera venit adulter,
Præbuit ipſa ſinus, & dare juſſa, dedit.

*Ut divitiæ elargiantur pauperibus exhortatio obſervatione digna.*

*Horatius ſatyr. 2. lib. 2.*

——— Ego vectigalia magna
Divitiaſq; habeo, tribus amplas regibus: ergo
Quod ſuperat non eſt melius quo inſumere poſſis?
Cur eget indignus quiſquam te divite? quare
Templa ruunt antiqua Deum? cur improbe charæ
Non aliquid patriæ tanto emetiris acervo?
Uni nimirum tibi recti ſemper erunt res?

*Et infra.*

Nam propriæ telluris horum natura, neq; illum,
Nec me, nec quemquam statuit.

*Quatenus utendum divitiis.*

*Ausonius in Epigram.*

Re fruere, ut natus mortalis, dilige sed rem,
Tanquam immortalis: sors est in utroq; verenda;

*Divitiæ bona queq; temporalia recte utenti bona sunt, & e contra.*

Terentius in Heauton.

Quid reliqui est quin habeat, quæ quidem esse in homine dicuntur bona parentes,
Patriam incolumem, amicos, genus, cognatos,
Divitias? atq; hæc perinde sunt, ut illius animus est, qui ea possidet:
Qui uti scit, ei bona sunt; illi, qui non utitur rectè, mala.

*Divitiæ imperant, si eis uti homines ignorant, sin vero, e contra, serviunt.*

*Horatius lib. 1. Epist. ad Fuscum.*

Imperat, aut servit collecta pecunia cuique,
Tortum digna sequi potius, quam ducere funem.

*Divitiæ immensæ animo non sufficiunt*

*Juvenalis Satyra 14.*

Nec Crœsi fortuna unquam, nec Persica regna
Sufficient animo, nec divitiæ Narcissi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia.

*Divitiæ in commu[illegible] ut [illegible]onantur, vel ut contemnantur exhor[illegible]atio perpulchra*

*Horat: Oda 24. lib. 3.*

Vel nos in Capitolium
Quo clamor vocat & turba faventium,
Vel in mare proximum
Gemmas & lapides, aurum & inutile,
Summam materiam mali,
Mittamus.

*Terentius in Adelphis.*

Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum.

*Ditior esse nequit quæ victui suppetunt habens una cum corporali valetudine.*

*Horat. lib. 1. Epist. ad Iccium.*

—Tolle querelas.
Pauper enim non est, cui rerum suppetit vsus,
Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere maius.

*Ditior est qui nil cupit, quam qui totum possidet orbem.*

*Iuvenal. satyr. 14.*

Sensit Alexander, testa quum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem,
Passurus gestis æquanda pericula rebus.

*Ausonius in Biæ Prienei sententiis*

Quis dives? qui nil cupit.

*Dives amicos habet, pauper econtra.*

*Plaut. in Sticho.*

Nam hoc tu facito cogites, vt cuique homini res parata est,
Firmi amici sunt: si res lassæ labant, itidem amici collabascunt.
Res amicos invenit.

*Lucan. lib. 8.*

Nulla fides vnquam miseros elegit amicos.

*Diues esse, fierique cito qui vult, quid fas sit atque nefas haud curat, cernitque.*

*Iuvenalis satyr. 14.*

--Nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri, sed quæ reverentia legum?
Quis metus aut pudor est vnquam properantis avari?

*Divites si beneficium ab aliquo receperint, ipsorum gratia levis est: sin vero iniuriam, iras plumbeas gerunt.*

*Plautus in Pseudolo:*

Verum ita sunt isti nostri divites,
Si quid benefacias, levior pluma est gratia: si quid peccatum'st
Plumbeas iras gerunt.

*Divites elati atque superbi sunt.*

*Terentius in Hecyra.*

Quia paululum vobis accessit, sublati sunt animi.

*Divites pauperes fastidire non debent & adhuc notabilis exhortatio.*

*Martial lib. 3. Epigrammatum.*

Sunt tibi, confiteor, diffusi jugera campi,
Urbaniq; tenent prædia multa lares.
Et servit dominæ numerosus debitor arcæ,
Sustentatq; tuas aurea mensa dapes.
Fastidire tamen noli Ruffine minores.
Plus habuit Didymus, plus Philomelus habet.

## DE DOCTRINA.

*Doctrina in tenera ætate acquisita indelebilis esse dicitur.*

*Seneca in* Troade.

Dediscit animus sero quod didicit diu.

*Ovid. lib. 6. Fastorum.*

Cætera jampridem didici puerilibus annis,
Non tamen idcirco prætereunda mihi.

*Qui bona didicit, haud æquum facit, si ea dediscit.*

*Plautus in Amphitryone.*

Haud æquum facit, quod qui didicit, id dediscit.

*Addiscere qui dedignatur non levi castigatione dignus est.*

Horatius *de Arte Poëtica.*

Cur nescire pudens prave quam discere malo.

*Idem lib. 1. Epist. ad Mæcena.*

Ne cures ea quæ stulte miraris, & optas
Discere & audire, & meliori credere non vis.

*Doceri ab hoste fas est, scilicet quandoque*

*Ovid. lib. 4. Metamorph.*

—— Fas est & ab hoste doceri.

Docere *quilibet audet ea quæ bene didicit, at non econtra.*

*Horatius lib. 2. Epist. ad Augustum.*

Navem agere ignarus maris timet, abrotanum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare. Quod medicorum est
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

*Propert. lib. 2. Eleg. ad Mæcenat.*

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.

*Docere ignota atq; non scita nullus potest.*

*Horat. lib. 1. Epist ad Lollium.*

Inter cuncta leges, & percunctabere doctos:
Qua ratione queas traducere leniter ævum.

*Docens utilia desistere non decet,*

*Horatii exemplo.*

*Horat. Satyr. lib. 2.*

Dixerit insanum qui me, totidem audiet, atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.

---

## DE DOLORE.

*Quis vere atque ex animo doleat.*

*Martialis lib. 1. Epigram.*

Non luget quisquis laudari Gellia quærit,
 Ille dolet vere, qui sine teste dolet.

*Doloris maximi intimatio.*

*Ovid. ult. her. Sappho.*

Et lacrymæ deerant oculis, & verba palato:
 Adstrictum gelido frigore pectus erat.
Postquam se dolor imminuit: mea pectora planxi,
 Nec puduit ruptis exululare comis.
Non aliter, quam si nati pia mater adempti
 Portat ad extructos corpus inane rogos.

*Idem lib. 1. de Ponto.*

Jam dolor in morem venit meus: utque caducis
 Percussu crebro saxa cavantur aquis,
Sic ego continuo fortunæ vulneror ictu,
 Vixq; habet in nobis jam nova plaga locum,
Nec magis assiduo vomer teneatur ab usu.
 Nec magis est curvis Appia trita rotis,
Pectora quam mea sunt serie calcata malorum.

*Idem lib. 3. de Ponto.*

Utque reformidant insuetum lumina solem,
 Sic ad lætitiam mens mea segnis erat.

*Idem lib. 1. de Tristibus.*

Quocunq; aspiceres, gemitus, luctusq; sonabant:
 Formaq; non taciti funeris intus erat.
Si licet exemplis in parvis grandibus uti,
 Hæc facies Trojæ quum caperetur erat.

*Idem lib. 3. de Tristibus.*

Nil nisi flere libet, nec nostro parcior imber
 Lumine, de verna quæ nive manat aqua.

*Ibidem.*

Vivere me dices, sed sic, ut vivere nolim,
Nec mala tam longa nostra levata mora.

*Idem lib. 1. de Tristibus.*

Mens tamen ægra jacet, nec tempore robora sumpsit,
Affectusq; animi, qui fuit ante, manet.
Quæq; mora spatioq; suo coitura putavi
Vulnera non aliter, quam modo facta, dolent,
Scilicet exiguis prodest annosa vetustas,
Grandibus accedunt tempore damna malis.

*Plaut. in Milite.*

Cor miserum meum quidem guttatim contabescit,
Quasi in aquam indideris salem.

*Dolorem comitatur gaudium.*

*Claudianus de bel. Get.*

—Semperq; vicissim
Gaudia præmissi cumulant inopina dolores,

*Owen.*

Gaudia post luctus veniunt post gaudia luctus:
Semper in ambiguo speve metuve sumus.

*Dolore vinci malum est, nec virum decet.*

*Seneca in Thebaid.*

Sed flecte mentem, pectus antiquum advoca,
Victasq; magno pectore ærumnas doma.
Resiste, tantis in malis vinci malum est.

*Ibidem.*

Pauca ô parens magnanime, miseranda precor,
Ut verba natæ mente placata audias:
Non te ut reducam veteris ad specimen domus,
Habitumq; regni flore pollente incliti.
Peto, aut ut iras tempore, aut ipsa mora
Fractas remisso pectore ac placido feras.
Et hoc decebat roboris tanti virum,
Non esse sub dolore, nec victa malis.
Dare terga: non est ut putas virtus pater
Timere vitam: sed malis ingentibus,
Obstare, nec se vertere ac retro dare.

*Dolor constantes etiam frangit.*

*Valer. Flac. lib. 3. Argonaut.*

Jus Zephyri jam vela vocant, fiducia mœstis
Nulla vires ægra assidue mens carpitur æstu.
Ipse etiam Æsonides, quanquam tristissima rerum

Castiganda ducit, vultuq; premenda sereno.
Dulcibus indulget lacrymis, aperitq; dolorem.

*Tibullus lib. 3. Eleg. 2.*

Non ego firmus in hoc, non hæc patientia nostro
Ingenio: frangit fortia corda dolor.

*Dolor inclusus homines magis cruciat.*

*Ovid. lib. 5. de Tristibus.*

Strangulat inclusus dolor, atque cor æstuat intus,
Cogitur & vires multiplicare suas.

*Sedul.*

Sua vulnera nutrit
Qui tegit & plagam trepidat nudare medendi.

*Seneca in Agamemno.*

Magis exurunt, quos secretæ lacerant curæ.

*Dolor nimius improbatur,*

*Juv. Satyra 13.*

Ponamus nimios gemitus flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.

*Dolor animum summopere rodit, ingenio item artibusque adversatur.*

*Statius lib. 2. Thebaid.*

—— Excedere animum dolor, iraq; demens.

*Ovid. lib. de Sappho.*

Nunc vellem facunda forem, dolor artibus obstat,
Ingeniumq; meis substitit omne malis.
Non mihi respondent veteres in carmine vires,
Plectra dolore tacent, muta dolore lyra est.

*Dolore lacrymis egeritur, vindictaq; minuitur.*

*Ovid. lib. 4. de Tristibus.*

Fleq; meos casus, est quædam flere voluptas,
Expletur lacrymis, egeriturq; dolor.

*Seneca in Troade.*

———— Arbitrio tuo.
Implere lacrymis fletus, ærumnas levat.

*Ovididus lid 1. de sine titulo.*

At tu ne dubita: minuet vindicta dolorem.

*Levius est dolor, qui consilium capere potest.*

*Seneca in Troade.*

Levis est dolor, qui consilium capere potest.

*Major dolor caussatur ut plurimum ex terrenarum rerum, quam de amicorum & propinquorum amissione.*

*Juvenalis*

*Iuvenalis satyra 13.*

Quandoquidem accepto claudenda est janua damno
Et maiore domus gemitu, maiore tumultu,
Planguntur nummi, quam funera: nemo dolores
Fungit in hoc casu: vestem diducere summam
Contentus, vexare oculos humore coacto:
Ploratur lacrymis amissa pecunia veris

*Dolor vt absit ab aliquo deprecatio lepidissima.*

*Ovid. lib. 5 de Tristibus*

Dij facerent vtinam talis status esset in illo,
Vt non tristitiæ caussa delenda foret.

*Doloris immensi ex alicujus amici morte caussati expressio.*

*Vergil lib. 4. Georg. de Orpheo Eurydicen deflente.*

Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aerea deserti ad Strymonis vndam
Flevisse, & Helidis hæc euoluisse sub antris,
Mulcentem tigres & agentem carmine quercus.
Qualis populea mœrens philomena sub vmbra
Amissos queritur fœtus, quos durus arator
Observans, nido implumes detraxit: At illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, & mœstis late loca questibus implet.

*Ovid lib. 8. Metamorph.*

Non mihi si centum Deus ora sonantia linguis,
Ingeniumque capax, totumque Helicona dedisset.
Tristia prosequerer miserarum dicta sororum.

*Idem lib. 13. Meta. de Hecubæ dolore.*

Aspicit ejectum Polydori in littore corpus,
Factaque Threiciis ingentia vulnera telis
Troades exclamant, obmutuit illa dolore,
Et pariter vocem lacrymasque introrsus obortas
Devorat ipse dolor, duroq; simillima saxo
Torpet, & aduersa figit modo lumina terra,
Interdum toruos extollit ad æthera vultus,
Nunc positi spectat vultum, nunc vulnera nati
Vulnera præcipue: seq; armat & instruit ira.
Quæ simul exarsit, tanquam regina maneret
Vlcisci statuit, pœnaq; in imagine tota est.
Vtque furit catulo lactante orbata leæna,

Signaque nacta pedum, ſequitur, quem non videt, hoſtem,
Sic Hecube, poſtquam cum luctu miſcuit iram,
Non oblita animorum, annorum oblita ſuorum,
Vadit ad artificem dyræ Polymeſtora cædis,
Colloquiumq; petit: nam ſe monſtrare relictum
Velle, latens illi quod nato redderet aurum.
Credidit Odryſius, prædæq; aſſuetus amore,
In ſecreta venit.

*Idem lib. 2. de Philomena:*

Omnis adeſt ætas, mœrent juveneſq; ſeneſque,
Auſoniæ matres, Auſoniæq; nurus.

*Horat. Oda 9. lib. 2.*

Tu ſemper urges flebilibus modis
Myſten ademptum, nec tibi veſpero
Surgentc decedunt amores,
Nec rapidum fugiente ſolem.

*Statius lib. 5. Sylvarum.*

Sera quidem tanto ſtruitur medicina dolori.
Altera quum volucris Phœbi rota torqueat annum,
Sed quum plaga recens, & adhuc in vulnere primo
Nigra domus queſtu, miſeramq; acceſſus ad aurem
Conjugis orbati, tunc flere, & ſcindere veſtes
Et famulos laſſare greges, & vincere planctus,
Fataq; & injuſtos rabidis pulſare querelis
Cœlicolas ſolamen erat. Licet ipſe levandos,
Ad gemitus ſylvis comitatus, & amnibus Orpheus
Adforet, atque omnis pariter matertera vasem
Omnis Apollineus tegeret, Bacchiq; ſacerdos.
Nil cantus, nil fila, deis pallentis Averni,
Eumenidumq; audita comis mulcere valerent,
Tantus in attonito regnabat pectore luctus.

*Dolor ſolatio temporis magis augetur.*

*Auſon. par. 10.*

Non licet obductum ſenio ſopire dolorem
Semper crudeſcit nam mihi pœna recens,

*Idem ibid.*

Admittunt alii ſolatia temporis ægri
Hec graviora facit vulnera longa dies.

---

## DE DOLO.

*Dolus an virtus in hoſte quis quærit q d. nullus vel rarus.*
*Virgil*

*Virgil. lib. 2. Æneid.*

Mutemus clypeos, Danaumq; insignia nobis
Aptemus. Dolus an virtus quis in hoste requirat?

*Dolosi ut vulpes fugiendi.*

*Horat. de Arte Poët.*

Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.

---

## DE DORMITATIONE.

*Dormiens multum infelix dicitur.*

*Ovid. lib. 2 Eleg.*

Infelix tota quicunque quiescere nocte
Sustinet, & somnos præmia magna vocat.

*Dormientes libenter cum parvo damno haud quiescunt.*

*Plautus in Rudente.*

——Vigilare decet hominem
Qui vult sua tempori conficere officia.
*Nam qui dormiunt libenter, sine lucro, & cum malo quiescunt.*

---

## DE DOTE.

*Dos puellarum veræ divitiæ non sunt, sed pudicitia, pudor, cupiditatumq; refrænatio.*

*Horat. Oda 24. lib. 3.*

Dos est magna parentum
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas,
Et peccare nefas, aut pretium mori.

*Plautus in Amphitryone.*

Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur
Sed pudicitiam & pudorem, & sedatum cupidinem,
Deum metum, parentum amorem, & cognatum concordiam,
Tibi morigera, atque ut munifica sim bonis, prosim probis.

*Idem in Aulul.*

Dummodo morata recte veniat, dotata est satis.

*Ausonius in Biæ sententiis.*

Quæ dos matronis pulcherrima? Vita pudica.

*Dos magis quam fama puellarum diligitur.*

*Plautus in Persa.*

Tace stulta, non tu nunc hominum mores vides,
Quojusmodi ? hic cum mala fama facile nubitur,
Dum dos sit, nullum vitium vitio vortitur :

*Dotem accipiens imperium vendit.*

*Plaut. in Asinaria.*

Argentum accepi dote. imperium vendidi.

*Vide de his plura in titulo* De *mulieribus.*

*Mulieres dotatæ. &c.*

---

## DE DVCIBVS.

*Dux alios virtute atque in omni re præcedere debet, præcipue Catonis exemplo, & ad hoc exhortatio notabilis.*

*Lucanus lib. 9 bel civil.*

O quibus vna salus placuit mea signa sequutis
Indomita cervice mori, componite mentes
Ad magnum virtutis opus, summosq; labores.
--Primus arenas
Ingrediar, primusq; gradus in pulvere ponam,
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens, fatoq; pericula vestra
Prætentate meo, sitiat quicunque bibentem
Viderit, aut vmbras nemorum quicunq; petentis,
Æstuet, aut equitum peditum præcedere turmas,
Deficiat : si quo fuerit discrimine notum
Dux an miles eam.

*Et infra.*

Ipse manu sua pila gerens, præcedit anheli
Militis ora pedes, monstrat tolerare labores,
Non jubet, & nulla vehitur cervice supinus,
Carpentoque sedens, somni parcissimus ipse est,
Vltimus haustor aquæ, quum tandem fonte reperto,
Indiga cogatur latices potare juventus,
Stat dum lixa bibat.

*Et infra de eodem Cato.*

Cogit tantos tolerare labores
Summa ducis virtus, qui nuda fusus arena
Excubat, atque omni fortunam provocat hora.

*Silius Italic. lib. 1 bel. Pun.*

Primus inire malum. postremus ponere Martem,

*Claud.*

*Claud. de 4. Honorii conſ.*

—— Nec deſine tales
Nate ſequi: ſi bella tonant, prius agmina duris
Exerce ſtudiis, & ſævo præſtrue Marti.
Non brumæ requies, non hybernacula ſegnes
Ener vent torpore manus.

*Et ſequitur.*

Si longa moretur
Obſidio cum vota, caue ſecura remittas,
Incluſumqne putes: multis damnoſa fuere
Gaudia, diſperſi pereunt ſomnoq; ſoluti,
Sæpius incautæ nocuit victoria turbæ.
Neu tibi regificis tentoria longa redundent
Deliciis, non imbelles ad ſigna miniſtros
Luxuries armata trahat: neu flantibus auſtris,
Neu pluviis cedas, neu defenſura calorem
Aurea ſub moveant rapidos umbracula ſoles.
Inuentis vtere cibis, ſolabere partes
Æquali ſudore tuas. Si collis iniquus,
Primus ini. Sylvam ſi cædere provocat vſus,
Ne pudeat ſumpta quercum ſtraviſſe bipenni,
Calcatur ſi pigra palus, tuus ante profundum
Prætentet ſonipes, fluvios tu protere curru
Hærentes glacie, liquidos tu ſcinde natatu:
Nunc eques in medias equitum te confere turmas,
Nunc pedes aſſiſtas pediti, tum promptius ibunt
Te ſocio: tum conſpicuus, gratuſq; geretur
Sub te teſte labor.

*Ducis eſt ſubjectis parcere, ſuperbos vero debellare.*

*Vergil. 6 Æneid.*

Hæ tibi erunt artes, paciſq; imponere morem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

*Claud. de bel. Getico.*

——Ignoſcere pulchrum
Iam miſero pœnæ que genus vidiſſe precantem.

*Dulcis præſentia non parum prodeſt: abſentia vero econtra.*

*Vergil. lib. 2. Æneid.*

Tum vero incumbunt, vrgetque præſentia Turni.

*Plautus in Amphitryone.*

Vbi ſummus imperator non adeſt ad exercitum,

Citius

Citius quod non facto est usus sit, quam quod facto
est opus.

*Lucan. lib. 9.*

Ipse manu sua pila gerens, præ cædit anheli
Militis ante pedes monstrat tolerare labores
Non jubet.

*Ducis virtus maxima est hostem interimere ex Neronis sententia.*

*Seneca in Octavia.*

Extinguere hostem maxima est virtus ducis.

*Nulla ducis virtus excellentior esse dicitur amore & liberalitate.*

*Martialis lib.* 5. Epigram.

Quatenus hi non sunt, esto tu Cæsar amicus:
Nulla ducis virtus dulcior esse potest.

*Ducis turpis est somnolentia.*

*Silius Italicus lib.3. Civil.*

Turpe duci totam somno consumere noctem.
O rector Libyæ, vigili stant bella magistro.

*Dux optimus quis sit.*

*Claud. de bel. Getico.*

——— Ductorq; placebat,
Non qui præcipiti traheret simul omnia casu,
Sed qui maturo vel læta, vel aspera rerum
Consilio momenta regens, nec tristibus impar,
Nec pro successu tumidus spatiumq; morandi,
Vincendiq; modum mutatis nosset habenis

*Duce percusso milites diffugiunt.*

*Ovid lib. 3 Fastorum.*

Diffugiunt Tyrii, quo quemq; agit error, ut olim
Amisso dubiæ rege vagantur apes.

*Valer. Flac. lib.4. Argon.*

Bebricas extemplo spargit fuga, nullus adempti
Regis amor, montem celeres sylvamque capessunt.

*Cives servare virtus est maxima ducis. ex Senecæ sententia.*

*Seneca in Octavia.*

Servare cives major est virtus patriæ. patri.

# E.

## DE EBRIETATE.

*Ebrietas quæ sit ferenda.*

*Ovid lib. 2. de Remedio Amoris.*

Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas
Eripiat: si qua est inter utrumque, nocet.

*Ebrietatem subsequitur arcanorum proditio, philautia, & superbia.*

*Virgil. de Venere & Vino.*

Arcanum demens detegit ebrietas.

*Horatius lib. 1. Oda 18.*

———Subsequitur cæcus amor sui,
Attollens vacuum plus nimio gloria verticem,
Arcaniq; fides prodiga perlucidior vitro.

*Idem lib. 1. Epist. ad Torquatum.*

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit, ac docet arteis,
Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

*Ebrietas vera ut nocet, sic ficta prodest sæpe.*

*Ovid de Arte Amandi.*

Ebrietas ut vera nocet sic ficta juvabit.

*Ebrietas voluptatis comes est.*

*Silius Italic. 15. bel. pun.*

Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris
Circa te semper volitans infamia pennis.

*Vinum immoderate sumptum non parum obest.*

*Ovid lib. 2. de Remedio Amoris.*

Quid tibi præcipuam de Bacchi munere quæris?
Vina parant animos Veneri

*Idem de Arte Amandi lib. 1.*

Vina parant animos faciuntq; caloribus aptos.
Cura fugit multo, diluiturq; mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor, & curæ, rugaq; frontis abit.
Tunc aperit mentes ævo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

*Tibullus lib. 1. eleg 7.*

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos nescia membra modos.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus adfert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.

*Horat. Oda 18 lib. 1.*

At ne quis modici transiliat munera Liberi
Centaurea movet cum Lapithis rixa super mero
Debellata: monet Sithonis non levis Euius,
Quum fas atque nefas exiguo fine libidinum,
Discernunt avidi.

*Manil. lib 5:*

Ardescit vitio vitium viresq; ministrat
Bacchus.

*Trop lib. 2. Eleg. ad Cynthiam.]*

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

---

## DE ELECTIS.

*Electi sunt pauci.*

*Virgil. lib. 6. Æneid.*

——Pauci quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.

*Ibidem.*

——Pauci læta arva tenemus.

*Idem in viro bono.*

Vir bonus & sapiens, qualem vix reperit unum
Millibus è multis hominum consultus Apollo.

*Ausonius de septem sapientum senten.*

Plures esse Bias pravos, quam clara Priene.

---

## DE ELEMENTIS.

*Elementa quatuor sunt, ex quibus duo levia existunt sc. ignis & aer. quæ sursum naturaliter tendunt. Aqua vero & terra gravia sunt, & deorsum naturaliter tendunt.*

*Ovid. lib. 15. Metam. xph.*

Quatuor æternus genitalia corpora mundus
Continet, ex illis duo sunt onerosa, suoq;
Pondere in inferius, tellus atq; unda feruntur.
Et totidem gravitate carent, nulloq; premente

Alta

Alta petunt, aer atq; aere purior ignis.
*Idem lib. 1. Fastorum.*
Altum flamma petit, proprior locus aere cepit.
Sederunt medio terra fretumq; loco.
*Manilius lib. 1. Astronom.*
Ignis in æthereas volucer se sustulit auras,
Summaq; complexus stellantis culmina cœli
Flammarum vallo naturæ mœnia fecit.
Proximus in tenues descendit spiritus auras?
Aeraq; extendit medium per inania mundi.
Ignem flatus alit vicinis subditus astris.
Tertia sors unda stravit, fluctusq; natanteis
Æquore perfudit toto nascentia ponto,
Ut liquor exhalet tenuis, utq; evomat auras,
Aeraq; ex ipso ducentem semina pascat.
Ultimo subsedit glomerato pondere tellus.
*Ovid. lib. 1. Metamorph.*
Ignea convexi vis, & sine pondere cœli
Emicuit, summaq; locum sibi legit in arce.
Proximus est aer illi levitate, locoq;
Densior his tellus elementaq; grandia traxit,
Et pressa est gravitate sui, circumfluus humor
Ultima possedit, solidumq; coercuit orbem.
*Ibidem.*
Neu regio foret ulla suis animalibus orba,
Astra tenent cœleste solum, formæq; Deorum
Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ.
Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.
*Elementa generabilia corruptabilia*
*in invicem sunt.*
*Ovid. lib. 15. Metamorph.*
Quæ quanquam spatio distant, tamen omnia fiunt
Ex ipsis, & in ipsa cadunt: resolutaq; tellus
In liquidas rarescit aquas, tenuatus in auras
Aeraq; humor abit, dempto quoq; pondere rursus
In superos aer tenuissimus emicat ignes,
Inde retro redeunt, idemq; retexitur ordo,
Ignis enim densum spissatus in aera transit,
Hinc in aquas, tellus glomerata cogitur unda.
*Elementa omnia & cœlestia queq;*
*communia sunt.*
*Ovid lib. 6. Metamorph.*

Accessit

Accessit, positoq; genu Titania terram
Pressit, ut hauriret gelidos potura liquores:
Rustica turba vetat. dea sic affata vetantes;
Quid prohibetis aquas? Usus communis aquarum est.
Nec solem proprium natura, nec aera fecit,
Nec tenues undas ad publica munera veni,
Quæ tamen, ut detis, supplex peto.

---

## DE ELOQUENTIA.

*Eloquentiæ vis quanta.*

*Virgil lib. 1 Æneid.*

Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat,
Collectasq; fugat nubes, solemq; reducit.
At veluti magno in populo quum sæpe coörta est
Seditio, sævitq; animis ignobile vulgus,
Jamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate gravem, ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus adstant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam
Prospiciens genitor, &c.

*Ovid. ad Pisonem.*

Judicis affectum, possessaq; pectora tentas,
Victus sponte sua sequitur quocunque vocasti,
Flet si flere libet, gaudet gaudere coactus,
Et te dente capit judex, si non habet iram:
Sic auriga solet ferventia Thessalus ora
Mobilibus frenis in aperto flectere campo.
Qui modo non solum rapido permittit habenas
Quadrupedi, sed calce citat, modo torquet in auras
Flexibiles rictus, & nunc cervice rotata
Incipit effusos in gyrum carpere cursus.
Quis non attonitus judex tua respicit ora?
Quis regit ipse suam, nisi per tua pondera, mentem?
Nam tu sive libet pariter cum grandine nimbos
Densaq; vibrata jaculari fulmina lingua:
Seu juvat astrictas in nodum cogere voces,
Et dare subtili vivacia verba catena,
Dulce sive mavis, liquidoq; fluentia cursu
Vim Laertiade, brevitatem vincis Atridæ:
Verba, nec incluso, sed aperto pingere flore,
Inclyta Nestorii cedit tibi gloria mellis.

*Ovven.*

Ancipiti Eloquium longe penetrantius ense
Hoc rabiem motam sedat & arma virum.

*Eloquens forti viro dignior est, eique Præponitur.*

*Ouid. lib. 3. Metamorph.*

Quippe manu fortes (nec sunt tibe Marte secundi)
Consiliis cessere meis tibi dextera bello
Vtilis, ingensum est quod eget moderamine nostro
Tu vires sine mente geris, mihi cura futuri est.
Tu pugnare potes pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides. Tu tantum corpore prodes,
Nos animo. Quantoqueratem qui temperat ante it
Remigis officium quanto dux milite maior:
Tanto ego te supero, necnon in corpore nostro
Pectora sunt potiora manu: vigor omnis in illis:

*Ibidem.*

Mota manus procerum est & quid facundia posset
Tunc patuit, fortisque viri tulit arma disertus.

*Valer. Flac. lib. 4. Argonaut.*

Sed te non animus, nec solis viribus æquum
Credere, sæpe acripotior prudentia dextra

*Eloquentiæ fructus maximus est.*

*Ouid lib. 2. de Tristib.*

Discitur, innocuas ut agat facundia caussas:
Protegit hæc sontes, immeritosque premit.

*Lucan lib. 7. bel. ciuil. de Cicerone.*

—Romani maximus auctor
Tullius eloquii, cuius sub iure, togaque
Pacificas sævus tremuit Catilina secures.
Addidit invalidæ robur facundia caussæ.

*Ouidius ad Pisonem.*

Quin age maiorum iuuenis facunde tuorum
Scande super titulos. & avitæ laudis honores,
Armorumque decus præcede forensibus actis.
Sic etiam magnæ iam tunc Cicerone iuuentæ
Laurea facundis cesserunt arma togatis.

*Eloquentia affectu maximo appetenda non est quum noceat quandoque.*

*Iuvenalis satyra 10.*

Eloquium ac famam Demosthenis, aut Ciceronis
Incipit optare.

Eloquio-

Eloquio sed vterque Perit orator, vtrumque
Largus, & exundans letho dedit ingenii fons:
Ingenio manus est, & cervix cæsa: nec vnquam
Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.

---

## DE EXEMPLIS.

*Exempla aliorum quæ vim habeant.*
*Horat lib.1. Ser. satyra.4.*

-Insuevit pater optimus hoc me
Vt fugerem exemplis vitiorum quæq; notando
Quum me hortaretur parce frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo quod mi ipse parasset:
Nonne vides Albi ut male vivat filius? vtque
Barus inops? magnum documentum ne patriam rem
Perdere quis velit, à turpi meretricis amore
Quum deterreret, Sectani dissimilis sis.
Ne sequerer mœchas, concessa quum venere vti
Possem deprensi non bella est fama Treboni
Aiebat, &c.
—Sic me
Formabat puerum dictis & sive jubebat,
Vt facerem quid habes auctorem quo facias hoc,
Unum ex judicibus selectis objiciebat.
Sive vetabat: an hoc in honestum, & inutile factu
Necne sit addubites? flagret rumore malo quum,
Hic atque ille? Avidos vicinum funus vt ægros
Exanimat, mortisq; metu sibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria sæpe
Absterrent vitiis.

*Iuvenalis satyra.14.*

Sic natura jubet, velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Quum subeant animos auctoribus, &c. *Ibidem.*
—Quoniam dociles imitandis
Turpibus ac prauis omnes sumus.

*Cat lib 3.*

Multorum disce exemplo quæ facta sequaris
Quæ fugias: vita est nobis aliena magistra.

---

## DE EXPERIENTIA.

*Experientia ad scientiam acquirendam maxime confert.*

*Terentius*

*Terentius in Adelphis*

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad
vitam fuit,
Quin res, ætas, usus semper aliquid adportet novi,
Aliquid moneat, vt illa quæ te scire credas, nescias:
Et tibi putaris prima, in experiundo repudies.

*Ovid. 6. Metamorph.*

·Seris venet vsus ab annis.

*Experientia facit artem.*

*Manilius lib. 1. Astron.*

Postquam omnis cæli species redeuntibus astris
Percepta, in proprias sedes, & reddita certis
Fatorum ordinibus sua cuique potentia forma,
Per varios vsus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam.

*Ovid lib. 1 de Arte amandi.*

Scit bene venator cervis vbi retia tendet,
Scit bene qua frendens valle moretur aper:
Aucupibus noti frutices: qui sustinet hamos.
Novit quæ multo pisce natentur aquæ.

*Experientia est providentiæ magistra.*

*Propertius eleg. 1. lib. 2.*

Venturam melius præsagit navita mortem:
Vulneribus didicit miles habere metum.

*Ouid. lib. 2. de Ponto.*

Da veniam quæso, nimioque ignosce timori,
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus vnca cibis æra subesse putat.
Sæpe canem visum longe fugit agna, lupumque
Credit, & ipse suam nescia vitat opem.
Membra reformidant mollem quoque saucia tactum,
Vanaque sollicitis incitat vmbra metum:
Sic ego fortunæ telis confixus iniquis,
Pectore concipio nil nisi triste meo.



F

## DE FACILITATE.

*Facilia quæque in principio difficilia videntur.*

*Lucret lib. 2. de nat. rerum.*

Sed neque tam facilis res vlla est, quin ea primum
Difficilis magis ad credendum constet. *Facilia*

*Facilia aggredi difficile non est.*

*Ovid.lib.3.de Trist.*

In caussa facili cuiuis licet esse diserto,
Et minimæ vires frangere quassa valent.
Subruere est arces, & stantia mœnia virtus:
Quilibet ignava præcipitata premunt.

*Manilius lib.3. Astronomic.*

——Facile est ventis dare vela secundis,
Fœcundumque solum varias agitare per arteis,
Auroque atque ebori decus addere, quum rudis ipsæ
Materies niteat.

*Facilitate atque clementia nil homini melius.*

*Terentius in Adelphis.*

--Re ipsa repperi,
Facilitate nihil esse homini melius, neq; clementia.

---

## DE FACTO.

*Quæ quis vult facere, ea publicare non debet.*

*Ausonius in sententiis Thaletis.*

Quod facturus eris, dicere sustuleris.

*Factum æternum haud esse potest, quia nihil est æternum.*

*Seneca in Hercule Oetæ.*

Verum est quod cecinit sacer
Tangens Threiciam chelym
Orpheus Calliopæ genus:
Æternum fieri nihil.

*Facti fama etiam post mortem manet.*

*Ouid.lib.2.Fastor.*

Fama manet facti posito velamine currunt,
Et memorem famam qui bene gessit habet.

*Factum semel infectum fieri non potest, ob contra dictionis repugnantiam.*

*Horat.Oda 29.lib.3.*

——Cras vel atra
Nube polum pater occupato.
Vel sole puro, non tamen irritum
Quodcumq; retro est efficiet, neq;
Diffinget, infectumq; reddet
Quod fugiens semel hora vexit.

*Plautus in Aulularia.*

Factum est illud: fieri infectum non potest.

Idem

*Idem in Captivis.*

Quod male feci crucior, modo si infectum fieri possit

*Facinus maximum absque periculo non committitur.*

Terentius in Heauton.

Non fit sine periculo facinus magnum & memorabile.

---

## DE FALLACIA.

*Fallacia alia aliam sæpe expellit.*

*Terentius in Andria.*

Fallacia alia aliam trudit.

*Fallere aliquem sub amici nomine, tuta frequensque est via, ac criminosa tamen.*

*Ovid. lib. 1. de Arte amandi.*

Tuta frequensq; via est per amici fallere nomen:
Tuta frequensq; licet sit via, crimen habet.

*Ex Theogn.*

Fallere difficile est inimicum; at amicus amicum
Fallere non magno, Cyrne, labore potest.

*Fallentes fallere licet.*

*Ovid. lib. 1. de Arte amandi.*

Fallite fallentes, ex magna parte profanum
Sunt genus: in laqueos quos posuere cadant.

*Aliter.*

Fallere fallentum fraudemq; repellere fraude
Ex amploq; licet ludere quanq; suo.

---

## DE FAMA.

*Fama, velox est atq; eundo crescit: merito igitur, fallax loquaxque dicitur.*

*Vergil. lib. 4. Æneid.*

Extemplo Lybiæ magnas it fama per vrbes,
Fama, malum, quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo.
Parva metu primo, mox sese attollit in auras,
Ingrediturq; solo, & caput inter nubila condit:
Illam terra parens ira irritata deorum
Extremam (vt perhibent) Cæo, Enceladoq; sororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis,
Monstrum horrendum, ingens: cui quot sunt corpore plumæ,

Tot

Tot vigiles oculi ſubter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſurrigit aures,
Nocte volat cæli medio, terræq; per vmbram,
Stridens: nec dulci declinat lumina ſomno:
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti
Curribus, aut altis & magnas territat vrbes,
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.

*Ovid. lib 9. Metamorph.*

-Fama loquax pervenit ad aures
Deianira tuas, quæ veris addere falſa
Gaudet, & è minimo ſua per mendacia creſcit.

*Idem lib. 12. Metamorph.*

Orbe locus medio eſt inter terraſque fretumque,
Cæleſteſque plagas, triplicis confinia mundi.
Vnde quod eſt uſquam, quamvis regionibus abſit,
Inſpicitur, penetratque cauas vox omnis ad aures.
Fama tenet, ſummaque domum ſibi legit in arce,
Innumeroſque aditus, ad mille foramina tectis
Addidit, & nullis incluſit limina portis.
Nocte dieque patet, tota eſt ex ære ſonanti.
Tota fremit, voceſque refert, iteratque quod audit.
Nulla quies intus, nullaque ſilentia parte.
Nec tamen eſt clamor, ſed parvæ murmura vocis,
Atria turba tenet, veniunt leve vulgus, euntque,
Mixtaque cum veris paſſim commenta vagantur
Millia rumorum, confuſaque verba volutant.
Equibus hi vacuas implent ſermonibus aures,
Hi narrata ferunt alio, menſuraque ficti
Creſcit, & auditis aliquid novus adjicit auctor.
Ipſa quid in cælo rerum pelagoque geratur,
Et tellure videt, totumque inquirit in orbem.

*Idem lib. 4. de Ponto.*

En ego lætarum venio tibi nuncia rerum
Fama per immenſas aere lapſa vias,

*Martialis lib. 7. Epigr.*

Certus abeſt auctor, ſed vox hoc nunciat omnis.
Credo tibi, verum dicere fama ſoles.

*Plautus in Perſa.*

Inimici famam non ita, vt nata eſt, ferunt.

*Famam bonam amittere pejus eſt, quam nobiliſſima quæque.*

*Horat. ſatyra 2 lib. 1.*

—Vnde Fama

Fama malum gravius, quam, res, trahit. An tibi abunde
Personam satis est, non illud, quicquid, ubiq;
Officit evitare bonam deperdere famam?

*Famam incontaminatam servans dives sat est.*
*Plautus in Mustella.*

Ego si bonam famam mihi servasso sat ero dives.

*Fama hominum licet longa sit, tamen à morte secunda tandem delebilis est.*
*Boetius Metro 7. lib. 2.*

Quid ô superbi colla mortali jugo.
Frustra levare gestiunt?
Licet remotos fama per populos means
Diffusa linguas explicet,
Et magna titulis fulgeat claris domus,
Mors spernit altam gloriam,
Involvit humile pariter, & celsum caput;
Æquatq; summis infima,
Ubi nunc fideles ossa Fabricii manent?
Quid Brutus, aut rigidus Cato?
Signat superstes fama tenuis, pauculis
Inane nomen literis.
Sed quid decora novimus vocabula?
Non scire consumptos datur?
Jacetis ergo prorsus ignorabiles,
Nec fama notos efficit
Quod si putatis longius vitam trahi,
Mortalis aura nominis:
Quum sera vobis rapiet hoc etiam dies,
Jam vos secunda mors manet.

*Ausonius lib. Epigram.*

Miremur periisse homines, monumenta fatiscunt.
Mors etiam saxis, nominibusq; venit.

*Fama, seu virtutis nomen superest tantum, cætera vero mortis sunt.*
*Ovid. lib. 2. Fastorum.*

Fama manet, facti posito velamine currunt.
Et memorem famam, qui bene gessit, habet.

*Idem de Sappho.*

At mihi Pegasides blandissima carmina dictant,
Jam canitur toto nomen in orbe meum.

Idem

*Idem lib. 3. de Ponto.*

Corpora debentur mœstis exanguia bustis,
Effugiunt,structos nomen honosq; rogos.
Occidit & Theseus, & qui comitavit Orestem,
Sed tamen in laudes vivit uterq; suas.

*Idem 4. de Ponto.*

Famaq; post cineres major venit.

*Idem lib. 1. Eleg.*

Scindentur vestes,gemmæ frangentur, & aurum,
Carmina quum tribuent fama perennis erit.

*Idem lib. 3. de Tristib.*

Singula quid referam? nil non mortale tenemus.
Pectoris exceptis ingeniiq; bonis.
En ego quum patria caream,vobisq; domoque,
Raptaq; sint adimi quæ potuere mihi,
Ingenio tamen ipse meo comitorq; fruorque,
Cæsar in hoc potuit juris habere nihil,
Quilibet hanc sævo vitam mihi finiat ense,
Me tamen extincto fama superstes erit.

*Propert, lib. 1. Eleg.*

At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
Excidet, ingenio stat sine morte decus.

*Ausonius in Thaletis Sententiis.*

Vita perit,mortis gloria non moritur.

---

## DE FAME.

*Famis descriptio.*

*Ovid. 8. Metamorph.*

Est locus extremis Scithie glacialis in oris,
Triste solum, sterile,sine fruge, sine arbore tellus,
Frigus, iners illic habitant Pallorq; Tremorq;
Et jejuna Fames.

*Et infra.*

Quæsitamq; Famem lapidoso vidit in antro,
Unguibus & raris vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis,cava lumina,pallor in ore,
Labra in cana situ, scabri rubigine dentes,
Dura cutis,per quam spectari viscera possent:
Ossa sub incurvis extabant arrida lumbis.
Ventris erat pro ventre locus, pendere putares
Pectus & à spinæ tantummodo crate teneri,
Auxerat Articulos macies, genuumq; tumebat

Orbis

Orbis & immodico prodibant tubere tali.

*Latrante stomacho omnis mora bilem movet.*

*Plautus in Amphi.*

Fames & mora bilem in nasum consciunt.

*Esurienti dulcia gustabiliave sunt quæque.*

*Ovid. lib.6. Metamorph.*

Haustus Aquæ mihi nectar erit: vitamq; fatebor
Accepisse simul, vitam dederitis in undis.

*Horat. Satyra 2. lib.2.*

Jejunus stomachus raro vulgaria temnit.

*Silius lib. 2.*

—Rabîdi jejunia ventris
Insolitis adigunt vesci.

*Fames omnia expugnat.*

*Lucan. lib. 3.*

Asserit utbes sola fames.

---

## DE FATO.

*Fatum (seu causarum ordo) immutabile est, ex quo humanum genus regi necessario quidam opinantur, sed falso: nisi intelligant per Fatũ Dei voluntatem, & hæc immutabilis est, ut supra ostensum titulo de Deo.*

*Virgil. lib. 6. Æneid.*

Desine fata Deum flecti sperare precando.

*Juvenalis Satyra 9.*

Fata regunt homines.

*Seneca in Oedipo.*

Fatis agimur, credite fatis.
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi.
Quicquid patimur mortale genus,
Quicquid facimus, venit ex alto,
Servatq; sua decreta colus,
Lachesis dura revoluta manu.
Omnia secto tramite vadunt.
Primusq; dies dedit extremum
Non illa Deo vertisse licet,
Quæ nexa suis currunt causis.
It cuiq; ratus prece non ulla
Mobilis ordo: multis ipsum
Timuisse nocet: multi ad fatum
Venere suum, dum fata timent.

*Idem in Octavia.*

Regitur fatis mortale genus,
Nec sibi quisquam spondere potest
Fermum & stabile: perque ? casus
Volvitur varios semper nobis
Metuenda dies.

*Manilius lib. 2. Astronom*

Mitto, quod certum est, & inevitabile fatum.

*Idem lib. 4. Astronom.*

Solvite mortales animos curasque levate
Totque supervacuis vitam deplete querelis.
Fata regunt orbem, certa stant omnia lege.
Longaque per certos signantur tempora cursus,
Nascentes morimur: finisque ab origine pendet.
Tunc & opes, & regna fluunt, & sæpius orta
Paupertas, artesque datæ, moresque creati,
Et vitia & clades, damna & compendia vitæ.
Nemo caret damno, poterit nec habere negatum,
Fortunamve suis invitam prendere votis,
Aufugere instantem. Sors est sua cuique ferenda.
At nisi fata darent leges vitæque necisque,
Fugissent ignes Æneam, Troia sub vno
Non eversa viro, fatis vicisset in ipsis.
Aut lupa projectos nutrisset Martia fratres
Romaque sic enata foret, pecudumque magistri
In Capitolinos auxissent culmina monteis,
Includive sua potuisset Iupiter arce.
Captus, vel caput hic orbis foret igne sepulto.
Vulneribus victor repetisset Mutius urbem:
Solus & oppositis clausisset Horatius armis
Pontem, vrbemque simul, rupisset fœdera virgo,
Tresque sub vnius fratres virtute jacerent,
Nulla acies tunc evicit pendebat ab vno
Roma viro, regnumque orbis sortita jacebat,

*Fatum divinæ subjicitur potestati.*

*Statius lib. 5. Sylvarum*

——Heu durus fati tenor, estne, quod illi
Non liceat ? quantæ poterant mortalibus annis
Accessisse moræ ? si tu pater omne teneres
Arbitrium, cæco gemeret mors clausa baratro
Longius & vacuæ posuissent stamina Parcæ.

*Fata, id est, adversa qui procul cavit, ac vitæ bona,*

*est, prospera projecit nullo ei opus est ut mortem cupiat petatque. Utrumque enim velle timidi est.*

*Seneca in Oedip.*

Qui fata proculcavit, ac vitæ bona
Projecit atq; abscidit, & casus suos
Oneravit, ipsi, ceu video, nullo est opus.
Quare ipse mortem cupiat, aut quare petat.
Utrumque timidi est velle. Contempsit mori
Qui non concupiscit.

---

DE FAVORE.

*Favor hominum nullo arte quæritur melius quam servare hominem.*

*Ovid. lib. 2. de Ponto Eleg 9.*

Conveniens homini est, hominem servare voluptas,
Et melior nulla quæritur arte favor.
Quis non Antiphatem Læstrygona devovet? aut quis,
Munifici mores improbat Alcinoi?

*Favor opus adjuvat, laboremq; minuit.*

*Ovid lib. 3. de Ponto.*

Scribentem juvat ipse favor minuitq; laborem,
Cumq; suo crescens pectore fervet opus.

---

DE FELICITATE.

*Felix boni fontem, id est, Deum videre qui potuit*

*Boëtius metro 12. lib. 3.*

Felix qui potuit boni
Fontem visere lucidum:
Felix qui potuit gravis
Terræ solvere vincula.
Felix, non erat, qui potuit cadere.

*Boëtius Metro 1. lib. 1.*

Quid me felicem toties jactastis amici:
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

*Felix dicitur quem aliena pericula cautum reddunt:*

*Tibullus eleg. 7. lib. 3.*

Vos ego nunc moneo felix quicunq; dolore
Alterius disces posse carere tuo.

*Plautus.*

Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.

*Terentius.*

Ex aliis periculum facito tibi quod ex usu siet.

*Felix dicitur mortis metum qui suis subjecit pedibus.*

*Virgil. lib. 2. Georg.*

Felix qui potuit rerum cognoscere caussas,
Atq; metus omneis, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumq; Acherontis avari,

*Felix dicitur qui suis contentus vivit, neq; se aliis negotiis immiscet.*

*Claud. de sene Veronensi.*

Felix, qui propriis ævum transegit in arvis,
Ipsa domus puerum, quem videt ipsa senem,
Qui baculo nitens, in qua reptavit arena,
Unius numerat secula longa casæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu.
Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas;
Non freta mercator timuit, non classica miles,
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ nescius urbis,
Aspectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non consule computat annum,
Autumnum pomis, ver sibi flore notat.
Idem condit ager solem, idemq; reducit,
Metiturq; suo rusticus orbe diem.
Ingentem meminit parvo qui gramine quercum
Æquævumq; videt consenuisse nemus.

*Et infra.*

Erret & extremos alter scrutetur Iberos,
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

*Fœlix esse dicitur qui terrenas cupiditates superavit.*

*Juvenalis Satyra 13.*

Plurima fœlix
Paulatim vitia atq; errores exuit omnes.

*Boëtius Metro 12. lib. 3.*

Fœlix qui potuit gravis
Terræ solvere vincula.

*Felices dicuntur, æquanimiter sustinentes incommoda præsentis vitæ.*

*Juvenal. Satyra 13.*

——Dicimus autem
Hos quoq; fœlices qui ferre incommoda vitæ,
Nec jactare jugum vita didicere magistra.

*Fœlices vocantur illi quorum amor, scilicet Dei & proximi, usq; ad mortem perseverat.*

*Horat. Oda 13. lib. 1.*

Fœlices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis.
Divulsus querimoniis
Suprema citius solvet amor die.

---

## DE FIDE.

*Fidei commendatio maxima eo quod sine ipsa pax nusquam reperitur.*

*Silius Italic. lib. 2 bel. Pun. sec.*

Ante Jovem generata, decus divumq; hominumq;
Qua sine non tellus pacem, non æquora norunt,
Iustitiæ consors, tacitumq; in pectore numen:
Exitiumne tuæ dirum spectare Sagunthi,
Et tot pendentem pro te dea cernere pœnas
Urbem lenta potes? moritur tibi vulgus, & una
Te matres vincente fame: te mœsta virorum
Ora vocant, primaq; sonant te voce minores:
Fer cœlo auxilium, & fessis da surgere rebus
Hæc fatus Alcmena.

*Fidei ad Herculem responsio lepidissima, quæ ait, se regiones omnibus malis pollutas habitare non posse.*

*Ibidem.*

Contra cui talia virgo:
Cerno equidem, nec pro nihilo est mihi fœdera rumpi,
Statq; dies ausis olim tam tristibus ultor.
Sed me pollutas properantem linquere terras,
Sedibus his, tectisq; Jovis succedere adegit
Fœcundum in fraudes hominum genus, impia liqui,
Et quantum terrent, tantum metuentia regna,
Et furias auri, nec vilia præmia fraudum,
Et super hæc ritu horrificos, ac more ferarum
Viventeis rapto populos, luxuq; solutum
Omne decus, multaq; oppressum nocte pudorem.
Vis colitur, jurisq; locum sibi vindicat ensis.

Et probris cessit virtus. En aspice gentes,
Nemo insons, pacem servant commercia culpæ.

*Fides clementiæ germana.*

*Claudianus lib.2. in Stiliconis laudes.*

Huic divæ germana fides, eademq; sororis
Corde tuo delubra tenens,

*Fides amorem amicitiasque maxime servat.*

*Ibidem.*

Hæc & amicitias longo post tempore firmat,
Mansuroq; adamante ligat, nec mobile mutat
Ingenium, parvæ strepitu nec vincula noxæ
Dissolvi patitur, nec fastidire priorem
Allicitur veniente novo: benefacta tenere,
Respuere offensas facilis, pariterq; minoris
Officii, magniq; memor superare laborat:
Utque hostes armis, meritis sic vincit amicos.

*Propert. lib.2. Eleg.*

Multum in amore fides, multum constantia prodest.

*Fides* Deo *placet magis quam sacrificium.*

*Ovid. Epist.18.*

Non bove mactato cœlestia numina gaudent,
Sed quæ præstanda est, & sine teste fide.

*Fides tarda solet esse in rebus magnis.*

*Ovid. Epist.* 16. Heroid.

Tarda solet magnis rebus in esse fides.

*Fides adversis rebus abest.*

*Lucanus lib.9. de bel. civil.*

Clausa fides miseris.

*Seneca in* Hercule *Oeteo.*

Non rara fides ubi jam melior
Fortuna ruit.

*Silius Italicus lib.11. bel. Pun. secun.*

——Stat nulla diu mortalibus usquam
Fortuna titubante fides.

*Fides empta haud perdurat.*

*Claudianus de 4. Honor. Consul.*

Perdurat non empta fides, nec pectora merces
Alligat.

*Fides quandoque scelus est.*

*Seneca.*

Præstare fateor posse me tacitam fidem

Si ſcelere careat; interdum ſcelus eſt fides.

*Fides opere non verbo præſtanda eſt.*

*Ovid. lib. 2. Faſtorum.*

Surgit qui dederat clarum Collatia nomen,
Non opus eſt verbis, credite rebus, ait.

*Fides regnis poſtponenda non eſt.*

*Silius Italicus lib. 2. bel. Pun. ſecun.*

Queis vero non æqua dedit victoria nomen,
Audite, ò gentes, neu rumpite fœdera pacis.
——Nec regnis poſt ferte fidem.

*Fides prohibet arcana loqui.*

*Seneca in Oedipo.*

Fatere ne te cogat ad verum dolor
PH. Prohibet fides.

*Fides in ſenibus major eſt, quam in juvenibus, ipſa quippe robuſtos annos exigit.*

*Lucan. lib. 8 bel. civil.*

Ardua quippe fides robuſtos exigit annos.

*Ibidem de Ptolemæo rege.*

Pelæuſq; puer gladio tibi colla recidit
Magne tuo.

*Seneca in Octavia.*

Teneris in annis haud ſatis clara eſt fides.

*Claud. de 4. Honorii Conſul.*

——Præmiſſa futuris
Dant exempla fidem.

*Fides atque taciturnitas ſervis neceſſaria eſt.*

*Terentius in Andria.*

Nihil iſthac opus eſt arte ad hanc rem, quam paro.
Sed his, quas ſemper in te intellexi ſitas,
Fide & taciturnitate

*Fides nuſquam tuta eſt.*

*Virgil. lib. 4. Æneid.*

Nuſquam tuta fides.

*Manilius lib. 2 Aſtron.*

Perq; tot ætates hominum, tot tempora & annos,
Tot bella & varios etiam ſub pace labores:
Ut fortuna fidem quærat, vix invenit uſquam.
At quanta eſt ſcelerum moles per ſecula cuncta?
Quamq; onus invidiæ non excuſabile terris?
Venales ad fata patres, matrumq; ſepulchra

Impoſuit, Phœbus noctem terraſq; reliquit.
Quid loquar everſas urbeis, & prodita templa?
Et varias pacis clades, & mixta venena,
Inſidiaſq; fori, cædes in mœnibus ipſis,
Et ſub amicitiæ graſſantem nomine turbam?
In populo ſcelus eſt, & abundant cuncta furore,
Et fas atq; nefas mixtum, legeſq; per ipſas
Sævit nequities, pœnas jam noxia vincit.
Scilicet in multis quoniam diſcordia ſignis
Corpora naſcuntur pax eſt ſublata per orbem,
Et fidei rarum fœdus, paciſq; tributum:
Utq; ſibi cœlum, ſic tellus diſſidet ipſa,
Atq; hominum gentes inimica ſorte feruntur.

*Fides inter aulicos rara.*

*Seneca.*

Non intrat unquam regium limen fides.

*Item Al.*

Tu quicunq; es qui ſceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in aula
Centum pariter limina pulſet,
Cum tot populis ſtipatus eas,
In tot populis vix una fides, &c.

*Fidei violator amariſſimas luet pœnas.*

*Silius Italicus lib. 13. bel. Pun. ſec.*

—Qui frangere rerum
Gaudebit pacta, ac tenues ſpes linquet amici.
Non illi domus, aut conjux, aut vita manebit
Unquã expers luctus, lacrymæq; aget æquore ſemper,
Ac tellure premens, aget ægrum nocte dieq;
Deſpecta ac violata fides.

*Quantum nummorum habent homines,*
*tantum habent & fidei.*

*Juvenalis Satyra 3.*

Quantum quiſq; ſua nummorum continet arca,
Tantum habet & fidei.

---

## DE FIDELITATE.

*Fidelis in pecuniis, etiam in arcano regendo*
*fidelis exiſtimandus eſt.*

*Terentius in Phorm.*

Cujus tu fidem in pecunia perſpexeris,
Verere ei verba credere?

Fidem

*Fidem in mala injustave causa servare scelus est.*

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Præstare fateor posse me tacitam fidem
Si scelere careat, interim scelus est fides.

*Fidelitatis servandæ precatio, seu admonitio dignissima.*

*Ovid. Epist. 19. Heroid.*

Ut valeant, aliæ ferrum patiuntur & ignes,
Fert aliis tristem succus amarus opem.
Nil opus est istis, tantum perjuria vita,
Teq; simul serva, meq; datamq; fidem.

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Sed te per omne cœlitum numen precor,
Per hunc timorem, quicquid arcani apparo
Penitus recondas, & fide tacita premas.

*Plautus in Capt.*

Fac fidelis sis fideli, cave fluxam fidem geras.

*Silius Italic. lib. 13. bel. Pun.*

Vox (*scilicet fidei*) occulta subit, passim diffusa per aures:
Fœdera mortales ne sævo rumpite ferro,
Sed castam servate fidem: fulgentibus ostro
Hac potior regnis.

*Fidelitatis servandæ promissio promptissima.*

*Terentius in Phormione.*

Isthæc mihi res solicitudine est,
Neq; defetiscar unquam adeo experirier
Donec tibi id quod pollicitus sum, effecero.

*Ibidem.*

Quanta hæc mea paupertas est tamen
Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mihi esset fides.

*Fidelissimi viri intimatio perpulchra, maxime in promissorum syncerissima observatione.*

*Plautus in Asinaria.*

Fidem homini si quid recte curatum velis
Mandes, moriri sese misere mavolet,
Quam non perfectum reddat, quod promiserit.

*Fideles seu fœdera observantes, nunc egent, fœdifragi vero ditantur.*

*Claud. lib. 1. in Eutrop.*

—At nunc qui fœdera rumpit,
Ditatur: qui servat, eget.

## DE FILIIS.

*Filii domandi sunt, atque ad laborem paulatim assuefaciendi, moraliter.*

*Virgil. lib. 3. Georg.*

Tu quos ad studium atq; usum formabis agrestem,
Dum vitulos hortare, viamque insiste domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.
Ad primum laxos tenui de vimine circlos
Cervice subnecte, dehinc ubi libera colla
Servitio adsuerint, ipsis è torquibus aptos
Junge pares, & coge gradum conferre juvencos.

*Claud in Panegyr. 3. Honorii Consul.*

Mox ubi firmasti recti vestigia gressu,
Non tibi delidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec somnos genitor permisit inertes,
Sed nova per duros instruxit membra labores,
Et cruda teneras exercuit indole vires,
Frigora sæva pati gravibus non cedere nimbis,
Æstivum tolerare jubar, transnare sonoras
Torrentum furias, ascensu vincere montes,
Planiciem cursu, valles & concava saltu,
Nec non in clypeo vigiles perducere noctes.
In galea portare nives, nunc spicula cornu
Tendere nunc glandes Baleari spargere funda:
Quoq; magis nimium pugnæ inflammaret amorem
Facta tui numerabat avi.
Hos tibi virtutum stimulos hæc semina laudum,
Hæc exempla dabat, non ocyus hausit Achilles
Semiferi præcepta senis, seu cuspidis artes,
Sive lyræ, cantus, medicas seu disceret herbas.

*Filius à parentum moribus degenerans.*

*Horat. Oda 6. lib. 3.*

Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

*Filii tales esse dicuntur, ut eos parentes esse sinunt.*

Terentius in *Adelphis.*

Sic fiet modo, ut nunc est, quæso,
Ut quisque filium suum vult esse, ita est.

*Filii parentum acta moresque, ut plurimum imitantur. De quo infra tit. de parentibus plura.*

*Horat. Oda 4. lib. 4.*

Fortes creantur fortibus & bonis.
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

*Seneca in Hippolyto.*

Redit ad auctores genus,
Stirpemq; primam degener sanguis refert

*Filii obedientes hilariter quod decet parentibus peragunt.*

*Terentius in Andria.*

P, Neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora.
S. I. Facis quod te decet,
Quum isthoc, quod postulo, impetro cum gratia.

*Filii parentum mortem appetunt sæpissime.*

*Terent. in Adelphis.*

——Porro autem dum studeo illis ut quam plurimum
Facerem contrivi in quærendo vitam, atque ætatem meam.
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab his fero, odium.
Meam autem mortem expectant.

*Filias nuptui invitas tradere inscitia est.*

*Plautus in Sticho.*

Stultitia est pater venatum ducere invitos canes.
Hostis est uxor, invita quæ ad virum nuptum datur.

*Filiarum pudicitiam parentes servare non nimis possunt.*

*Plautus in Epidico.*

Docte & sapienter
Dicis, non nimis potest pudicitiam quisquam suæ servare filiæ.

*Filia pudica & casta domi sedet.*

*Pont. Amor conj.*

Quæ casta est thalamo gaudet laribusq; paternis
Turba nocet; turbæ crimina ubiq; placent.

## DE FINE.

*Finis acta probat*

*Ovid Epistola 1. Heroidum*

Exitus acta probat, careat successibus opto
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

*Miserabilis summorum imperatorum ac regum finis.*

*De Crassi fine sic Ovid. lib. 6. Fast.*

Crassus ad Euphraten aquilas, natumque suosque
Perdidit, & letho est vltimus ipse datus.

*Et Lucanus lib. 1 bel civil.*

—— Miserando funere Crassus
Assyrias Latio maculavit sanguine Carras.

*De Crœsi fine in hunc modum Ovid. lib. 4. de Ponto.*

Divtitis audita est cui non opulentia Crœsi?
Nempe tamen vitam captus ab hoste tulit.

*Ibidem de* Dionysii *tyranni fine.*

Ille Syracusia modo formidatus in vrbe,
Vix humidi duram reppulit arte famem.

*Idem lib. 5, de* Tristib. *de eodem.*

Vilia qui quondam miseris alimenta negarat,
Nunc mendicato pascitur ille cibo.

*De eodem sic Iuvenalis* 10. *satyr.*

Qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atque duas tantum res anxius optat.

*Idem eadem satyra de Hannibalis fine.*

Expende Hannibalem, quot libras in duce summo
Invenies? hic est, quem non capit Aphrica Mauro
Perfusa Oceano, Niloque admota tepenti.
Rursus ad Aethiopum populos, altosque elephantes
Additur imperiis Hispania,, Pyrenæum.
Transilit: opposuit natura alpemque nivemque,
Diduxit scopulos & montem rupit aceto.
Iam tenet Italiam, tamen vltra pergere tendit.
Actum (inquit) nihil est, ni Pœno milite portas
Frangimus, & media vexillum pono Suburra.
O qualis facies, & quali digna tabella,
Quum Getula ducem portaret bellua luscum:
Exitus ergo quis est? & gloria, vincitur idem.

Nempe

Nempe & in exilium præceps abit, atq; ibi magnus
Mirandusq; cliens sedet ad prætoria regis,
Donec Bithyno libeat jugulare tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt, non tela, sed ille
Cannarum vindex & tanti sanguinis ultor
Annulus. i demens, & sævas curre per alpes
Ut pueris placeas, & declamatio fias.

*Idem Silius Italicus lib. 2. bel. Pun.*

———Vagus exul iu urbe
Erabit toto patriis projectus ab oris,
Tergaq; vertentem trepidans Carthago videbit,
Sæpe Saguntinis somno hic exterritus umbris,
Optabit cecidisse manu ferroq; negato,
Invitus quondam stygias bellator ad undas
Deformata feret liventi membra veneno.

*Sic & Manilius lib. 4. Astron.*

Quid referam Cannas, admotaq; mœnibus arma?
Varronemq; pigrum, magnum quod vivere posset?
Postq; tuos Thrasimene lacus? Fabiumq; morantem?
Accepisse jugum victas Carthaginis arces?
Spectatum Hannibalem nostris cecidisse catenis,
Exilium rogi furtiva morte luisse?

*De Marii fine, qui septies Cons. fuit. sic Ovid. lib. 4. de Ponto.*

Ille Jugurthino clarus Cimbroq; triumpho,
Quo victrix toties consule Roma fuit,
In cœno Marius jacuit, cannaq; palustri,
Pertulit & tanto multa pudenda viro.

*Juvenalis 10. Satyra.*

Exilium & carcer, Minturnarumq; paludes
Et mendicatus victa carthagine panis
Hinc caussas habuere: quid illo cive tulisset
N atura in terris, quid Roma beatius unquam
Si circumducto captivorum agmine, & omni
Bellorum pompa animam exhalasset opimam,
Quum de Theutonico vellet descendere curru?

*Lucanus item lib. 2. bel. civil.*

Quum post Theutonicos victor Libycosq; triumphos
Exul limosa Marius caput abdidit ulva,
Stagna avidi texere soli, laxæq; paludes
Depositum fortuna tuum, mox vincula ferri

Exedere

Exedere ſenem longuſque in carcere pædor.

*Idem.*

Idem pelago delatus iniquo,
Hoſtilem in terram, vacuiſq; mapalibus actus,
Nunda triumphati jacuit per regna Jugurthæ.
Et Pœnos preſſit cineres ſolatia fati,
Carthago, Mariuſq; tulit.

*Et mox.*

Septimus exequitur repetitis faſcibus annus,
Ille fuit vitæ Mario modus, omnia paſſo
Quæ pejor fortuna poteſt, atq; omnibus uſo
Quæ melior, menſoq; homini quid fata pararent.

*Manilius lib. 4. Aſtron.*

Et Cimbrum in Mario, Mariumq; in carcere vinctum
Quod conſul totiens, exulq; ex exule conſul,
Et jacuit Lybicis compar jactura ruinis
Atque crepidinibus cepit Carthaginis urbem.
Hoc niſi fata darent unquam fortuna tuliſſet?

*De Pompeii Magni fine ſic Ovid. lib. 4. de Ponto.*

Quid fuerat? Magno majus: tamen ille rogavit
Submiſſa fugiens voce clientis opem.
Cuique viro totus terrarum paruit orbis,
Indignus effectus omnibus ipſe magis.

*Item Juvenalis ſatyr. 10.*

Provida Pompeio dederat Campania febres
Optandas, ſed multæ urbes, & publica vota
Vicerunt. Igitur fortuna ipſius & urbis
Servatum victo caput abſtulit. Hoc cruciatu
Lentulus, hac pœna caruit, ceciditq; Cethegus
Integer, & jacuit Catilina cadavere toto.

*Manilius item lib. 4. Aſtron.*

Quis te Niliaco periturum littore Magne
Poſt victas Mithridatis opes pelaguſq; receptum,
Et tres emenſo meritos ex orbe triumphos?
Quumq; etiam poſſes alium cognoſcere magnum
Crederet, ut corpus ſepeliret naufragus ignis,
Et collecta rogum facerent fragmenta carinæ?
Quis tantum mutare poteſt ſine numine fati?

*De Cæſaris miſerabili fine hæc Manilius lib. 4. Aſtronomicon.*

Ille etiam cœlo genitus cœloq; receptus
Quum bene compoſitis civilibus armis
Jura togæ regeret, toties prædicta cavere.
Vulnera non potuit, toto ſpectante ſenatu:
Indicium dextra retinens, nomenq; cruore
Delevit proprio, poſſent ut vincere fata.

De *Priami fine miſerabili Juvenal. ſatyr.* 10.

Incolumi Troja Priamus veniſſet ad umbras
Aſſaraci magnis ſolennibus, Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lacrymas, ut primos edere planctus
Caſſandra inciperet, ſcyſſaq; Polyxena palla,
Si foret extinctus diverſo tempore, quo jam
Cœperat audaces Paris ædificare carinas,
Longa dies igitur quid contulit? Omnia vidit
Everſa, & flammis Aſiam ferroq; cadentem.
Tunc miles tremulus poſita tulit arma tiara,
Et ruit ante aram ſummi Jovis, ut vetulus bos,
Qui domini cultris tenue & miſerabile collum
Præbet ab ingrato jam faſtiditus Aratro:
Exitus ille utcumq; hominis.

*Seneca in Troade de eodem.*

Illi tot regum parens
Caret ſepulchro Priamus, & flamma indiget
Ardente Troja.

*Manilius lib. 4. Aſtronomicon.*

Quid numerem everſas urbes, regumq; ruinas?
Inque rogo Crœſum, Priamumq; in littore truncum,
Cui nunc Troja rogus?

*De Ruffini interitu Claud. lib. 2. in Ruff.*

Unus per medios audendi pronior enſe
Proſilit exerto, dictiſq; & vulnere torvus
Appetit, hac Stilico, quem jactas pellere, dextra
Te ferit hoc abſens invadit viſcera ferro:
Sic fatus: meritoq; latus tranſverberat ictu.
Felix illa manus, talem quæ prima cruorem
Hauſerit, & feſſi pœnam libaverit orbis,
Mox omnes fodiunt haſtis: artuſq; trementes
Dilaniant, uno tot corpore pila tepeſcunt.
Et non infecto puduit mucrone reverti:
Hi vultus avidos, & adhuc ſpirantia vellunt
Lumina, truncatos alii rapuere lacertos,

Amputat

Amputat ille pedes, humorum quatit ille solutis
Nexibus, hic fracti reserat curvamina dorsi,
Hic jecur, hic cordis fibras, hinc pandit anheli
Pulmonis latebras: spatium non invenit ira,
Nec locus est odiis consumpto funere, vix tum
Deseritur: sparsumq; cadit per tela cadaver.
Nec minus assiduis certant elidere saxis
Prodigiale caput quod jam de cuspide summa
Nutabat digna rediens ad mœnia pompa.
Dextera quin etiam ludo concessa vagatur.
Æthra petens, pœnasq; animi persolvit avari
Terribili lucro, vivosq; imitata retentus
Cogitur adductis digitos inflectere nervis.

*De Xerxis exercitu ac fine Juvenal 10 satyra in hunc modum scribit.*

——Creditur olim
Velificatus Athos, & quicquid Græcia mendax
Audet in historia, constratum classibus eisdem,
Suppositumq; rotis solidum mare, credimus altos
Defecisse amneis, epotaq; flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis.
Ille tamen qualis rediit Salamine relicta
In Corum atq; Eurum solitus sævire flagellis
Barbarus Æolio nunquam hoc in carcere passos,
Ipsum compedibus, qui vicerat Ennosigæum?
Mitius id sane quod non & stigmate dignum
Credidit, huic quisquam vellet servire deorum?
Sed qualis redit? nempe una nave cruentis
Fluctibus ac tarda per densa cadavera prora,
Has toties optata exegit Gloria pœnas.

*Finis attendendus est in re omni, nam metrum & mensura omnium agentium est.*

*Juvenalis satyra 10.*

Festino ad nostros, & regem transeo Ponti,
Et Crœsum, quem vox justi facunda Solonis
Respicere ad longæ jussit spacia ultima vitæ.

*Ausonius de septem Sapient.*

Expectare Solon finem docet, ortus Athenis.

*Owen.*

Respice principium potius sed prospice finem,
Cœlum suspiciens despiciensq; solum.

*Finis vitæ incertus est.*

*Ovid. de Philomela.*

Vita data est utenda, data est sine fœnore nobis
Mutua, nec certa persolüenda die.

*Horat. Oda* 13. *lib.* 2.

Quod quisq; vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas,
Sed improvisa lethi
Vis rapuit, rapietq; gentes.

*Horat. lib. Epodon.*

Fugit juventus & verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida,
Tuis capillus albus est odoribus:
Nullum à labore me reclinat otium:
Urget diem nox, & dies noctem: neq; est
Levare tenta spiritu præcordia.

*Seneca in Thyeste.*

Nemo tam divos habuit faventes
Crastinum ut posset sibi polliceri.

*Statius lib.* 2. *Sylvarum.*

——Nox anxia plebes,
Nos miseri, quibus unde dies suprema, quis ævi
Exitus incertum, quibus instet fulmen ab astris,
Quæ nubes fatale sonent: nil flecteris istis?
Sed flectere libens.

*Ovid. lib.* 5. *de Tristibus.*

Nil homini certum est, fieri quis posse putaret,
Ut facerem in mediis hæc ego sacra Getis?

*Ad proprium finem omnia tendunt naturaliter, nec unquam quiescunt, quousq; ei unita fuerint.*

*Boetius Metro* 2. *lib.* 3.

Repetunt proprios quæq; recursus,
Redituq; suo singula gaudent.
Nec manet ulli traditus ordo,
Nisi quod fini junxerit ortum,
Stabilemq; sui fecerit orbem.

*Pers. Sat.* 3.

Est aliquid quo tendis & in quod dirigis arcum.

*Prudent. Apoph.*

Quod fieri recipit, recipit quandoq; perire.

## DE FORMA.

*Forma colorque naturalis nemini vitio datur sed adscititius.*

*Propert. Eleg. 18 lib. 2.*

Ut natura dedit sic omnis recta figura:
  Turpis Romano Belgicus ore color.

*Forma bonum fragile est.*

*Ovid. lib. 2. de Arte Amandi.*

Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad an-
  Fit minor & spatio carpitur ipsa suo. (nos
Nec sempar violæ, nec semper lilia florent,
  Et riget amissa spina relicta rosa.
Et tibi jam venient cani formose capilli,
  Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.

*Idem de faciei Med.*

——Formam populabitur ætas,
  Et placidus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit, quo vos speculum vidisse pigebit,
  Et veniet rugis altera causa dolor.

*Petronius Arbiter in satyr.*

Quod solum formæ decus est, cecidere capilli,
  Vernantesq; comas tristis abegit hyems.
Nunc umbra nudata sua jam tempora mœrent,
  Areaq; attritis ridet adusta pilis.
O fallax natura Deum, quæ prima dedisti
  Ætatis nostræ gaudia, prima rapis.

*Seneca in* Hippolyto.

Anceps forma bonum mortalibus
Exigui donum breve temporis
Ut velox celeri pede laberis.
Non sic vere novo prata decentia
Æstatis calidæ dispoliat vapor
Sævit solstitio quum medius dies
Sed noctem brevibus præcipitat rotis
Languescunt folio lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt rosæ,
Ut fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur nullaq; non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est forma fugax,

*Idem in Hercule Oeteo.*

Ut alta sylvas forma vernantes alit
Quas nemore nudo primus investit tepor:
At quum solutos expulit Boreas Notos,
Et sæva totas bruma decussit comas,
Deforme foliis aspicis truncis nemus:
Sic nostra longum forma percurrens iter
Deperdlt aliquid semper,& fulget minus,
Malisq; minus est, quicquid in nobis fuit
Olim petitum: cecidit, & partu labat:
Materq; multum rapuit ex illo mihi,
Ætas citato senior eripuit gradu.

*Nemisianus Eclog.* 4.

Non hoc semper eris,perdunt & gramina floreis,
Perdit spina rosas,nec semper lilia candent
Nec longum tenet uva comas, nec populus umbras,
Donum forma breve est,nec se tibi commodat omnis.

*Propert. lib* 2. *Eleg.*

Nec forma æternum, aut cuiquam est fortuna perennis.

*Forma pudicitiæ contraria est atque nociva.*

*Ovid. lib.*1. *Metamorph.*

—Sed te decor iste quod optas
Esse vetat,votoq; tuo tua forma repugnat.

*Idem Epist.* 15. *Heroid.*

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

*Juvenalis* 10 *satyra.*

Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure,quum veneris fanum videt anxia mater:
Sed vetat aptari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit: cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atq; suam Rutilæ dare, filius autem
Corporis egregii miseros trepidosq; parentes
Semper habet. Rara est adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ.

*Terentius in Andria.*

—Hujus formam atq; ætatem vides,
Nec clam te est,quam illi nunc utræq; res inutiles
Et ad pudicitiam,& ad rem tutandam sient.

*Seneca in Hippolyto.*

Raro forma viris (secula prospice)
Impunita fuit.

Propert.

Propert. 2. 17.

Formosis levitas semper amica fuit.

*Cuiq; forma grata est.*

*Ovid. de faciei medica.*

Est etiam placuisse sibi quæcunque voluptas,
Virginibus cordi grataq; forma sua est.
Laudatas homini volucris Junonia pennas
Explicat, & forma multa superbit avis.

*Forma donec mulieribus adest, diliguntur ab adolescentibus.*

Terentius in Heauton.

Quippe forma impulsi nostra nos amatores colunt:
Hæc ubi immutata est, illi suum animum alio conferunt.

[*Forma tam mala, quam bona latere non potest.*

*Ovid. lib. 4. de Ponto.*

Tam mala Thersiten prohibebat forma latere,]
Quam pulchra Nereus conspiciendus erat.

*Formam superbia comitatur.*

*Ovid. lib. 1. Fastorum.*

Fastus inest pulchris, sequitur superbia formam.

*Forma vino perit.*

*Propert. lib. 2. Eleg.*

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas:
Vino sæpe suum nescit amica virum.

*Forma caduca mali est causa.*

*Owen.*

Quid fidis formæ populus quam morbus & ætas
Multis causa mali candida forma fuit.

---

## DE FORNICATIONE.

*Fornicationis detestatio castigatioque vehemens.*

*Horatius satyra 2. lib. 1.*

Quid inter
Est, in matrona, ancilla, peccesve togata?

*Ibidem.*

——Quare ne pœniteat te,
Desine matronas sectarier, unde laboris,
Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus.

*Formam doctrina adornare debet.*

Pont. *Amor. conj.* 1.

Artibus ingenuis forma juvanda bona est.

## DE FORTITUDINE.

*Fortis est qui æquanimiter utramque fortunam sustinet.*

*Horat. Oda 10. lib. 2.*

—Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatam
Pectus.

*Ibidem.*

Rebus angustis animosus atque
Fortis appare, sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

*Fortissimus est, qui pati metuenda promptus est, si instent, & differre potest.*

*Lucanus lib. 7. bel. civil.*

—Fortissimus illi est,
Qui promptus metuenda pati, si comminus instent
Et differre potest.

*Forti viro omne solum patria est.*

*Ovid lib. 1. Fastorum.*

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor,
Ut volucri vacuo quicquid in orbe patet.

*Statius lib. 8. Thebaid.*

Omne homini natale solum.

*Fortis miser non dicitur.*

*Seneca in Hercule furente.*

Quemcunq; fortem videris, miserum neges.

*Fortitudo affectu maximo appetenda non est, quia per se nocius est.*

*Juvenal satyr. 10.*

——— Viribus ille
Confusus periit, admirandisq; lacertis.

*Fortitudo bonum fragile est.*

*Ovid. lib. 15. Metamorph.*

—Fletq; Milo senior quum spectat inanes
Hos qui fuerant solidarum more ferarum
Herculeis similes fluidos pendere lacertos.

*...titudinem bonum fragile esse, & floris in morem cito evanescere moraliter, Fabula illa de Ajace innuit, qui quum seipsum interemisset, cruor ille in florem dicitur commutatus.*

*Ovid. lib. 13. Metamorph.*

Hectora qui solus, qui ferrum igneſq; Jovemq;
Sustinuit toties, unam non sustinet iram,
Invictumq; virum vicit dolor, arripit enſem:
Et meus hic certe eſt, an & hunc ſibi poſcit Ulyſſes
Hoc, ait, utendum eſt in me mihi: quique cruore
Sæpe Phrygum maduit domini nunc cæde madebit
Ne quiſquam Ajacem poſſit ſuperare niſi Ajax.
Dixit, & in pectus tum demum vulnera paſſum,
Qua patuit ferro lethalem condidit enſem:
Nec valuere manus infixum educere telum,
Expulit ipſe cruor, rubefactaque ſanguine tellus
Purpureum viridi genuit de ceſpite florem.

*Fortis a debili opprimitur quandoque.*

*Ovid. lib. 2. de Remedio Amoris.*

Parva necat morſu ſpatioſum vipera taurum,
A cane non magno ſæpe tenetur aper.

---

## DE FORTUNA.

*Fortuna inſtabilis verſat hominum opera, ſecundum quoſdam.*

*Virgil Eclog. 9.*

——Sors omnia verſat.

*Idem de Fortuna.*

O Fortuna potens, quam variabilis,
Tantum juris atrox quæ tibi vendicas,
Evertiſq; bonos, eligis improbos,
Nec ſervare potes muneribus fidem.
Fortuna immeritos auget honoribus.
Fortuna innocuos cladibus afficit.
Juſtos illa viros pauperie gravat,
Indiguos eadem divitiis beat.
Hæc aufert juvenes, & retinet ſenes.
Injuſto arbitrio tempora dividens.
Quod dignis adimit, transfert ad impios,
Nec diſcrimen habet, rectaque judicat:
Inconſtans, fragilis, perfida, lubrica.
Nec quos clarificat perpetuo fovet,
Nec quos deſeruit perpetuo premit

*Seneca in Hippolyto.*

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, ſpargitque manu

Munera cæca, pejora fovens.

*Manilius lib. 3. Astronom.*

Fortuna ſors prima data eſt,hoc illa qer artem
Cenſetur titulo,quia proxima continet in ſe
Fundamenta domus, domuiq; hærentia cuncta
Qui modus in ſervis,quis ſit conſenſus in arvis.

*Ovidius Epiſt. Conſol. ad Liviam.*

Nempe per hos etiam fortuna injuria mores
Regnat, & incerta eſt hic quoque nixa rota.
Hic quoq; ſentitur, ne quid non improba carpat,
Sævit, & injuſtum jus ſibi ubiq; facit.
Scilicet immunis ſi luctus una fuiſſet
Livia fortunæ regna minora forent.

*Lucanus lib.2. bel. civil.*

Sive nihil poſitum eſt, ſeu fors incerta vagatur,
Fertque refertque vices,& habent mortalia caſum
Sit ſubitum quodcumque paras.

*Plautus in captivis.*

Fortuna humana fingit arctatq; ut lubet.

*Manilius lib.2. Aſtronom.*

Quod fortuna ratum faciat quis dicere falſum
Audeat? & tanta ſuffragia vincere ſortis?

*Auſonius in Epigram.*

Fortuna nunquam ſiſtit in eodem ſtatu,
Semper movetur, variat & mutat vices.
Et ſumma in imum vertit,ac verſa erigit.

*Iſtorum omnium opinio eſt falſa, ut infra tit. de ſapientia liquebit. & hic ex Ovidio*

*Epiſtola* 1. Heroid.

——Careat ſucceſſibus opto.
Quiſquis ab eventu facta notanda putat.

*Fortuna ſeu caſus divinæ ſubjicitur poteſtati.*

*Ovid. lib. 4. de Ponto.*

Ludit in humanis divina potentia rebus,
Et certam preſens vix habet hora fidem.

*Boetius Metro 5. lib. 1.*

Rupis Achemeniæ ſcopulis, ubi verſa ſequentum
Pectoribus figit ſpicula pugna fugax,
Tigris & Euphrates uno ſe fonte reſolvunt,
Et mox adjunctss diſſociantut aquis.
Si coeant, curſumque iterum revocentur in unum
Confluat alterni quod trahit unda vadi,

Con-

Couveniant puppes, & vulsi flumine trunci,
Mistaq; fortuitos implicet unda modos,
Quos tamen ipsa vagos terræ declivia casus
Gurgitis & lapsi defluus ordo regit,
Sic quæ permissis fluitare videtur habenis,
Fors patitur frenos, ipsaq; lege meat.

*Fortunam deam facere inscitia est.*

*Juvenalis satyra* 10.

Nullum numen abest si sit prudentia, sed tē
Nos facimus fortuna deam, cœloq; locamus.

*Fortuna fortes timere dicitur, ignavos vero premere.*

Seneca *in Medea.*

Fortuna fortes metuit, ignavos premit.

*Fortuna opes auferre posse dicitur, animum vero minime.*

Seneca *in Medea.*

Fortuna opes auferre, non animum potest.

*Fortunam prosperam retinens, hic sapiens habetur adversam vero stultus.*

P*laut.* in P*seudulo.*

Centum doctum hominum consilia, hæc una devicit Dea.
Fortuna atque hoc verum est, perinde, ut quisque ea utitur.
Ita præcellet, atque exinde sapere eum omnes dicimus.
Bene ubi quid dicimus consilium accidisse hominem cautum eum
Esse declaramus: stultum autem illum quos vorti malè.

*Fortunæ, id est, præsentis vitæ bona fragilia instabiliaque sunt.*

*Ovid. lib.* 4. *de* P*onto.*

Quid facis ah demens? cur si fortuna recedat
Naufragio lacrymas eripis ipse tuo.
Hæc dea non stabili quam sit levis orbe fatetur,
Quæ summum dubio sub pede semper habet.

*Idem lib.* 3 *de Tristibus.*

Nempe dat, & quodcunq; libet, fortuna, rapitque
Irus & est subito qui modo Crœsus erat.

*Idem*

*Idem lib. 5. de Tristib.*

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat:
Et manet in nullo certo tenaxq; loco.
Sed modo læta manet, vultus modo sumit acerbos,
Et tantum constans in levitate sua est.
Nos quoq; floruimus, sed flos fuit ille caducus,
Flammaq; de stipula nostra, brevisq; fuit.

*Horat. Oda 34. lib. 1.*

—Hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hinc posuisse gaudet.

*Idem Oda 29. lib. 3.*

Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii, benigna.

*Juvenalis Satyra 7.*

Si fortuna volet fies de rhetore consul,
Si volet hæc eadem fies de consule rhetor.

*Seneca in Hercule furente.*

Iniqua raro maximis virtutibus
Fortuna parcit, nemo se tuto diu
Periculis auferre tam crebris potest.
Quem sæpe transit casus, aliquando invenit

*Idem in Hippolyto.*

—Nec ulli præstat velox
Fortuna fidem. *Idem in Medea.*
—Rapida fortuna, ac levis,
Præcepsq; regno eripuit, exilio & dedit.
Confide regnis, quum levis magnas opes:
Huc ferat, & illuc casus.

*Idem in Octavia.*

Quid me potens fortuna fallaci mihi.
Blandita vultu, sorte contentum mea,
Alte extulisti? gravius ut ruerem, edita
Receptus arce, totque prospicerem metus?

*Ibidem.*

*Nero.* Fortuna nostra cuncta permittit mihi.
*Sen.* Crede obsequenti parcius, levis est dea.

*Ovid. 3. Trist.*

———Sors tollit eosdem.
Et premit, incertas ipse verere vices.

*Boetius Metro* 1. *lib*. 1.

Dum levibus male fida bonis fortuna faveret,
  Pene caput tristis merserat hora meum.
Nunc quia fallacem mutaris nubila vultum,
  Protrahit ingratas impia vita moras.

*Idem Metro* 3. *lib*. 2.

Quum polo Phœbus roseis quadrigis
  Lucem spargere cœperit,
Pallet albentes hebetata vultus,
  Flammis stella prementibus.
Quum nemus flatu Zephyri tepenti,
  Vernis erubuit rosis,
Spirat insanum nebulosus Auster,
  Jam spinis abeat decus.
Sæpe tranquillo radiat sereno
  Immotis mare fluctibus,
Sæpe ferventes Aquilo procellas,
  Verso concitat æquore.
Rara si constat sua forma, mundo,
  Si tantas variat vices.
Crede fortunis hominum caducis:
  Bonis crede fugacibus.

*Terentius in* Hecyra.

O fortuna ut nunquam perpetuo es bona.

*Manilius lib*. 3. *Astron*.

Idcirco tanta est rerum discordia in ævo,
Et subtexta malis bona sunt lacrymæq; sequuntur
Vota, nec in cunctis servat fortuna tenorem.
Usq; adeo permixta fluit, nec permanet usquam
Amisitq; fidem variando cuncta per omnes.
Non annis anni, non menses mensibus usque
Conveniunt, seque ipse dies, aliumq; relinquit,
Horaq; non ulli similis producitur horæ.

*Idem. lib*. 4. *Astron*.

Quid numerem eversas urbes, regumq; ruinas?
Inq; rogo Crœsum, Priamumq; in littore truncum?
Cui nec Troja rogus? quid Xerxem, majus & ipso
Naufragium pelago? quid captos agmine reges.

*Fortuna non habet pedes.*

*Sophocl. in Antig.*

——— Nam rotat omnia

Fortuna

Fortuna præcipites dat & rursum erigit,
Juxta potentes atque miseros.

## DE FRATRIBUS.

*Fratrum benevolentia tenuis est.*

*Virgil. lib. 1. Æneid.*

—Regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios immanior omnes,
Quos inter medius venit furor. Ille Sichæum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanæ, factumq; diu celavit, & ægram
Multa malus simulans vana spe ludit amantem.

*Ovid. lib. 1. Metamorph.*

Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero: fratrum quoq; gratia rara est.

*Silius Italicus lib. 16. bel. Pun.*

——Impia circo
Innumero fratres cavea damnante furorem
Pro scepero armatis inierunt prælia dextris:
Is genti mos durus erat, patrumq; petebant
Orbati solum lucis discrimine fratres.

*Statius lib. 2. Thebaid.*

——Nondum ille peractis
Manibus ultrices animam servabat in iras.
Utq; superstantem, pronamq; in pectore sensit,
Erigit occulte ferrum, vitæque labantis
Relliquias tenues odio supplevit, & ensem
Jam lætus fratri frater sub corde reliquit.

*Manilius lib. 4. Astron.*

Ecce patrem nati perimunt, natosq; parentes,
Mutuaq; armati coeunt in vulnera fratres.

*Romulus fratrem suum Remum regnandi cupiditate tractus interimi mandavit, quod fossam transilierat.*

*Ovid. lib. 4. Fastorum.*

Hoc Celer urget opus, quem Romulus ipse vocaret:
Sintque Celer curæ, dixerat ista tuæ.
Neve quis aut muros aut factam vomere fossam
Transeat: audentem talia dede neci:
Quod Remus ignorans humiles contemnere muros,
Cœpit, & his populus dicere, tutus erit?

Nec mora, transiliit: retro Celer occupat ausum,
Ille premit duram sanguinolentus humum.

*Horat. lib. Epod.*

—Acerba fata Romanos agunt,
Scelusq; fraternæ cædis.
Ut immerentis fluxit in terram Remi,
Sacer nepotibus cruor.

*Lucanus lib. 1. bel. civil*

Nulla fides regni sociis, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit, nec gentibus ullis
Credite: nec longe fatorum exempla petantur,
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

*Fratrum odium maximum imo ne morte quidem extinguendum.*

*Stat.*

Ecce iterum fratres: primos ut contigit artus
Ignis edax, tremuere rogi, & novus advena busto
Pellitur: exundant diverso vertice flammæ.

## DE FRAUDULENTIA.

*Fraudulenti virtute præditos sæpissime perdunt.*

*Ovid. lib. 2. Fastorum.*

Sic iterum, sic sæpe cadunt ubi vincere aperte
Non datur: insidias, armaq; tecta parant,
Fraude perit virtus.

*Fraudem fraude pellere licet.*

*Ovid. lib. 3. de Arte Amandi.*

Judice me fraus est concessa repellere fraudem:
Armaq; in armatos sumere jura sinunt.

*Fradulentia multos præstantes & celebres reddidit.*

*Osorius 2. de glor.*

Autolicus ille quo non præstantior alter.
Et fraudare homines & fallere numina divum.

## DE FRUGALITATE.

*Frugalitatis commendatio dignissima.*

*Horat. Oda 16. lib. 3.*

—Bene est cui Deus obtulit
Parca quod satis est manu.

*Idem lib. 1. Epist. ad Lollium:*

Quod satis est cui contingit nil amplius optet.

*Idem Satyr. 1. lib. 1.*

[A]t qui tantuli eget, quantum est opus, is neq; limo
[T]urbatam haurit aquam, neq; vitam amittit in undis.

*Ibidem.*

[N]escis quid valeat nummus, quem prebeat usum?
[P]anis ematur, olus, vini sextarius adde
[Q]ueis humana sibi doleat natura negatis.

*Supra de his plura tit. de Natura invenies, Natura paucis, &c.*

*Seneca in Thyeste.*

——O quantum bonum est
[O]bstare nulli, carpere securas dapes.
[H]umi jacentem scelera non intrant casam,
[T]utusq; mensa carpitur angusta cibus.

*Exhortatio ad frugalitatem.*

*Juvenalis Satyra 14.*

[V]ivite contenti casulis, & collibus istis,
[O] pueri: Marsus dicebat, & Hernicus olim,
[V]estinusq; senex panem quæramus aratro
[Q]ui satis est mensis:

*Persius Satyra. 3.*

——Rure paterno
[E]st tibi far modicum, purum & sine labe salinum
[Q]uid metuas? cultrixq; foci secura patella,
[H]oc satis.

*Plautus in Rudente.*

[Q]uicquid est domi, id sat est habendum.

*De frugalitate quorundam principum, ac regum necnon Philosophorum.*

*Claud. lib. 1. in Ruffinum.*

—— Contentus honesto.
[F]abricius parvo, spernebat munera regum,
[S]udabatq; gravi consul Serranus aratro,
[E]t casa pugnaces Curios angusta tenebat.
[H]æc mea paupertas angustior, hæc mihi tecta
[C]ulminibus majora tuis, tibi quærit inanes
[L]uxuries nocitura cibos, mihi donat inemptas
[T]erra dapes. Rapiunt Tyrios tibi vellera succos,
[E]t picturatæ saturantur murice vestes:
[H]ic radiant flores, & prati viva voluptas
[I]ngenio variata suo: fulgentibus illic
[S]urgunt strata toris; hic mollis panditur herba

Sollicitum curis non abruptura soporem.
Turba salutantum lætas ibi perstrepit ædes,
Hic avium cantus, labentis murmura rivi,
Vivitur exiguo melius, &c.

*Reliqua tit. de Natura scripta sunt.*

*Juvenal. satyr. 14. de Diogene.*

Sensit Alexander, testa quum vidit in illa
Magnum habitatorem quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem.

*Ibidem.*

——Mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam,
In quantum sitis atque fames, & frigore poscunt,
Quantum Epicure tibi parvis suffecit in hortis,
Quantum Socratici cœperunt ante penates.

*Idem satyr. 15.*

Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui
Tanquam homine, & ventri indulsit non omne legumen.

*Tibul. de seipso Eleg. lib. 1. sic ait.*

Me mea paupertas vitæ traducat inerti
Dum meus assiduo luceat igne focus.

*Ibidem.*

Fictilia antiquus primum si bi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitq; luto.

*Martialis in Xeniis, de Porsenæ Thusciæ regis frugalitate, in hunc modum scribit.*

Aretina nimis ne sperne vasa monemus:
Lautus erat Thuscis Porsena fictilibus.

*Item de Agathocle Siciliæ regis frugalitate, necnon modestia, Ausonius libro Epigram sic:*

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto,
Fercula gemmatis quum poneret aurea vasis,
Et misceret opes, pauperiemque simul.
Quærenti causam respondit: Rex ego qui sum,
Sicaniæ figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe, quicunque repente
Dives ab exili progrediere loco.

*Quanto securius autem biberint ex vasis fictilibus, unicus Juvenalis abunde testatur satyra 10.*

——Sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus, tunc illa time quum pocula sumes
Gemmata, & lato setinum audebit in auro.

*Idem Seneca in Thyeste.*

Venenum in auro bibitur, expertus loquor.

*Item in Hippolyto idem Seneca.*

—Regios luxus procul
Est impetus fugisse sollicito bibunt
Auro superbi, quam juvat nuda manu
Captasse fontem: celerius somnus premit,
Securo dura membra versantur thoro.

*Idem in Hercule Oeteo.*

Pectora pauper secura gerit:
Tenet è patula pocula fago,
Sed non trepida tenet illa manu:
Carpit faciles, vilesque cibos,
Sed non strictos respicit enses,
Aurea miscet pocula sanguis.

## DE FURORE.

*Furor amoris comes est.*
*Ovid. lib. 1. Eleg. sive Amo.*

Blanditiæ comites tibi erunt, terrorque furorque
Assiduè partes turba sequuta tuas.

*Furenti furiosoque cedendum est.*
*Ovid. lib. 1. de Remedio Amoris.*

Dum furor in cursu est, currenti cede furori:
Difficilis aditus impetus omnis habet
Cultus, ab obliquo qui quum discedere possit,
Pugnet in adversas ire natator aquas.

*Furentibus Deus obstat.*
*Statius lib. 3. Thebaid.*

—— Deus ecce furentibus obstat.

*Nimius furor eventu caret.*
*Claud. de bel. Get.*

Sed caret eventu nimius furor improba nunquam
Spes lætata diu.

*Furor maximus insontem hominem reddit, (id est primus animi motus) quia in hominum petestate non est.*
*Seneca in Hercule furente.*

Solus te jam præstare potest

Furor insontem proxima puris
Sors est manibus, nescire nefas.

---

## DE FUTURIS.

*Futura celari homines Deus voluit, ut timenti sperare liceat.*

*Horat. Oda. 29. lib. 3.*

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus:
Ridetq; si mortalis ultra
Fas trepidat.

*Lucanus lib. 2. bel. civil.*

Sit subitum quodcunq; paras, sit cæca futuri
Mens hominum fati, liceat sperare timenti.

*Futura scire homini fas non est*

*Statius lib. 3. Thebaid.*

——Quid crastina volveret ætas
Scire nefas homini.

*Admonitio ut a futurorum investigatione desistant.*

*Horat. Oda 9. lib. 1.*

Quid sit futurum cras fuge quærere, &
Quem sors dierum cumque dabit lucro
Appone.

*Cat. lib. 2.*

Quid Deus intendat noli perquirere sorte,
Quid statuat de te, te sine deliberat.

*Idem Oda 11. lib. 1.*

Tu ne quæsieris (scire nefas) quem mihi quem tibi
Finem dii dederint Leucothoe, nec Babylonios
Tentaris numeros: ut melius quicquid erit pati,
Seu plures hyemes, seu tribuit Iupiter ultimam.

*Futura incerta sunt.*

*Ovid. lib. 2. Fastorum.*

Exitus in dubio est.

*Silius Italic. lib. 10. bel. civil.*

——Nostros fortuna labores
Versat adhuc, casusq; jubet nescire futuros.

G.

## DE GAUDIO.

*Extremum gaudii luctus occupat.*
*Ovid. lib. 7. Metamorph.*

Gaudia principium nostri sunt sæpe doloris.

*Post tristitiam gaudium sequitur.*
*Ovid lib. 7. Metamorph.*

Flebile principium melior fortuna sequuta est.

*Idem 4. de Ponto.*

Nil adeo fortuna gravis miserabile fecit,
Ut minuant nulla gaudia parte malum.
Nulla dies adeo est australibus humida nimbis,
Non intermissis ut fluat imber aquis.

*Idem 6. Fastorum.*

Scilicet interdum miscentur tristia lætis.

## DE GLORIA.

*Gloria temporalis arte quæritur, necnon virtute.*
*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

Artibus ingenuis quæsita est gloria multis.

*Idem de Philomela.*

Facta ducis vivent, operosaq; gloria rerum:
Hæc manet, hæc avidos effugit una rogos.

*Gloriæ cupido contra patriam quosdam induxit.*
*Juvenalis Satyra 10.*

—Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis titulique cupido.

*Gloriæ seculi cupidus, cœli gloriam intueri debet, & tunc talis gloriæ pudebit, & adhoc exhortatio pulchra.*
*Boetius Metro 7. lib 2.*

Quicunque solam mente præcipiti petit
Summumq; credit gloriam,
Late patentes ætheris cernat plagas,
Arctumq; terrarum situm,

Brevemque replere non volentis ambitum
Pudebit aucti nominis.

*Gloriam temporalem fere cuncti appetunt.*

*Valer. Flac. lib. 1. Argon.*

Si qua operis tanti Domino consurgere ponto
Fama queat, tu sola animos, mentemq; peruris
Gloria, te viridem videt immunemq; senectæ,
Phasidis in ripa stantem, juvenesq; vocantem.

*Gloria temporalis amor ad ardua homines impellit nec non vires illis præbet.*

*Ovid. lib. 4. de Trist.*

Denique non parvas animo dat gloria vires,
Et facunda facit pectora laudis amor.

*Ovid. 4. Tristium.*

Ardua per præceps, glorio vadit iter.

*Idem lib. 4. de Ponto.*

Excitat auditor studium laudataq; virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

*Silius Italic. lib. 6. bel. Pun.*

Arripuit traxitq; virum fax mentis honesta.
Gloria.

*Propertius lib. 4. Eleg.*

Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires,
Non juvat ex facili lecta corona jugo,

*Vane gloriosorum castigatio digna.*

*Terentius in Phormione.*

Non sat est tuum te officium fecisse, id non fama apa probatur.

*Owen.*

Omnibus invisa est stolida jactantia mentis,
Dum de te loqueris gloria nulla tua est.

---

## DE GRATIA.

*Gratia tarda ingrata esse solet.*

*Ausonius in Epigram.*

Gratia quæ tarda est, ingrata est : gratia namq;
Quum fieri properat gratia grata magis

*Ibidem.*

Si bene quid facias, facias cito : nam cito factum,
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

*Ovid lib. 3. de Ponto.*

Gratiæq; officio, quod mora tardat, abest.

*Gratiæ pro rebus gratis datis debetur.*

*Ovid lib. 1. Eleg. sive am.*

Gratia pro rebus merito debetur inemptis,

*Gratia pluma levior est.*

*Plautus in Pœnulo.*

Si quid bene facias levior pluma est gratia
Si quid peccatum sit, plumbeas iras gerunt.

---

## DE GRATITUDINE.

*Gratitudinis maximæ demonstratio dignissima.*

*Virgil. lib. 2. Æneid.*

Dii (si qua est cœlo pietas, quæ talia curet)
Persolvant grates dignas, & præmia reddant
Debita.

*Ovid in Ibin.*

Dii melius, quorum longe mihi maximus ille est
Qui nostras inopes noluit esse vias.
Huic igitur meritas grates quascunq; licebit
Pro tam mansueto pectore semper agam.

*Idem lib. 2. de Ponto.*

Ore ferant grates (quoniam non possumus ipsi)
Dii tibi, qui referent, si pia facta vident.

*Idem lib. 4. de Ponto.*

Immemor illorum, vestri non immemor unquam,
Qui mala sollicite nostra levatis, ero.

*Ibidem.*

Semper inoblita repetam tua munera mente,
Et mea me tellus audiet esse tuum.

*Idem 1. de Tristibus.*

Hæc mihi semper erunt imis infixa medullis.
Perpetuusq; animæ debitor hujus ero.
Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras
Ibit, & in tepido deseret ossa rogo,
Quam subeant animo meritorum oblivio nostro,
Et longa pietas excidat ista die.
Dii tibi sint faciles, & opis nullius egentem
Fortunam præstent, dissimilemq; meæ.

*Idem 4. de Ponto.*

Pro quibus ut meritis referatur gratia jurat
Se fore mancipium tempus in omne tuum.
Nam prius umbrosa carituros arbore montes,
Et freta velivolas non habitura rates,

Flumina-

Fluminaq; in fontes curſu reditura ſupino,
Gratia quam meriti poſſit abire tui.

*Idem lib. 5. de Triſtib.*

——Dum lumen ſolare tenebo,
Serviet officio ſpiritus iſte tuo.

*Plautus in Muſtellaria.*

Nunquam ego illi poſſum gratiam referre, ut meritus eſt de me.

*Terentius in Adelphis.*

Quid ego nunc te laudem ſat certo ſcio,
Nunquam ita magnifice quicquam dicam, id virtus quin ſuperet tua.

*Ibidem.*

Ah vereor coram in os te laudare amplius,
Ne id aſſentari magis, quam quod habeam gratum, facere exiſtimes.

*Statius lib. 7. Thebaid.*

Nec laudare ſatis, dignaſq; rependere grates
Sufficiam, referent ſuperi.

*Idem lib. 4. Sylvarum.*

Qua celebrem mea vota lyra? Quas ſolvere grates
Sufficiam? non, ſi pariter mihi vertice læto
Nectat odoratas & Smyrna & Mantua laurus,
Digna loquar.

*Virgil. lib. 1. Æneid.*

——Grates perſolvere dignas
Non opis eſt noſtræ Dido.
Dii tibi, ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid
Uſquam juſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia recti,
Præmia digna ferent.

---

## DE GULA.

*Guloſus & liber nullus eſſe poteſt.*

*Horat. ſatyra 2. lib. 2.*

Ruſticus, anormis, ſapiens, craſſaq; Minerva,
Diſcite, non inter lances, menſaſq; nitentes,
Quum ſtupet inſanis acies fulgoribus, & quum
Acclivis falſis animus meliora recuſat.
Verum hic impranſi mecum diſquirite, cur hoc?
Dicam, ſi potero, male verum examinat omnis
Corruptus judex.

Guloſorum

*Gulosorum effectus castigatioq; acerrima.*

*Juvenalis satyra 11.*

Multos porro vides quos sæpe illusus ad ipsum
Creditur introitum solet spectare macelli,
Et quibus in solo vivendi causa palato est.
Interea gustus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretiis obstantibus.

*Lucanus lib 4. bel. civil.*

—O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
Et quæsitorum terra, pelagoque ciborum
Ambitiosa fames & lauta gloria mensæ.

*Stat us lib. 4. Sylvarum.*

Ah miseri quos nosse juvat, quid Phasidis ales
Distet ab hyberna Rhodopes grue, quis magis anser
Extra ferat? cur Thuscus aper generosior Umbro,
Lubrica qua recubent conchilia mollius alga?

*Gulosis delectabiliora esse dicuntur, quæ pluris emuntur.*

*Juvenalis satyra 11.*

——Interius si
Attendas, magis illa juvant, quæ pluris emuntur.

*Petronius Arbiter.*

Ingeniosa gula est, Siculo scarus æquore mersus
Ad mensam vivus perducitur, atque Lucrinis
Eruta littoribus vendunt conchilia cœnas,
Ut renovent per damna famem, jam Phasidis unda
Orbata est avibus, mutoque in littore tantum
Solæ desertis aspirant frondibus auræ.



# H.

## DE HYPOCRISI.

*Hypocritarum castigatio dignissima.*

*Juvenalis satyra 2.*

Ultra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent
Qui Curios simulant, & Baccanalia vivunt,
Loripidem rectus dirideat, Æthyopem albus.
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo,

Si

Si fur displiceat Verri homicida Meloni?
Clodium accuset mœchos, Catilina Cethegum
In tabulam Syllæ si dicant discipuli tres?

*Persius Satyra* 5.

Pelliculam veterem retinens, & fronte politus
Astutam vapido geris sub pectore vulpem.

*Seneca in Hippolyto.*

Ubi vultus ille, & ficta majestas viri,
Atq; habitus horrens, prisca & antiqua appetens,
Morumq; senium triste & aspectu grave?
O vita fallax, abditos sensus gerit.
Animisque pulchram turbidis faciem induis,
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum, vera fallaces probant,
Simulantq; molles dura. -

*Hypocritæ regnant, quia nigrum in candidum, hoc est malum in bonum vertunt, & è contra.*

*Ovid, lib.* 11. *Metamorph.*

Nascitur Autolycus furtum ingeniosus ad omne
Qui facere assuerat, patriæ non degener artis,
Candida de nigris, & de candentibus atra.

*Juvenal. satyra* 3.

Cedamus patria, vivat Arturius isthic,
Et Catulus, maneant qui nigrum in candida vertunt.

---

## DE HOMINE.

*Homo ex anima & corpore compositus est.*

*Ovid. lib.* 15. *Metamorph.*

Nos quoq; pars mundi, quoniam non corpora solum,
Verum etiam volucres animæ sumus.

*Homo mundi pars nobilissima.*

*Ovid. lib.* 1. *Metamorph.*

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ.
Deerat adhuc, & quid dominari in cætera posset
Natus homo est, sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum mundi melioris origo.

*Homini tantum status rectus est datus, ut cœlestia intueatur, contempleturque.*

*Ovid. lib.* 1. *Metamorph.*

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,

Os homini ſublime dedit, cœlumq; tueri
Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

*Boetius Metro 5. lib. 5.*

Quam variiis terras animalia premeant figuris
Namq; alia extento ſunt corpore, pulveremq; verrunt
Continuumq; trahunt vi pectoris incitata ſulcum.
Sunt quibus alarum levitas vaga, verberetq; ventos,
Et liquida longi ſpatia ætheris enatet volatu.
Hæc preſſiſſe ſolo veſtigia, gradibuſq; gaudent:
Vel virides campos tranſmittere, vel ſubire ſylvas.
Quæ variis videas licet omnia diſcrepare formis,
Prona tamen facies hebetes valet ingravare ſenſus.
Unica gens hominum celſum levat altius cacumen,
Atq; levis recto ſtat corpore, deſpicitq; terras.
Hæc (niſi terrenus male deſipis) admonet figura,
Qui recto cœlum vultu petis, exeriſq; frontem,
In ſublime feras animum quoque, ne gravata peſſum
Inferior ſidat mens corpore celſius levato.

*Silius Italic. lib. 13. bel. civil.*

Nonne vides hominum ut celſos ad ſydera vultus
Suſtulerit Deus, ac ſublimia finxerit ora,
Quum pecudes volucrumq; genus, formaſq; ferarum
Segnem, atq; obſcœnam paſſim ſtraviſſet in alvum?

*Manilius lib. 4. Aſtron.*

— Projecta tacent animalia cuncta
In terra, vel verſa vadis, vel in aere pendent.
Omnibus una quies, venter ſenſuſque per artus.
Et quia conſilium non eſt, & lingua remiſſa,
Unus & inſpectus rerum vireſq; loquendi,
Ingeniumq; capax varias educit in arteis,
Hic partus, qui cuncta regit ſucceſſit in orbem,
Et domuit terram ad fruges, animalia cepit,
Impoſuitq; viam Ponto ſtetit unus in arce
Erectus capitis, victorq; ad ſydera mittit
Sydereos oculos, propriuſq; aſpectat Olympum,
Inquiritq; Jovem: nec ſola fronte deorum
Contentus manet, & cœlum ſcrutatur in alto,
Cognatumque ſequens corpus ſe quærit in aſtris.

*Claudianus de raptu proſerp. lib. 3.*

Quid mentem traxiſſe polo? quid profuit altum
Erexiſſe caput? pecudum ſi more pererrant
Avia?

[*Homines*

*Homines divinorum tantum capaces sunt, & hæc cognitio à mutorum grege eos sejungit.*

*Juvenalis satyra 15.*

—— Quis enim bonus & face dignus
Arcana, qualem Cereris vult esse, sacerdos?
Ulla aliena sibi credes mala: separet hæc nos
A grege mutorum atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium, divinorumq; capaces,
Atq; exercendis capiendisq; artibus apti

*Principium operationum suarum, ac exitum homines in Deo collocare debent.*

*Horat. Oda 6 lib. 3.*

Diis te minorem quod geris imperas,
Hinc omne principium, huc refer exitum.

*Hominum genus felix dicitur, Dei si amor, quo cœlum regitur, suos animos regat.*

*Boetius Metro 7. lib. 3.*

O felix hominum genus
Si vestros animos amor
Quo cœlum regitur, regat.

*Hominem misericordem, & ad omnia promptum esse oportet.*

*Plautus in Mostel.*

Misericordias tandem habere hominem oportet.

*Idem in Milite.*

At quidem illuc ætatis qui sit, non invenies alterum
Lepidiorem ad omnes res, nec qui amicus amico sit
magis.

*Homines in malum proniores sunt quam in bonum.*

*Ovid. lib. 4. Fastorum:*

Sed nos in vitium credula turba sumus.

*Horat. lib. 1, epist. ad Lollium.*

Ut jugulent homines surgunt de nocte latrones,
Ut te ipsum serves non expergisceris?

*Juvenalis satyra 6.*

Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ.

*Idem satyra 13.*

Mobilis & varia est firme naturæ malorum
Quum scelus admittunt, superest constantia quid fas
Atque nefas, tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus, tamen ad mores natura recurrit

Damnator

Damnatos, fixa & mutari nescia. Nam quis
Peccandi finem posuit sibi? quando recepit
Ejectum semel ad trita de fronte ruborem?
Quisnam hominum est quem tu contentum videris
uno.
Flagitio?

*Terentius in Adelphis.*

——Nam tu quid agas.
Ubi si quid bene præcipies nemo obtemperet?

*Claud. lib. 2. in Eutrop.*

——Parvæ poterunt impellere caussæ
In scelus ad mores facilis natura reverti.

*Homo ex lapidibus factus est post diluvium, ut fabulatur Ovid. 1. Metamorph. quibus innuitur humanæ conditionis miseria, ut ipse declarat.*

Magna parens terra est, lapidesq; in corpore terræ
Ossa reor dici: jacere hos post terga jubemur
Conjugis augurio, quanquam Titania mota est,
Spes tamen in dubio est, adeo cœlestibus ambo
Diffidunt monitis. Sed quid tentare nocebit?
Discedunt, velantq; caput, tunicasq; recingunt,
Et jussos lapides sua post vestigia mittunt.
Saxa (quis hoc credat nisi sit pro teste vetustas?)
Ponere duritiem cœpere, suumq; rigorem,
Molliriq; mora, mollitaq; ducere formam.
Mox ubi creverunt, naturaq; mitior illis
Contigit, ut quædam sic non manifesta videri
Forma potest hominis, sed uti de marmore cœpta,
Non exacta satis, rudibusq; simillima signis:
Quæ tamen ex illis aliquo pars humida succo,
Et terrena fuit, versa est in corporis usum.
Quod solidum est, flectiq; nequit, mutatur in ossa.
Quæ modo vena fuit, sub eodem nomine mansit,
Inque brevi spatio superorum numine saxa
Missa viri manibus faciem traxere virorum,
Et de fœmineo reparata est fœmina jactu.
Inde genus durum sumus, experiensq; laborum,
Et documenta damus, qua simus origine nati.

*Hominum pernities maxima est homo, scilicet malus.*

*Plautus in Asinaria.*

Lupus est homo homini, non homo, quam qualis sit non novit. *Ausonius.*

*Ausonius in Biæ Pirenæi sententiis.*

Pernities hominum quæ maxima? Solus homo alter.

*Homo alteri quod fecerit, hoc idem ab alio recipere debit.*

*Prosp. Sent.* 38.

Quod serimus metimus, quod damus accipimus.

*Ovid. lib.* 13. *Metamorph.*

Et eget auxilio qui non tulit? utq; reliquit
Sic linquendus erit, legem sibi dixerat ipse.

*Hominum incommoda scire volenti, unum vel unam domum intueri sat est, quia fere omnes æqui vitiosi sunt.*

*Virgil lib.* 2. *Æneid.*

Accipe nunc Danaum insidias & crimine ab uno
Disce omnes.

*Juvenalis* 13. *satyra.*

Humani generis mores tibi nosse volenti
Sufficit una domus, paucos consume dies, &
Dicere te miserum, postquam illinc veneris, aude.

*Homines corporalem ob valetudinem acquirendam & conservandam in numera fere incommoda sustinent, pro anima, vero nec unum vix sustinere cæci volunt.*

*Ovid. lib.* 1. *de Remedio Amoris.*

Dura aliquis præcepta vocet mea dura fatemur
 Esse, sed & valeas multa dolenda feres.
Sæpe bibi succos, quamvis invitus, amaros
 Æger & oranti mensa negata mihi est.
Ut corpus redimes ferrum patieris & ignes
 Arida nec sitiens ora levabit aqua.
Ut valeas animo quicquam tolerare negabis?
 At pretium pars hæc corpore majus habet.

*Horat. lib* 1. *Epist. ad Lollium.*

—Nam cur
Quæ lædunt oculos festinas demere, si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?

*Homines amandi sunt, non eorum munera.*

*Ovid. Epist.* 16. *Heroid.*

Aut ego te perpetuo famam sine labe tenebo,
 Aut ego te potius, quam tua dona sequar.
Atque ea non sperno.

*Homines elati atq; humiles sunt. sicut se res dant.*

Terentius

*Terentius in Hecyra.*

—Profecto hoc sic est, ut puto
Omnibus nobis, ut res dant sese, ita magni atq; humiles sumus

*Homines ornamentum barba est.*

*Ovid. lib. 13. Metamorph.*

Nec mea quod rigidis horrent densissima setis
Corpora turpe puta, turpe sine frondibus arbor.
Turpis equus, nisi colla juba fluitantia velent,
Pluma tegit volucres, ovibus sua lana decori est:
Barba viros, hirtæq; decent in corpore setæ.

*Homo mortuus idem non est qui prius erat.*

*Ovid. lib. 3. de Tristib.*

Hector erat tunc quum bello certabat, & idem
Tractus ab Æmonio non erat Hector equo.

*Humanæ miseriæ descriptio seu expressio notabilis.*

*Virgil. lib. 3. Georg.*

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi,
Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

*Horat. Oda 7. lib. 4.*

Pulvis & umbra sumus.

*Item.*

Quid valet hic mũdus quid gloria quidve triumphus
Post miserum funus pulvis & umbra sumus.
Pulvis & umbra sumus, pulvis nihil est, nisi fumus,
Sed nihil est fumus, nos nihil ergo sumus.

*Statius lib. 2. Sylvarum.*

—Nos vilis turba caducis
Deservire bonis, semperq; optare parati
Spargimur in casus: celsa tu mentis ab arce
Despicis errantes, humanaque gaudia rides.

*Ovid lib. 15. Metamorph.*

Editus in lucem jacuit sine viribus infans,
Mox, quadrupes, rituq; tulit sua membra ferarum,
Paulatimque tremens, & nondum poplite firmo
Constitit, adjutisque aliquo conamine nervis:
Inde valens veloxque fuit, spatiumq; juventæ
Transit & emeritis medii quoque temporis annis,
Labitur occiduæ per iter declivæ senectæ:

Subru-

Subruit hæc ævi demoliturq; prioris,
Robora.

*Cornelius Gallus.*

O quam dura premit miseros conditio vitæ ?
Nec mors humano subjacet arbitrio.
Dulce more miseris, sed mors optata recedit,
At quum tristis erit præcipitata venit.

---

## DE HONORIBUS.

*Honores veri non sunt fortuiti muneris.*

*Ausonius in Solonis sentent.*

Nonerunt honores unquam fortuiti muneris.

*Honorantur hodie non nisi divites, quibus honores venum exponuntur.*

*Ovid, lib. 1. Fastor.*

In pretio pretium nunc est, dat census honores,
Census amicitias : pauper ubiq; jacet.

*Idem lib. 3. Eleg.*

Curia pauperibus clausa est dat census honores,
Inde gravis judex, inde severus eques.

*Honores ac opes, ut stolidæ mentes ampliter accumulent imprecatio, quod postea illis liceat vera dona cognoscere.*

*Boetius Metro 8. lib. 3.*

Quid dignum stolidis mentibus imprecer ?
Opes honore ambiant ;
Et quum falsa gravi mole peraverint,
Tum vera cognoscant bona.

*Honoris non intermorituri intimatio.*

*Virgil. Eclog. 5.*

Dum juga montis aper fluvios dum piscis amabit,
Dum thymo pascentur apes, dum rore cicade
Semper honos nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

*Idem lib. 1. Æneid.*

In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Lustrabunt, convexa polus dum sydera pascet,
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

*Honorabilis viri, qui ab omnibus poetis carmine celebretur digni, intimatio.*

*Olympius Nemesianus Ecl. 1.*

Namq; fuit dignus senior, quem carmine Phœbus,
Pan calamis, fidibusq; Linus, modulantibus Orpheus
Concine-

Concinerent, atque acta viri, laudesq; sonarent.

*Honoris fructus onus.*

*Tib.*

Fructus honos oneris fructus honoris onus.

---

## DE HOSPITALITATE.

*Hospitibus, scilicet bonis, quod confertur, conferenti quæstus est.*

*Plautus in Milite.*

In bono hospite atq; amico quæstus est quod sumitur

*Hospes ejicitur turpius, quam non admittitur.*

*Ovid. lib. 5. de Tristib.*

Turpius ejicitur quam non admittitur hospes.

*In hospitibus certum amorem non esse, supra tit. de Amore ostensum est.*

Amor in hospitibus certus est, &c.

*Hospes ab hospite non est hodie tutus.*

*Ovid. lib. 1. Metamorph.*

Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus.

---

## DE HUMILITATE.

*Humiles Deus extollit, superbos vero deprimit humiliatque.*

*Horatius Oda 34. lib. 1.*

——Valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat Deus,
Obscura promens.

*Idem Oda 4. lib. 3.*

Vim temperatam dii quoq; provehunt
In majus: idem odere vires
Omne nefas animo moventes:
Testis mearum Centimanus Giges
Sententiarum notus & integræ
Tentator Orion Dianæ,
Virginea domitus sagitta.
Injecta monstris terra dolet suis,
Mœret partus fulmine luridum
Missos ad orcum.

*Claudianus de sepulchro speciosæ.*

Magna repente ruunt, summa cadunt subito.

*Humili viro laus vera sæpe contigit.*

*Seneca in Thyeste.*

Laus vera humili sæpe contigit viro.



# I.
## DE IGNAVIA.

*Ignavia admodum nocet.*

*Ovid. lib. 1. de Ponto.*

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium ni moveatur aquæ.
Et mihi si quis erat dicendi carminis usus,
Deficit estq; minor factus inerte situ.

*Ignavos premit fortuna*

*Seneca in Medea.*

Fortuna fortes metuit, ignavos premit.

*Ignavorum ac inertium reprehensio, & ad virtutem amplexendam exhortatio illustris.*

*Ovid.* Heroid. *Epist.* 16.

Ad possessa venis, præreptaq; gaudia serus.
Spes tua lenta fuit, quod petis alter habet.

*Boetius Metro 6. lib. 4.*

Ite nunc fortes ubi celsa magni
Duxit exempli via. cur inertes
Terga nudatis? superata tellus
Sydera donat.

*Ignavi recte cavent ne sibi invideatur.*

*Plautus in Bacch.*

Sibi ne invideatur, ipsi ignavi recte cavent.

---

## DE IGNORANTIA.

*Ignorantia quandoq; excusat.*

*Ovid.* Heroid. *Epist.*

Præterita veniam dabit ignorantia culpæ.

*Ignorantia hominum reprehensio gravis, quod in terrenis rebus sapientes sunt quam in inquisitione summi boni.*

*Boetius Metro 8. lib. 3.*

Heu heu quæ miseros tramite devio.
Abducit ignorantia.
Non aurum in viridi quæritis arbore,
Nec vitæ gemmas carpitis,

Non aliis aqueos montibus abditis
Ut pisce dicetis dapes.
Nec vobis capreas si libet sequi
Thyrrena captatis vada,
Ipsos quinetiam fluctibus abditos
Norunt recessus æquoris,
Quæ gemmis niveis unda feracior,
Vel quæ rubentis purpuræ:
Nec non quæ tenero pisce, vel asperis
Præstant Echinis littora.
Sed quoniam lateat, quod cupiunt bonum
Nescire cæci sustinent,
Et quo stelliferum transubiit polum
Tellure demersi petunt.

*Ignorare ea, quæ unicuique in statu suo scire convenit malum est non mediocre, nec non inertis.*

Horatius Satyra 6. lib. 2.

—Sed quod magis ad nos
Pertinet, & nescire malum est, agitamus verumne
Divitiis homines, an sine virtute beati,
Quidve ad amicitias, usus, rectumve trahat nos,
Et quæ sit natura boni? summumq; quid ejus.

*Seneca in Octavia.*

Inertis est nescire quid liceat sibi.

*Ignorans & indoctus non est Poeta vocandus.*

Horatius in Arte Poetica.

Descriptas servare vices, operumq; colores?
Cur ego si nequeo ignoroque, poeta salutor?
Cur nescire pudens prave quam discere malo?

*Ignorantia majorum iners remedium est.*

Seneca in Oedipo.

Iners malorum remedium ignorantia est.

## DE IGNOTIS.

*Ignota quæq; difficilia videntur, cognita vero facilia.*

Terentius in Heauton.

Omnia hæc dum incipias gravia sunt, dumq; ignores: ubi cognoveris facilia.

Ignoti

*Ignoti nulla cupido.*
*Ovid. lib. 3. de Arte Amandi.*

Quod latet ignotum est, ignoti nulla cupido.
Fructus abest, facies quum bona teste caret.

*Ignotæ rei nullus respectus.*
*Ovid. lib. 3. de Arte Amandi.*

Tu licet & Thamiram superes, atq; Orphea cantu
Non eris ignotæ gratia magna lyræ.
Si Venerem Cous nunquam pinxisset Apelles,
Mersa sub æquoreis illa lateret aquis.

## DE IMPERITIA.

*Imperito homine cur nihil sit injustius.*
*Terentius in Adelphis.*

Homine imperito nunquam quicquam injustius,
Qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

## DE IMPERIO.

*Imperium in bonos difficile non est.*
*Plautus in Milite.*

Facile est imperium in bonis.

*Imperium amicitiæ adjunctum stabilius est, quam quod vi fit.*
*Terentius in Adelphis.*

Nimium ipsus durus est, præter æquum & bonum,
Et errat longe mea quidam sententia,
Qui imperium credat gravius esse, aut stabilius
Ut quod fit, quam illud quod amicitia adjungitur.
Mea est sic ratio, & sic in animum induco meum,
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet:
Si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit:
Ille, quem beneficio adjungas, ex animo facit,
Studet par referre: presens, absensq; idem oris.

*Parere melius quam imperare.*
*Lucret. lib. 5.*

Satius multo parere quietum
Quam regere imperio res velle, & regna tenere.

## DE IMPOSSIBILI.

*Impossibilia fieri exigentis, intimatio perpulchra.*
*Plautus in Mostel.*

Una opera ebur atramento candefacere postulas.

Imposs-

*Impossibilitatis expressiones.*

*Virgilius Eclog. 1.*

Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,
Et freta destituent nudos in littore pisces,
Ante pererratis amborum finibus exul,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tygrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

*Ovid. in Ibin.*

Desinet esse prius contrarius ignibus humor,
Iunctaq; cum luna lumina solis erunt:
Parsque eadem cœli Zephyros emittet & Euros,
Et tepidus gelido flabit ab axe Notus.

*Ibidem.*

Et ver autumno, brumæ miscebitur æstas,
Atque eadem regio vesper & ortus erit,
Quam mihi sit tecum positis, quæ sumpsimus, armis
Gratia, commissis improbe rupta tuis:
Quam dolor hic unquam spatio evanescere possit,
Leniat aut odium tempus & hora meum:
Pax erit hæc nobis donec mihi vitam manebit,
Cum pecore infirmo quæ solet esse lupis.

*Seneca in Thyeste.*

Amat Thyestem frater? æthereas prius
Perfundet arctos Pontus, & Siculi rapax
Consistet æstus unda, & Ionia seges
Matura pelago surget, & lucem dabit
Nox atra terris: ante cum flammis aquæ,
Cum morte vita, cum mari ventus fidem
Fœdusq; jungent.

*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

Longa dies citior brumali tempore, noxq;
Tardior hyberna Solstitialis erit,
Nec Babylon æstum, nec frigora pontus habebit,
Calthaq; Pæstanas vincet odore rosas.
Quam tibi nostrarum veniant oblivia rerum.

*Ibidem ad Græcinum.*

Nam prius incipient turres vitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas:
Quam male se præstet veteri Græcinus amico.

*Ovid. 2. de Ponto.*

Cinyphiæ segetis citius numerabis aristas,

Altaque quam multis florat Hyblathymis.
Et quot aves motis nitantur in aera pennis,
Quotque natent pisces æquore, certus eris:
Quam tibi nostrarum statuatur summa laborum,
Quos ego sumpterra, quos ego passus aqua.

*Ibidem ad Rufum.*

Nominis ante mei venient oblivia nobis,
Pectore quam pietas sic tua pulsa meo,
Et prius hanc animam vacuas reddemus in auras,
Quam fiat meriti gratia vana tui.

*Persius satyra. 5.*

Sambucam citius caloni aptaveris alto.

*Olympius Nemesianus Eclog. 1.*

Namque prius siccis phocæ nascentur in arvis,
Hirsutusque freto vivet leo, dulcia mella
Sudabunt taxi, confusis legibus anni
Ante dabit floreis autumnus, ver dabit uvas,
Messem tristis hyems, æstas tractabit olivas,
Quam taceat Melibœe tuas mea fistula laudeis.

*Claud. in Paneg. Probi, &c:*

Ante dabunt hyemes Nilum, per flumina damæ
Errabunt glacieque niger damnabitur Indus,
Ante Thiesteis iterum conterrita mensis
Intercisa dies refugos vertetur in ortus,
Quam probus á nostro possit discedere sensu.

*Idem lib. 1. in Eutrop.*

Jam testudo volat profert jam cornua vultur,
Prona petunt retro fluvii vada, Gadibus ortum
Armenii texere diem, jam frugibus aptum
Æquor, & assuetum sylvis delphina videbo,
Jam cochleis homines junctos, & quicquid inane
Nutrit, Judaicis quæ pingitur India velis.

---

## DE INCONTINENTIA.

*Mulieres incontinentes sunt magis quam viri.*

*Propert. lib. 3. Eleg. de in contin. mulier.*

Objicitur toties à te mihi nostra libido,
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos ubi contempti rupistis frena pudoris,
Nescitis captæ mentis habere modum,
Flamma per incensas citius sedatur aristas,
Fluminaque ad fontis sunt reditura caput.

t placidum Syrtes portum, & bona littora nautis
Præbeat hospitio sæva Malea suo,
uam possit vestros quisquam deprendere cursus,
Et rapidæ stimulos frangere nequitiæ,
estis Cretæi fastus quæ passa juvenci
Induit abiegnæ cornua falsa bovi.
estis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo.
Quæ voluit liquido tota subire Deo.
rimen & illa fuit patria succensa senecta
Arboris infrondes condita Myrrha novæ.
am quid Medeæ referam, quo tempore matris
Iram natorum cædepiavit amor?
uidve Clytemnestræ, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?
uque ô Minoa venundata Scylla figura
Tondens purpurea regna paterna coma?
anc igitur dotem virgo desponderat hosti:
Nisi tuas portas fraude reclusit amor.

## DE INFAMIA.

*Infamia est immortalis, igitur summopere vitanda est.*

*Plautus in Persa.*

ater, hominum immortalis est infamia:
tiam tum vivit, quum esse credas mortuam.

*Paupertas fit gravior si ad illam accedat infamia.*

*Plautus in Persa.*

uanquam res nostræ sunt pater pauperculæ.
odicæ, & modestæ meliu'st tamen ita vivere,
am ubi ad paupertatem accessit infamia,
ravior paupertas fit, fides sublestior.

*Infamia aliena teneros animos sæpe à vitiis obsterret, ut fumus vicinum ægros ab inferenda morte.*

*Horat. Satyr. 4. lib.* I.

—Avidos vicinum funus ut ægros
Exanimat, metusque metu sibi parcere cogit.
Sic teneros animos aliena opprobria sæpe.
Absterrent vitiis.

## DE INFANTIA.

*Infantis miseria quæ sit.*

*Ovid. lib. 15. Metamorph.*

Editus in lucem jacuit sine viribus infans.

*Lucret. lib. 5. de natura rerum.*

Tum porro puer (ut sævis projectus ab undis
Navita) nudus humi jacet infans indigus omni
Vitali auxilio quum primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris natura profundit,
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum'st,
Cui tantum in vita restet transire malorum.

*Infantia pueritiave veri adsimilatur.*

*Ovid. lib. 15. Metamorph.*

Nam tener & lactens, pueriq; simillimus ævo
Vere novo est: tunc herba recens, & roboris expers
Turget, & insolida est, & spe delectat agrestes, &c.

## DE INFERNO.

*Infernales furiæ tres sunt, quæ nocentes assidue, acriterque dicuntur.*

*Ovid. in Ibin.*

Hic tibi de furiis scindit latus una flagello,
  Ut sceleris numeros confiteare tui.
Altera tartareis sectos dabit anguibus artus,
  Tertia fumantes incoquet igne genus.

*Inferni cruciatus innumeri petunt.*

*Ovid. lib. 4. Metamorph.*

Mille capax aditus & apertas undiq; portas
Urbs habet: utq; fretum de tota flumina terra,
Sic omnes animas locus accipit ille, nec ulli
Exiguus populo est, turbamve accedere sentit
Errant exangues sine corpore & ossibus umbræ.

*Idem in Ibin.*

In loca ab Elisiis diversa fugabere campis.
  Quasq; tenet sedes noxia turba coles,
Quæque gerunt humeris perituras Belides undas,
  Exulis Ægypti turba cruenta nurus.

*Seneca in Hercule furente.*

Quid juvat durum properare fatum?
Omnis hæc magnis vaga turba terris
Ibit ad manes, facietque inerti.
  Vela Cocyto.

*Idem in Oedipo.*

Longus ad manes properatur ordo
Agminis mœſti.

*Silius Italic. lib. 2. bel. Pun.*

Tum demum ad manes perfecto munere Erinnys
Junone laudata redit, magnamq; ſuperba
Exultat rapiens ſecum ſub tartara turbam.

*Propert. lib. 2. eleg ad Jovem.*

Sunt apud infernos tot millia formoſarum,
Pulchra ſit in ſuperis ſcilicet una locis.
Vobiſcum eſt Jope, vobiſcum candida Tyro,
Vobiſcum Europe, nec proba Paſiphae,
Et quot Troja tulit vetus, & quot Achaia formas
Et Phœbi, & Priami diruta regna ſenis,
Et quæcumq; erat in numero Romana puella
Occidit has omneis ignis avarus habet.

*Claud. lib. 2: de raptu Proſerp.*

Conveniunt animæ, quantas violentior auſter
Decutit arboribus frondes, aut nubibus imbres
Colligit, aut frangit fluctus, aut torquet arenas,
Cunctaq; præcipiti ſtipantur ſecula curſu
Inſignem viſura nurum.

*Silius Italic. lib. 13. bel. Pun.*

Regna, ait, hic tenebras agitãt, volitantq; per umbras
Innumeri quondam populi, domus omnibus una,
In medio vaſtum late ſe tendit inane.
Huc quicquid terræ, quicquid freta, & igneus æther
Nutrivit primo mundi genitalis ab ævo
Mors communis agit, deſcendunt cuncta, capitque
Campus iners quantum interiit: reſtatque futurum.

*Inferni initium, ſeu via.*

*Virgil. lib. 6. Æneid.*

——At læva malorum
Exercet pœnas & ad impia tartara mittit:

*Ovid. lib 4. Metamorph.*

Eſt via declivis funeſta nubila taxo,
Ducit ad infernas per multa ſilentia ſedes,
Styx nebulas exhalat iners, umbræq; recentes
Deſcendunt illac, ſimulacraq; functa ſepulchris.
Pallor, hyemſq; tenet latè loca ſenta, noviquе
Qua ſit iter manes ſtygiam quod ducat ad urbem
Ignorant, ubi ſit niſi fera regia Ditis.

*Seneca in Hercule furente.*

Spartana tellus nobile attollit jugum,
Densis ubi æquor Tænarus sylvis premit,
Hic ora solvit Ditis invisi domus,
Hiatq; rupes alta & immenso specu
Ingens vorago faucibus vastis patet:
Latumq; pandit omnibus populis iter,
Hinc ampla vacuis spatia laxantur locis,
In quæ omne mersum pereat humanum genus,
Nec ire labor, ipsa deducit via:
Ut sæpe puppes æstus invitas rapit,
Sic pronus aer urget.

*Silius Ital. lib. 12. bel. Pun. sec.*

Hic vicina palus fama est Acherontis ad undas
Pandere iter, cælas stagnante voragine fauces
Laxat, & horrendos aperit teluris hiatus,
Interdumq; novo perturbat lumine manes.

*Statius lib. 2 Thebaid.*

Hoc ut fama loco pallentes devius umbras
Trames agit, nigriq; Jovis vacua atria ditat
Mortibus, Arcadii perhibent si vera coloni.
Stridor ibi & gemitus pœnarum, atroque tumultu
Fervet ager; sæpe Eumenidum vocesq; manusq;
In medium sonuere diem, lethique triformis
Janitor agricolas campis auditus abegit.

*Valer. Flac. lib. 1. Argon.*

Ingenti jacet ore chaos, quod pondere fessam
Materiem lapsumque queat consumere mundum,
Hic geminæ æternum portæ, quarum altera dura
Semper lege patens populosque regesque receptat.

*Claud. lib. 1. in Ruffinum.*

Est locus extremum pandit qua Gallia littus
Oceani prætentus aquis, quo fertur Ulysses
Sanguine libato populum movisse silentum.
Illic umbrarum tenui stridore volantum
Flebilis auditur quæstus, simulacra coloni
Pallida, defunctasque vident migrare figuras,

*Idem lib. 2. in Ruffinum.*

Est locus infaustis, quo concilian tur in unum
Coeytus Plegethonque vadis, inamœnus uterque:
Alveus, hic voluit lacrymis, hic igne redundat.
Turris per geminos flammis vicinior amnes

Porrigitur,

Porrigitur, ſolidoque rigent adamante, ſiniſtrum
Proluit igne latus dextra Cocytia fuudit
Æquora, triſte gemens & fleta concita plangit,
Huc poſt emeritam mortalia ſecula vitam
Deveniunt, ubi nulla manent diſcrimina fati;
Nullus honor, vannoque exutum nomine regem
Perturbat plebeius egens.

*An ſit inferni pœna aliqua, & quod non ſit ſecundum quorundam inſulſam opinionem.*

*Seneca in Hercule furente.*

—Vera ni eſt fama, inferis
Tam fera reddi jura & oblitos ſui
Sceleris nocentes debitas pœnas dare?
Quis iſte veri rector, atque æqui arbiter?

*Idem in* Troade.

—Tænara, & aſpero
Regnum ſub domino, limen & obſidens
Cuſtos, non facili Cerberus oſtio
Rumores vacui, verbaque inania,
Et par ſollicito fabula ſomnio.

*Lucretius lib. 3. de nat. rerum.*

—Poſt mortem denique noſtram
Num quid ibi horribile apparet? Num triſte videtur
Quicquam? nonne omni ſomno ſecurius extat?
Atque ea nimirum quæcumq; Acheronte profundo
Prodita ſunt eſſe, in vita ſunt omnia nobis:
Nec miſer impendens magnum timet aere ſaxum
Tantalus, ut fama'ſt caſſa formidine torpens:
Sed magis in vita divum metus urget inanis
Mortales, caſumque timent, quem cuique ferat ſors:
Nec Tytion volucres ineunt Acheronte jacentem
Sed Ttyius nobis hic eſt, in amore jacentem
Quem volucres lacerant, atque exeſt anxius angor,
Aut alia quavis ſcindunt torpedine curæ, &c:

*Inferni pœna diverſa eſt ſecundum hominum merita.*

*Virgil. lib. 6. Æneid.*

Necnon & Tityon terræ omniparentis alumnum
Cernere erat per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur, roſtroque immanis vultur adunco
Immortale jecur rudens fœcundaque pœnis
Viſcera, rimaturque opulis habitatque ſub alto

 Pectore,

Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis,
Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumque?
Quos super alta silex jamjam lapsura cadentique
Imminet adsimilis: lucent genealibus altis
Aurea fulcra thoris, epulæq; ante ora paratæ
Regifico luxu: furiarum maxima juxta
Accubat, & manibus prohibet contingere mensas,
Exurgitq; vocem attollens, atque intonat ore.
Hic quibus invisi fratres dum vita manebat,
Pulsatusve parens, & fraus innexa clienti,
Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis, quæ maxima turba est:
Quiq; ob adulterium cæsi, quique arma sequuti
Impia, nec veriti Dominorum fallere dextras,
Inclusi pœnas exspectant.

*Ibidem.*

Saxum ingens volvunt alii radiisque rotarum
Districti pendent, sedet, æternumq; sedebit
Infelix Theseus, Phlegyasque miserrimus omnes
Admovet, & magna testatur voce per umbras
Discite justitiam moniti, & non temnere divos,
Vendidit hic auro patriam dominumque potentem
Imposuit, fixit leges pretio atque refixit.
Hic thalamum invasit natæ, vetitosque hymenæos,
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti,
Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

*Ibidem.*

Quin & supremo quum lumine, vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse est
Multa diu concerta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt: aliæ penduntur inanes
Suspensæ ad ventos, aliis sub gurgite vasto
Infectnm eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patimur manes.

*Ovid. lib. 4. Metamor.*

Parsque forum celebrant, pars imi tecta tyranni,
Pars aliquas artes antiquæ imitamina vitæ
Exercent: aliam partem sua pœna coercet.

Viscera

Viſcera præbebat Tityus lanianda, novemque
Jugeribus diſtractus erat. Tibi Tantale nullæ
Deprenduntur aquæ quæque imminet effugit arbor.
Aut petis, aut urget ruiturum Siſyphe ſaxum,
Volvitur Ixion, & ſe ſequiturque fugitque.
Molirique ſuis lethum patruelibus auſæ.
Aſſidue repetent, quas perdunt, Belides undas.

*Horatius Oda* 13. *lib.* 2.

Quam pene furiæ regna Proſerpinæ,
Et judicantem vidimus Aeacum,
Sedeſque diſcretas piorum, &
Aeoliis fidibus quærentem
Sappho puellis de popularibus
Et te ſonantem plenius aureo
Alcæe plectro dura navis,
Dura fugæ mala, dura belli?

*Idem Oda* 14. *lib.* 2.

Viſendus ater flumine languido
Cocytus errans & Danai genus
Infame, damnatuſque longi
Siſyphus Aeolides laboris.

*Seneca in* Hercule *furente.*

Quod quiſque fecit patitur auctorem ſcelus
Repetit, ſuoque premitur exemplo nocens.

*Silius Italicus lib.* 13. *bel. Pun.* 2.

Has inter formas conjunx Junonis avernæ
Suggeſtu reſidens cognoſcit crimina Regum.
Stant vincti, ſeroq; piget ſub judice culpæ.
Circumerrant furiæ, pœnarumque omnis imago.
Quam vellent nunquam ſceptris fulſiſſe ſuperbis.
Inſultant duro imperio, non digna, non æqua.
Ad Superos paſſi Manes, quæque ante profari
Non licitum vivis, tandem permiſſa queruntur,
Nunc alius ſævis religatur rupe catenis:
Aſt alius ſubigit ſaxum, perq; ardua montis
Vipereo domat hunc æterna Megæra flagello,
Talia lethiferis reſtant patienda tyrannis.

*Statius lib.* 8. *Thebaid*

Forte ſedens media regni infelicis in arce
Dux Erebi populos poſcebat crimine vitæ
Nil hominum miſerans, iratuſque omnibus umbris.
Stant furiæ circum, variæq; ex ordine montes.

Sævaque multisonas exercet pœna catenas.
Fata ferunt animas, & eodem pollice damnant.

*Valer. Flac. lib. 3. Argonaut.*

Quippe nec in ventos, nec in ultima solvimur ossa.
Ira manet, duraque dolor.

*Ibidem.*

Quisque suos sontes inimicaque pectora pœnis
Implicat, & varia meritos formidine pulsat.
At quibus in vita maduerunt sanguine dextræ,
Si fors sæva tulit miseros, vel proxima culpa,
Hos variis mens ipsa modis agitat, sua carpunt
Facta viros resides, etiam nil amplius ausi
In lacrymas humilesque metus: ægramq; fatiscunt
Segnitiem. *Tibullus eleg. 3. lib. 1.*

At scelerata jacet sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant.
Sisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Sævit, & huc illuc impia turba fugit.
Illic Junonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rotæ,
Porrectusque novem Tytius per jugera terræ,
Assiduas in antro viscere pascit aves,
Tantalus est illic, & circum stagna, sed acrem
Jamjam poturi deserit unda sitim.
Et Danai proles, Veneris quod numina læsit
In cava lethæas dolia portat aquas.

*Ovid. in* Ibin.

Poma pater Pelopis præsentio quærit, & idem
Semper eget, liquidis semper abundat aquis.
Jugeribusque novem qui summus distat ab imo,
Visceraque assidue debita præbet avi.

*Inferni custos Cerberus est juxta* Poetas.

T*ibullus lib.* 1.

Tum niger in turba serpentum Cerberus ore
Stridet, & æratas excubat ante fores,

*Virgil. lib. 6. Æneid.*

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro.

*Quid autem sibi hoc figmenti velit, Lucret. lib. 3. de ant. rer. interpretatur.*

Cerberus & furiæ, jam vero & lucis egenus

Tartarus,

Tartarus, horriferos eructans faucibus æstus,
Qui neque sunt usquam, nec possunt esse profecto,
Sed metus in vita pœnarum pro malefactis
Est insignibus insignis, scelerisque numella,
Carcer, & horribilis de saxo jactus eorum,
Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tedæ,
Quæ tamen & si absunt, at mens sibi conscia facti
Præmetuens adhibet stimulos, torretque flagellis
Nec videt interea qui terminus esse malorum
Possit, nec qui pœnarum denique finis,
Atque eadem metuit magis, hæc ne in morte gravescant.
Hinc Acherusia sit stultorum denique vita:

*Inferni pœna æterna est.*

*Ovid. in Ibin.*

Nec mortis pœnas mors altera finiet hujus,
Horaque erit tantis ultima nulla malis.

*Juvenal. Satyra.* 2

Esse aliquos manes, & subterranea regna,
Et contum, & stygionaras in gurgite nigras,
Atque una transire vadum tot millia cymba
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære levantur,
Sed tu vera puta Curius quid sentit, & ambo
Scipiadæ? quid Fabricius? manesque Camilli?
Quid Cremeræ legio? & Canis consumpta juventus?
Tot bellorum animæ.

*Lucanus lib. 3. bel civil.*

Sedibus Elysiis, campoque expulsa piorum
Ad stygias, inquit, tenebras manesque nocentes
Post bellum civile trahor.

*Seneca in* Herc. *Furen.*

——Certus inclusos tenet.
Locus nocentes, utque fert fama, impios
Supplicia vinclis sæva perpetuis domant.
Rapitur volucri tortus Ixion rota.
Cervice saxum grande Sisyphea sedes.
In amne medio faucibus siccis senex
Sectatur undas, abluit mentum latex,
Fidemque quum jam sæpe decepto dedit,
Perit unda in ore, poma distituunt famem
Præbet volucri Tityus æternas dapes,
Urnasque frustra Danaides plenas ferunt.

Errant furentes impiæ Cadmeides,
Terretq; mensas avida Phineas avis.

*Ibidem.*

Qualis est nobis animus remota
Luce, quum mœstus sibi quisq; sensit
Obrutum tota caput esse terra,
Stat chaos densum, tenebræque turpes,
Et color noctis malus, & silentis
Otium mundi, vacuæq; nubes.
Sera nos illo referat senectus.

*Ibidem.*

Nemo ad id sero venit, unde nunquam
Quum semel venit, potuit reverti.

*Silius Italicus lib. 15. bel. Pun.*

——— Sed fœdere certo
Degeneres tenebris animas damnavit avernis.

*Statius lib. 4. Thebaid.*

Tartareæ sedes, & formidabile regnum
Mortis inexpletæ, tuque ô sævissime fratrum
Cui servire dati manes, æternaque sontum
Supplicia, atq; imi famulatur regia mundi,
Solvite pulsanti loca muta.

*Ibidem.*

Audiris genitor vulgusq; exangue propinquat,
Panditur Elysium chaos, & telluris opertæ
Desilit umbra rapax, sylvæque & nigra patescunt
Tartara, liventes Acheron ejectat arenas,
Fumidus atra vadis Phlegeton incendia volvit
Et Styx discretis interflua manibus obstat:
Ipsum pallentem solio, circumq; ministras
Funestorum operum Eumenides, Stigiæque severos
Junonis thalamos & mœsta cubilia cerno.
In speculis mors atra sedet, dominiq; sedentes
Adnumerat populos, major supereminet ordo.

*Statius lib. 11. Thebaid.*

Ite rruces animæ, funestaq; tartara letho
Polluite, & cunctas Herebi consumite pœnas.

*Idem lib. 3. Sylva.*

Ad manes ignare fugis, nec flectere Parcas,
Aut placare malæ datur aspera numina Lethes.

*Valer. lib. 3. Argonaut.*

——Quum deinde tremendi

Ad ſolium venere Jovis, queſtuq; nefandam
Edocuere necem.

*Claud. lib. 2. de rapt. Proſerp.*

——Tu damnatura nocentes,
Tu requiem datura piis, te judice ſontes
Improba cogentur vitæ commiſſa fateri.

*Apud inferos animarum judices Æacus, Minos & Rhadamanthus eſſe dicuntur, eo quod in hac vita juſtiſſimi fuerunt.*

*Ovid. lib. 13. Metamorph.*

Æacus huic pater eſt, qui jura ſilentibus illic
Reddit, ubi Æolidem ſaxum grave Siſyphon urget.

*Idem in Ibin.*

Noxi mille modis læcerabitur umbra, tuaſque
Æacus in pœnas ingenioſus erit.

*Horat. Oda. 13 lib. 2.*

Et judicantem vidimus Æacum.

*Idem Oda 8. lib. 4.*

Ereptum Stygiis fluctibus Æacum
Virtus & favor, & lingua potentum
Vatum divitibus conſecrat inſulis.

*Virgil. lib. 6. Æneid.*

Gnoſius hæc Rhadamanthus habet duriſſima regna,
Caſtigatq; auditq; dolos, ſubigitq; fateri,
Quæ quis apud ſuperos furto lætatus inani,
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

*Seneca in Hercule furente.*

Non unus alta ſede quæſitor ſedens
Judicia trepidis fera ſortitur reis,
Auditur illo Gnoſius Minos foro,
Rhadamanthus illo, Thetidis hoc audit ſocer.

*Statius lib. 4. Thebaid.*

Arbiter hoc dura verſat Cortynius urna,
Vera nimis poſcens, agitque expromere vitas
Uſq; retro, & tandem pœnarum lucra fateri.

*Propertius lib. 3. Eleg.*

Non tamen immerito Minos ſedet arbiter orci,
Victor erat quamvis æquus in hoſte fuit.

*Claudianus lib 2 in Ruffin.*

——— Quæſitor in alto
Conſpicuus ſolio pertentat crimina Minos:

Et

Et justis dirimit sontes, quos nolle fateri
Viderit, ad mala mox transmittit verbera fratris.
Nam justa Rhadamanthus agit quum gesta superni
Curriculi, totosq; diu prospexerit actus,
Exæquat damnum meritis.

*Inferni regressus non est.*

*Seneca in Hercule furente.*

——Atque avidum chaos
Gradumq; retro flectere, haud unquam sinunt
Umbræ tenaces.

*Ibidem.*

Sed nemo ad id sero venit, unde nunquam
Quum semel venit, potuit reverti.

*Idem in Hyppolyto.*

——Non unquam amplius
Convexa tetigit supra, qui mersus semel
Adiit silentem nocte perpetua domum.

*Owenus.*

Ut niger in niveum nulla redit arte colorem
Spectat ab inferno sic via nulla retro.

---

## DE INFIRMITATE.

*Infirmitatis maximæ intimatio.*

*Ovid. lib. 3. de Tristibus.*

Nec cœlum, nec aqua faciunt, nec terra, nec auræ,
Hei mihi perpetuus corpora languor habet.
Seu vitiant artus ægræ contagia mentis,
Sive mei caussa est in regione mali:
Ut tetigi Pontum vexantur somnia, vixque
Ossa tegit macies, nec juvat ora cibus.
Quique per autumnum percussis frigore primo
Est color in foliis, quæ nova læsit hyems:
Is mea membra tenet, nec viribus allevor ullis,
Et nunquam quæruli causa doloris abest.

*Idem lib. 4. de Tristib.*

Nam neque sunt vires, nec qui color esse solebat,
Vix habeo tenuem, quæ tegat ossa cutem.

*Infirmos sanari pudet ubi turpis est medicina.*

*Seneca in Oedipo.*

Ubi turpis est medicina, sanari pudet.

*Infirmis parva causa nocet.*

*Ovid. lib. 2. de Remedio Amoris.*

Admonitu recreatur amor, vulnusq; novatum
Scinditur, infirmis causa pusilla nocet.

## DE INGENIO.

*Ingenium olim erat in pretio.*

*Ovid. lib. 3. Eleg.*

Ingenium quondam fuerat pretiosius auro,
At nunc barbaries grandis, habere nihil.

*Ingenium exornat sæpe corporalem deformitatem, ut de Ovidio liquet.*

*Ovid de Sappho.*

Si mihi difficilis formam natura negavit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.

*Titus Calphurnius Eclog. 2.*

Rusticus est fateor, sed non est barbarus Idas.

*Ingenio comparatum decus mortem evadit reliqua vetustate destruuntur.*

*Propert. Eleg. 2. lib. 3.*

Nam neque Pyramidum sumptus ad sydera ducti,
Nec Jovis Elæi cœlum imitata domus,
Nec Mausolæi dives fortuna sepulcri
Mortis ab extrema conditione vacat.
Aut illis flamma, aut imber subducit honores,
Annorum ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
Excidet, ingenio stat sine morte decus.

*Ingenio non ætate, sapientia acquiritur.*

*Plautus in Trinummo.*

Non ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia:

*Ingenio alterius etiam amicissimi, qui velit cedere raro invenitur.*

*Martialis lib. 5. Epigram.*

Aurum & opes, & rura frequens donabit amicus,
Qui velit ingenio cedere rarus erit.

*Ingenium dilatione, necnon adversitate torpescit.*

*Ovid. lib. 5. de Tristibus.*

Adde quod ingenium longa rubigine læsum
Torpet, & est multo quam fuit ante minus:
Fertilis, assiduo si non renovetur aratro
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

*Idem de Sappho.*

Nunc vellem facunda forem, dolor artibus obſtat,
 Ingeniumq; meis ſubſtitit omne malis.

*Ingenium adverſa nudare, proſpera vero celare ſolent.*

Horatius *ſatyra* 8 *lib*. 2.

——Ingenium res
Adverſæ nudare ſolent, celare ſecundæ.

*Ingenia ſumma ſæpe in occulta latent.*

*Plautus in Captivis.*

Sæpe ſumma ingenia in occulto latent.

*Ingenium ſubitis ineſt caſibus.*

*Martialis lib*. 1. *Epigram.*

O quantum eſt ſubitis caſibus ingenium.

---

## DE INGRATITUDINE.

*Ingratitudine caſtigatio vehemens.*

*Ovid. lib*. 5. *Metamorph.*

——Conanti mittere Cepheus
Quid facis exclamat, quæ te germane furentem
Mens agit in facinus? meritiſne hæc gratia tantis
Redditur? hac vitam ſervatam dote rependis?

*Plautus in Aſinaria.*

Ingrata atque irrita eſſe omnia intelligo,
Quæ dedi, & quod benefici: ac poſthac tibi
Male quod potero facere, faciam meritoque id faciam tuo.

*Martialis lib*. 5. *Epigram.*

Sæpe ſalutatus, nunquam prior ipſe ſalutas
 Sic erit æternum Pontiliane vale.

*Ingratitudinis maximæ expreſſio.*

*Ovid. lib*. 2. *de Triſtib.*

Hoc pretium vitæ vigilatorumq; laborum
 Cœpimus, ingenio eſt pœna reperta meo.

*Auſonius in Epigram.*

Ingrato homine terra pejus nil creat.

*Catullus.*

Deſine de quoquam quicquam bene velle mereri,
 Aut aliquem fieri poſſe putare pium.
Omnia ſunt ingrata, nihil feciſſe benigne eſt,
 Imo etiam tædet, tædet obeſtque magis.

Ut

Ut mihi quem nemo gravius nec acerbius urget
Quam modo, qui me unum, atque unicum amicum habuit.

*Juvenalis satyra 7.*

Scire volunt omnes, mercedem solvere nemo.

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Quis memor vivet tui,
O natæ populus? omne nam ingratum est genus.

*Juvenalis satyra 3.*

Hic tunc Umbricius, quando artibus, inquit, honestis
Nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor est heri quam fuit, atq; eadem cras
Deteret exiguis aliquid.

*Ingratum amans nihil amat.*

*Plautus in Persa.*

Etenim nihil amas, quum ingratum amas,

*Ingratum est, esse miserum esse.*

*Plautus in Cistella.*

Hercle miserum est ingratum esse hominum.

*Ingrato meritum exprobare, voluptas est.*

*Ovid. Epist. 12. Heroid.*

Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas,
Hac fruar, hæc de te gaudia sola feram.

*Ingrati sodales dimittendi sunt, & ad ad hoc exhortatio.*

*Juvenalis 11. satyra.*

—Ingratos ante omnia pone sodales.

---

## DE INIMICITIIS.

*Inimicitiarum nunquam intermoriturarum expressio.*

*Ovid in Ibin.*

Pax erit hæc nobis donec mihi vita manebit,
Cum pecore infirmo quæ solet esse lupis.

*Seneca in Medea.*

Dum terra cœlum media libratum feret.
Nitidusque certas mundus evolvet vices,
Numerusq; arenis deerit, & solem dies,
Noctem sequentur astra, dum siccas polus
Versabit arctos, flumina in pontum cadent,
Nunquam meus cessabit in pœnas furor.

*Inimicitiæ*

*Inimicitiæ ac reliqua vitia omnia hoc seculo potissimum exercentur.*

*Ennius lib.8. Annalium.*

Pellitur è medio sapientia, vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridu' miles amatur,
Haud doctis dictis certantes, nec maledictis
Miscent inter se inimicitias agitantes.
Non ex jure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt, regnumq; petunt, vadunt solida vi.

*Inimici minas contemnentis exemplum.*

*Ovid. 2. de Ponto.*

Sed licet arma feras, & vulnera sæva mineris:
Non tamen efficies ut timeare mihi.

## DE INJURIA.

*Injuria ignem, id est, odium vel furorem extinctum suscitat.*

*Ovid. lib. 3. de Arte Amandi.*

Quælibet extinctos injuria suscitat ignes.

*Injuriæ nondum illatæ satius est resistere quam acceptam ulcisci.*

*Terentius in Eunuch:*

Sed quod cavere possis stultum admittere est.
Malo ego nos prospicere, quam hunc ulcisci acceptu
injuria.

*Injuriam immerenti inferre, iniquum atque stultitia maxima est.*

*Terentius in Hecyra.*

Offerre injuriam me tibi immerenti iniquum est.

*Plautus in Curcul.*

Mali mereri de immerente inscitia est.

## DE INNOCENTIA.

*Innocens ubique tutus est, nihilque timet.*

*Horat. Oda 22, lib, 1.*

Integer vitæ scelerisq; purus
Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravida sagittis
Fusce pharetra.
Sive per Syrteis iter æstuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

*Innocens*

*Innocens & justus Dei iram haud veretur.*

*Ovid. lib. 5. de Tristib.*

Nec fore perpetuam sperat sibi numinis iram
Conscius in culpa non scelus esse sua.

*Innocens seu mens recti conscia famæ mendacia parvi pendit.*

*Ovid. lib. 4. Fastorum.*

Conscia mens recti famæ mendacia ridet:
Sed nos in vitium credula turba sumus.

*Innocenti diviti calumnia intenditur ut ex lite quæstus aliquid abradatur.*

*Ovid. Eleg. de Nuce.*

Sic reus ille fere est, de quo victoria lucro
Esse potest, inopis vindice facta carent.

---

## DE INVIDIA ET LIVORE.

*Invidiæ descriptio, seu effectus ipsius expressio propriissima.*

*Virgilius de livore.*

Livor tabificum malis venenum
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quid quisque furit, invidetque sorti
Ut debet sibi pœna semper ipsa est.
Testatur gemitu graves dolores,
Suspirat, gemit, incutitq; dentes,
Sudat frigidus intuens quod odit.
Effundit mala lingua virus atrum,
Pallor terribilis genas colorat.
Infelix macies renudat ossa.
Non lux non cibus est suavis illi,
Nec potus juvat, aut sapor Lyæi:
Nec si pocula Juppiter propinet,
Atque hæc porrigat & ministret Hebo,
Aut tradat Ganymedes ipse Nectar.
Non somnum capit, aut quiescit unquam,
Torquet viscera carnifex cruentus:
Vesanos tacite movet furores
Intentans animo faces Erinnys
Læthalis, Tityique vultur intus
Qui semper lacerat commestque mentem,
Vivit pectore sub dolente vulnus,

Quod Chironia nec manus levaret,
Nec Phœbus,ſoboleſve chara Phœbi.

*Ovid lib. 2. Metamorph.*

Huc ubi pervenit bello metuenda virago,
Conſtitit an te domum. Neque enim ſuccedere tectis
Fas habet,& poſtes extrema cuſpi le pulſat.
Concuſſæ patuere fores, videt intus edentem
Vipereas carnes vitiorum alimenta ſuorum
Invidiam, &c.
Pallor in ore ſedet,macies in corpore toto:
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno:
Riſus abeſt, niſi quem viſi movere dolores.
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum, carpitque & carpitur una,
Suppliciumque ſuum eſt.

*Et infra.*

Illa deam obliquo fugientem lumine cernens,
Murmura parva dedit, ſucceſſibus atque Minervæ:
Indoluit, baculumque capit,quem ſpinea totum
Vincula cingebant, adopertaque nubibus atris
Quacunque ingreditur florentia proterit arva,
Exuritque herbas,& ſumma papavera carpit.
Afflatuque ſuo populos,urbeſque domoſque
Polluit,& tandem Tritonida conſpicit arcem
Ingeniis opibuſque & feſta pace virentem.
Vixque tenet lacrymas,quia nil lacrymabile cernit,
Cunctaque magna facit, quibus irritata dolore
Cecropis,occulto mordetur,& anxia nocte,
Anxia luce gemit,lentaque miſerrima tabe
Liquitur,ut glacies incerto ſaucia ſole.

*Statius lib. 2. Thebaid.*

——Nec livida tabes
Invidiæ,quanquam functis & lumine caſſis,
Defuit.unus ibi ante alios cui læva voluntas
Semper,& ad ſuperos, hinc & gravis exitus ævi
Inſultare malis,rebuſque ægreſcere lætis.

*Invidiæ domus, & illius conditiones.*
*Ovid. lib. 2. Metamorph.*

Protinus Invidiæ nigro ſqualentia tabo

Tecta

Tecta petit, domus est imis in vallibus antri
Abdita, sole carens, non ulli pervia vento,
Tristis & ignavi plenissima frigoris, & quæ
Igne vacet semper, caligine semper abundet.

*Ovid. lib. 3. de Ponto.*

Livor, iners vitium, mores non exit in altos,
Ut que latens ima vipera serpit humo.

*Invidia mortalibus dirum exitium est, quæ res laudesque hominum crescere non permittit.*

*Silius Italic. lib. 11. bel. Pun.*

Dum malus obtrectat facta immortalia livor,
Nec sinit adjutas ductoris crescere laudes.

*Idem. 17. lib bel. Pun.*

——O dirum exitium, ô nihil unquam
Crescere, nec magnus patiens exurgere laudes,
Invidia.

*Invidia summa petit.*

*Ovid. lib. 1. de remed. amoris.*

Summa petit livor, præstant altissima venti.

*Statius lib. 5. Syl.*

Quisnam impacata consanguinitate ligavit
Fortunam, invidiamque Deus? quis jussit iniquas
Æternam bellare deas? nullamne notavit
Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat
Protinus, & sæva perturbet gaudia dextra?
Florebant hilares, inconcussique penates,
Nil mœstum. quid enim, quamvis infida levisque,
Cæsare tam dextro posset fortuna timeri?
Invenere viam liventia fata, piumque
Intravit sæva larem. Sic plena maligno
Afflantnr vineta noto, sic alta senescit
Imbre seges nimio: rapidæ sic obvia puppi
Invidet, & velis adnubilat aura secundis.

*Invidia majus tormentum à Siculis tyrannis non est inventum.*

*Horatius lib. 1. epist. ad Lollium.*

Invidiæ Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum.

*Invidia vitium universale esse dicitur.*

*Plautus in Bacchid.*

—— Nullus est qui non invideat
Rem secundam obtingere.

*Invidia*

*Invidia, virtus magnanima caret.*

*Alcim. pag. 427.*

Nulli candida virtus
Invidet, invidiæ quanquam est ſubjecta malignæ.

*Silius Italicus lib. 13. bel. Pun.*

Magnanima invidia virtus caret.

*Claud. in Stiliconis laud. 3.*

—Nulli pars æmula defuit unquam,
Quæ gravis obſtreperet laudi, ſtimuliſq; malignis
Facta ſequebatur quamvis ingentia livor,
Solus hic invidiæ fines virtute reliquit,
Humanumq; modum, quis enim liveſcere poſſit,
Quod nunquam pereant ſtellæ? quod Jupiter olim
Poſſideat cœlum, quod noverit omnia Phœbus?
Eſt aliquod meriti ſpatium, quod nulla furentis
Invidiæ menſura capit.

*Invidiam habens, diu haud eſſe ſolet.*

*Propert. lib. 2. Eleg.*

Invidiam quod habet, non ſolet eſſe diu.

*Invidere alieno bono non decet.*

*Perſius ſatyra 3.*

—Neq; invidias quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defenſis pinguibus umbris
Et piper, & pernæ Marſi monumenta clientis,
Menaq; quod prima nondum defecerit orca.

*Superbis felicibus invidens, eſt demens.*

*Auſonius in Pittaci ſententiis.*

Demens ſuperbis invidet felicibus.

*Invidus aliena ſuis meliora eſſe aſſidue judicat.*

*Ovid. lib. 1. de Arte Amandi.*

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris,
Vicinumq; pecus grandius uber habet.

*Invidia aliena bona ſemper vituperat.*

*Ovid. lib. 2. de Remed. Amor.*

Ingenium magni livor detrectat Homeri,
Quiſquis es, ex illo Zoile nomen habes.

*Invidus cupit bona quæque pervertere.*

*Horat. ſatyra 3. lib. 1.*

At nos virtutes ipſas invertimus, atque
Syncerum cupimus vas incruſtare. Probus quis,
Nobiſcum vivit multum demiſſus homo, illi
Tardo cognomen pingui damus, hic fugit omneis

Inſidias

nsidias, nulliq; malo latus obdit apertum.
Quum genus hoc inter vitæ verſetur, ubi acris
invidia, atq; vigent ubi crimina, pro bene ſane,
At non incauto, fictum aſtutumq; vocamus:
Simplicior ſi quis, qualem me ſæpe libenter
Obtulerim tibi Mæcenas, ut forte legentem,
Aut tacitum impellat, quovis ſermone moleſtus,
Communi ſenſu plane caret, inquimus.

*Invidus parem habere non patitur.*

*Lucanus lib. 1. bel. civil.*

— Stimulos dedit æmula virtus,
Nec quenquam jam ferre poteſt Cæſarve priorem,
Pompeiuſve parem.

*Lucretius lib. 3. de nat. rerum.*

Macerat invidia ante oculos illum eſſe potentem,
Illum aſpectari claro qui incidit honore,
Ipſi ſe in tenebris volui, cœnoq; quæruntur.

*Invidi antiqua nobis ſemper præferunt.*

*Martial. lib. 3. Epigrammatum.*

Eſſe quid hoc dicam, vivis quod fama negatur,
Et ſua quod rarus tempora lector amat?
Hi ſunt invidiæ nimirum Regule mores,
Præferat antiquos ſemper ut illa novis.

*Invidi ex aliorum bonis aſſidue cruciantur, & malis lætantur.*

Horat. *lib. 5. Epiſt. ad Lollium.*

Invidus alterius rebus macreſcit opimis.

*Terentius in Adelph.*

Hoccine eſt credibile aut memorabile,
Tanta væcordia innata cuiquam ut ſiet,
Ut malis gaudeat, atque ex incommodis
Alterius ſua ut comparet commoda?

*Invidi doctos ac virtute præditos, dum vivunt odio habent: poſtquam vero è medio ſublati ſunt eos optantat deſiderant*

*Ovid. lib. 3 de Ponto.*

Scripta placent à morte quidem: quia lædere vivos
Livor, & inviſo carpere dente ſolet.

*Idem 4 de Ponto.*

Non solet ingeniis summa nocere dies.

*Idem.lib. 1, Eleg.*

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.
Tunc suus ex merito quemque tuetur honos.

*Horat. Oda. 24. lib. 3.*

Clarus post genitis, quatenus heu nefas,
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi:

*Idem lib. 2. Epist. ad Augustum.*

Urit enim fulgore suo, qui prægravat artes
Infra se positas & extinctus amabitur idem.

*Silius Italic. lib. 17 bel. Pun.*

O dirum exitium mortalibus ô nihil unquam
Crescere, nec magnas patiens exurgere laudes
Invidia:

*Inviderum castigatio vehemens.*

*Martialis lib. 1. Epig.*

Qui ducis vultus & non legis ista libenter,
Omnibus invideas livide, nemo tibi.

---

## DE IRA.

*Ira in primis referenda est. & ad hæc admonitio.*

*Ovid. Epist. 3. Heroid.*

Vince animos iramque tuam, qui cætera vincis:

*Horat. lib 1. Epist. ad Lol.*

Ira furor brevis est, animum rege, qui nisi paret
Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catena.

*Seneca in Theba.*

——Pone vesanos precor,
Animi tumores, teque pietati refer.

*Terentius in Adelphis.*

Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi,

*Statius lib. 8. Theb.*

Ille monet: ne frena animo permitte calenti,
Da spatium, tenuemque moram, male cuncta ministrat
Impetus, hoc oro munus concede parenti.

*Ausonius de 7. Sapient.*

Periander, trepidam moderare, Corinthius, iram.

Ira

Ira non sit diuturna.

*Ovid. lib. 1. eleg. 8.*

Sed nunquam dederis spatiosum tempus in iram:
Sæpe simultates ira morata facit.

*Owen.*

Sit brevis ira licet, non expedit esse furorem:
At quoniam furor est, expedit esse brevem.

*Idem.*

Ira cadat cum sole, at non cum sole resurgat,
Semper cum Phœbo currat ad antipodas.

Iræ sedes ubi.

*Claud. de 4. Honorii Cons.*

Iram sanguinei regio sub pectore cordis
Protegit imbutam flammis, avidámque nocendi,
Præcipitémque sui rabie succensa tumescit,
Contrahitur stupefacta metu, quumque omnia secum
Duceret, & requiem membris vesana negaret,
Invenit pulmonis opem, madidumque fluenti
Præbuit, ut tumidæ ruerent in mollia fibræ.

Ira animum hominis, id est rationem aufert.

*Terentius in Heauton.*

- Præ iracundia,
Menedeme, non sum apud me.

*Idem in Adelph.*

Ah me miserum, vix sum compos animi, ita ardet iracundia.

*Sen. de ira.*

Ira mentis omne consilium premit.

Ira quicquid suggerit irato, atque adeo etiam quicquid gerit, teli vice est.

*Claud. de iracundo.*

In jaculum quodcunque gerit dementia mutat,
Omnibus armatur rabies pro cuspide ferri.
Cuncta volant dum dextra ferox in vulnere sævit.
Pro telo geritur quicquid suggesserit ira.

*Ovid. Epist. 6 Heroid.*

Quælibet iratis ipse dat arma dolor.

Ira Dei, etsi lenta sit, tamen magna esse dicitur.

*Stat. Theb. 5.*

Videt hæc, videt, ille deum regnator & ausis
Sera qui dat, manet ira tamen.

*Sophocl. Oedip.*

--Tardè licet
Veniat, venit tamen horrido pede cælitus
Delapsa tandem pœna.

*Statius 5. Theb.*

Diis visum turbare domos, nec pectora culpa
Nostra vacant, nullosque Veneri sacravimus ignes,
Nulla deæ sedes, movet & cœlestia quondam
Corda dolor, lentóque irrepunt agmine pœnæ.

*Juvenalis 13. satyra.*

Ut sit, magna tamen certè, lenta ira deorum est.

Ira deturpat iratum.

*Ovid lib 3. de Arte Aman.*

Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina Gorgoneo sævius angue micant.

Ira reddit iratum fortem.

*Vergil. lib 5. Æneid.*

At non tardatus casu, neque territus heros,
Acrior ad pugnam redit, & vim suscitat ira.

*Ovid. lib. 5. Eleg.*

Quaslibet infirmas adjuvat ira manus.

Ira inclusa magis nocet quam reserata.

*Seneca in Medea.*

Ira quæ tegitur nocet,
Professa perdunt otia vindictæ locum.

Ira mora evanescit ut glacies.

*Ovid. 1 de Arte amand.*

Ut fragilis glacies, interit ira, mora.

Ira & vinum arcana non retinent.

*Horat. lib. 5 epist. ad Quintium.*

Arcanum neque tu scrutaveris ullius unquam,
Commissumve teges & vino tortus & ira.

Iracundi facta infecta volunt esse, quæ dolor & ira suaserunt.

*Horat. lib 1 epist. ad Lollium.*

--Qui non moderabitur iræ
Infectum volet esse dolor quod suaserit & mens,
Dum pœnas odio per vim festinat inulto.

Ira minas ingentes parturit

*Ovid. epist. 12. Heroid.*

--Sed quid prædicere pœnam
Attinet? ingentes parturit ira minas.

Ira-

Iratus haud facile flectitur.

*Seneca in Medea.*

Difficile quam ſit animum ab ira flectere
Jam concitatum, quamque regale hoc putet
Sceptris ſuperbas quiſquis admovit manus
Quæ cœpit ire, regia didici mea.

Irati hominis deſcriptio.

*Perſius ſatyr. 3.*

Nunc face ſuppoſita ferveſcit ſanguis & ira,
Scintillant oculi, diciſque faciſque quod ipſe
Non ſani eſt hominis, non ſanus juret Oreſtes.

Fœlix qui Iram ratione moderatur.

*Simpl.*

Diis proximus ille eſt
Quem ratio non ira movet.

---

## DE JUDICIO.

Judicium quid ſit.

*Petronius Arbiter in Satyr.*

Ergo judicium nihil eſt niſi publica merces.
Atque eques in cauſſa qui ſedet, empta probat.

Judicium rectum, verumque non cernit judex, amore ſcilicet ſeu odio vel pecunia corruptus.

*Horat. ſatyra 2 lib. 2.*

Dicam ſi potero, male verum examinat omnis
Corruptus judex.

Judicii univerſalis dies ob immenſa hominum facinora indubie adveniet, in quo igne quæque terrena cremabuntur.

*Ovid. lib. 1 Metamorph.*

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur adfore tempus,
Quo mare, quo tellus correptáque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

*Lucanus lib 7. bel. civil.*

Nil agis hac ira tabeſne cadavera ſolvat,
An rogus haud refert: placido natura receptat
Cuncta ſinu, finémque ſui ſibi corpora debent.
Hos Cæſar populos ſi nunc non uſſerit ignis,
Uret cum terris, uret cum gurgite Ponti.
Communis mundo ſupereſt rogus, oſſibus aſtra
Mixturus.

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Jam jam legibus obrutis
Mundo conveniet dies,
Australis polus obruet,
Quicquid per Libyam jacet,
Et Spartus Garamas tenet:
Arctous polus obruet,
Quicquid subjacet axibus,
Et siccus Boreas ferit.
Titam excutiet diem
Avulsum trepido polo
Cœli regia concidet,
Certos atque obitus trahet,
Atque omnes pariter deos
Perdet mors aliqua, & chaos,
Et mors fata novissima
In se constituet sibi.

*Lucret. lib. 5. de nat rerum.*

Principio maria, & terras cœlumque tuere,
Quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Tres species tam dissimiles, tria talia texta
Una dies dabit exitio, multosque per annos
Sustentata ruet moles, & machina mundi.

*Seneca in Hercule furente.*

Rerúmque mœstus finis, et mundi ultimi:
Immotus aër hæret, & pigro sedet
Nox atra mundo, cuncta mœrore horrida,
Ipsáque morte pejor est mortis locus.

*Idem in Octavia.*

-Nunc adest mundo dies
Supremus ille, qui premat genus impium
Cœli ruina rursus ut stirpem novam
Generet renascens melior, ut quondam tulit
Juvenis.

In judicii ultimi die non misericordiæ, sed tantum vindictæ in malis locus erit, in quo occulta quæque hominum nuda apertaque omnibus erunt.

*Manillius lib. 5. Astronomiæ.*

Quæsitor scelerum veniet, vindexque reorum,
Qui commissa suis rimabitur argumentis,
In lucemque trahet, tacitaque licentia fraude,
Hinc etiam immitis tortor pœnæque minister,

Et

Et quisquis vero favit, culpamve perodit,
Proditur, atque alio qui jurgia pectore tollat.

*Huc poterunt Tyndari verba apud Plautum in Captivis moraliter tradi ubi ait.*

Nunc spes, opes, auxiliaque à me segregant, spernuntque me.
Hic ille'st dies, quum nulla vitæ salus sperabilis est meum,
Neque exilium exitio'st, neque adeo spes, quæ mihi hunc aspellat
Nec mendaciis subdolis mihi usquam mantellum est meis,
Nec sycophantiis, nec fucis ullum mantellum obviam'st,
Neque precatio perfidiis meis, nec malefactis fuga'st:
Nec confidentiæ usquam hospitium'st, nec diverticulum dolis.
Operta quæ fuere, aperta sunt. patent præstigiæ,
Omnis res palam est, neque ullum Pol de hac re negotium est,
Quin male occidam, oppetamque pestem.

*Sic & illud ejusdem in Truculento.*

Væ misero mihi mea nunc facinora
Aperiuntur, clam quæ speravi fore.

Judicium seu sententia hominum fallax est.

*Ovid. lib. 5. Fastorum.*

Ipsa doce, quæ sis, hominum sententia fallax,
Optima tu proprii nominis auctor eris.

Nullus judex accusati causam, seu rationem, ipso non respondente, noscere valebit.

*Terentius in Phormione.*

An quisquam judex est, qui possit noscere
Tua justa, ubi tute verbum non respondeas?

Judex in omne re irreprehensibilis erit.

*Terentius in Heauton.*

Tu es judex, ne quid accusandus sis, vide.

Judex sententiam haud proferre debet, nisi utraque parte diligenter audita, quod nisi fecerit, licet æquum statuat, haud tamen justus erit.

*Seneca in Medea.*

Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus est.

Judicis est æquum honestumque utilitati præponere.

*Horat. Oda 9. lib. 4.*

Vindex avaræ fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ,
Consulque non unius anni,
Sed quoties bonus atque fidus,
Judex honestum prætulit utili, &
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, & per obstantes catervas,
Explicuit sua victor arma.

Judicis officium non est tantum res, sed & tempora perscrutari, quo peracto tutus erit.

*Ovid. lib. 1. de Tristib.*

Judicis officium est, ut res, ita tempora rerum
Quærere, quæsito tempore tutus erit.

*Gunth. 7. 136.*

-In cunctis causas & tempora rerum
Aspiciat, qui vera cupit decernere, judex.

Judicis corrupti castigatio severa.

*Ovid. lib 1. eleg.*

Non bene selecti judicis arca patet.

Judicis ad justitiam exhortatio.

*Gunth. 3. 60.*

Parce bonis & perde malos, propone quibusque
Justitiam, meritis compensans præmia causis.

## DE JURE.

Jura cur inventa sint.

*Horat. lib. 1. Sermo.*

Jura inventa metu injusti.
Jus summum summa malitia est quandoque.

*Terentius in Heauton.*

-Verum illud, Chreme
Dicunt, Jus summum summa sæpe malitia est,

Jura inventa sunt pro communi bono, atque utilitate inter homines conservanda.

*Horat satyra 3. lib. 1.*

Jura inventa metu injusti fateare necesse est,
Tempora si fastoque velis evolvere mundi.
Nec natura potest justo secernere iniquum,

Dividit

Dividit ut bona diversis fugienda petendis.

Jura permittunt arma in armatos sumere.

*Ovid. lib. 3. de Arte amandi.*

Judice me, fraus est concessa repellere fraudem,
Armáque in armatos sumere jura sinunt.

Jus hodie in armis est.

*Ovid. lib. 5. de Trist.*

Non metuunt leges, sed cedit viribus æquum,
Victáque pugnaci jura sub ense jacent.

*Seneca in Hercule furente.*

Jus est in armis, opprimit leges pudor.

Jus periit omnino.

*Seneca in Agamemnone.*

Periere mores, jus, decus, fides.

Jus sæpe vi opprimitur.

*Lucanus lib. 1. bel civil.*

Imminet armorum rabies, ferrique potestas
Confundit jus omne manu, scelerique nefando
Nomen erit virtus, multosque exibit in annos.

## DE JUSTITIA.

Justitiæ vis.

*Claud. de Cons. Manlii. Theod.*

Tu prima hominem sylvestribus antris
Elicis, & fœdo detergis secula victu.
Te propter colimus leges, animosque ferarum
Exuimus: nitidis quisquis te sensibus hausit,
Irruit intrepidus flammis; hyberna secabit
Æquora, confertos hostes superabit inermis.
Ille vel Æthiopum pluviis solabitur æstus,
Illum trans Scythiam vernus comitabitur aër.

Justitia deperdita est, quæ ad cælos evolasse fertur ob summam hominum malitiam.

*Ovid. lib. 1. Metamorph*

Victa jacit pietas & virgo cæde madentes,
Vltima cœlestum terras Astræa reliquit.

*Juvenalis satyra 6.*

Paulatim deinde ad superos Astræa recessit,
Hac comite atque duæ pariter fugere sorores.

*Idem lib. 1 Fast.*

Justitiam facinus mortale fugavit.

*Seneca in Octavia*

Neglecta terras fugit, & mores feros,
Hominum cruenta cæde pollutas manus,
Astræa virgo ſyderum magnum decus:
Cupido belli crevit, atque auri Fames,
Totum per orbem maximum exortum eſt malum.
Luxuria peſtis blanda, cui dedit vires,
Roburque longum tempus, atque error gravis
Collecta vitia per tot ætates diu
In nos redundant, ſeculo premimur gravi,
Quo ſcelera regnant, ſævit impietas furens,
Turpis libido dominatur potens Venere.
Luxuria victrix orbis immenſas opes
Jampridem avaris manibus, ut perdat, rapit.

Juſtitia adminiſtranda eſt ſecundum hominum merita non autem Juxtà ſanguinis affinitatem nobilitatemque, idque priſcorum Romanorum exemplo.

*Ovid. lib. 13. Metamorph.*

Propoſita arma peto: meritis expendite cauſam,
- Nec ſanguinis ordo,
Sed virtutis honos ſpoliis quæratur in iſtis.

*Seneca in Octavia.*

Vera piorum virtus quondam
Romana fuit, verumque genus
Martis in illis ſanguiſque viris,
Illi reges hac expulerant
Urbe ſuperbos, ultique tuos
Sunt bene manes, virgo dextra
Cæſa parentis, nec ſervitium
Paterere grave, & improba ferret
Præmia victrix dira libido,
Te quoque bellum triſte ſequutum eſt
Mactata tua miſeranda manu
Nata, Lucreti, ſtuprum ſævi
Paſſa tyranni.

Juſtitia armis valentior eſt.

*Ovid lib. 3. Faſtorum.*

Exuitur feritas, armiſque potentius æquum eſt,
Et cum cive pudet conſeruiſſe manus.

Juſtitia rectum utili præponere ſuadet.

*Claud. lib. 1. in Stiliconis laud.*

Justitia utilibus rectum præponere suadet,
Communesque sequi leges, injustaque nunquam
Largiri sociis.

Justitiæ maximæ exemplum in necis auctores.

*Ovid lib. 1. de Arte amand.*

Dicitur Ægyptus caruisse juvantibus arva
Imbribus, atque annos sicca fuisse novem.
Quum Thrasius Busirin adit, monstratque piari
Hospitis effuso sanguine posse Jovem.
Illi Busiris: fies Jovis hostia primus,
Inquit, & Ægypto tu dabis hospes aquam.
Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit auctor opus.
Justus uterque fuit. Neque enim lex justior ulla est,
Quam necis artifices arte perire sua.

Justi viri descriptio elegans.

*Olympius Nemesianus Eglog. 1.*

Heu, Melibœe, jaces lethali frigore segnis,
Lege hominum, cœlo dignus canente senecta,
Concilioque Deum: plenum tibi ponderis æqui
Pectus erat, tu ruricolum discernere lites
Assueveras, varias patiens mulcendo querelas.
Sub te ruris amor, sub te reverentia justi
Floruit, ambiguos signavit terminus agros.
Blanda tibi vultu gravitas, & mite serena
Fronte supercilium, sed pectus mitius ore.

Justum à rectitudine neque tyrannorum, neque populi minæ movere queunt.

*Horat. Oda. 3. lib. 3.*

Justum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida: neque Auster,
Dux inquietæ turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna manus Jovis:
Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ.

Injusta à justis impetrare non decet. justa autem ab injustis exigere inscitia est

*Plautus in Amphitryone.*

Justam rem & facilem esse oratam à vobis volo.
Nam juste ab justis justus sum orator datus.

Nam injusta ab justis impetrare non decet.
Justa autem ab injustis petere insipientia'st.
Quippe illi iniqui jus ignorant neque tenent.

*Cat. lib. 1.*

Quod justum est petito, vel quod videatur honestum.
Nam stultum est petere id quod possit jure negari.

Justa exigentem, ea impetrare oportet.

*Plautus in Sticho.*

-Bonum jus dicis:
Impetrare oportet, quia æquum postulas.

## DE JUVENTUTE.

Juventus senectæ similis gravior est.

*Ausonius in Chilonis septent.*

Illa juventus gravior, quæ similis senectæ.

*Ovid. ad Pisonem*

Est mihi, crede, meis animus constantior annis,
Quamvis nunc juvenile decus mihi pingere malas
Cœperit.

Juvenilis ætas non est inutiliter terenda.

*Tibullus lib. 1 eleg 4.*

At si tardus eris, errabis, transiet ætas,
Quam cito non segnis stat remeatque dies,
Quam cito purpureos deperdit terra colores,
Quam cito formosus populus alta comas,
Quam jacet infirmæ, venere ubi fata senectæ,
Qui prior Elæo est, carcere missus equus.
Vidi jam juvenem, premeret quum serior ætas,
Mœrentem stultos præteriisse dies.

Juvenilis ætas valentior atque uberior est aliis.

*Ovid. lib. 15 Metamorph.*

Fitque valens juvenis: Neque enim robustior ætas
Ulla, nec uberior, nec quæ magis ardeat ulla.

Juvenes in officio retinendi sunt.

*Plautus in Bacchid.*

Cura, & castiga hominem probè
Qui dedecorat te, me, amicos atque alios flagitiis suis.

*Mant. contr. Impud.*

Est opus ardentem frenis arcere juventam,
Nec finere in mores luxuriare malos.

Juvenes compti fugiendi sunt.

*Seneca in Octavia.*

Regenda magis fervida adolescentia.

Juvenes compti fugiendi sunt.

*Ovid ep. Heroid.*

Sint procul à nobis juvenes, ut fœmina, compti,
Fine coli modico forma virilis amat.

*Seneca in Thyeste.*

Juvenes in malum maxime proclives sunt.

Pejora juvenes facile præcepta audiunt.

Juvenes lætitia decet, senes vero severitas.

*Seneca, in Hippolyto.*

-Propria describit Deus
Officia & ævum per suos ducit gradus.
Lætitia juvenem, frons decet tristis senem.

Juvenes sanctos, id est, virtute claros, atque pios fata sordida haud attingunt.

*Vergil in Ætna.*

Nec sanctos juvenes attingunt sordida fata,
Sed juri cessere domus & jura piorum.

Juvenile vitium est impetum animi regere non posse.

*Seneca in Troade.*

Juvenile vitium est, regere non posse impetum.

Juvenum mores seu proprietates quæ sint.

*Horat. in Arte Poetica.*

Imberbis juvenis tandem custode remoto
Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque & amara relinquere pernix.

*Terentius in Andria.*

--Ita est,
Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Ut animum ad aliquod studium jungant: aut equos alere,
Aut canes ad venandum, aut ad Philosopos.

Juvenibus assentatio parentum, aut propinquorum non parum nocet.

*Plautus in Bacchid.*

Hei mihi, hei mihi, isthæc illum perdidit assentatio:
Nam absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium

ingenium bonum:
Nunc propter te, tuamque pravus factu'st fiduciam.

Juvenilis ardor primo impetu furit, ac citissime evanescit.

*Seneca in Octavia.*

Juvenilis ardor impetu primo furit:
Languescit idem facile; nec durat diu
In venere turpi, ceu levis flammæ vapor.



L.

## DE LABORE.

Laboribus vacandum est, dum anni, tempus, viresque sinunt.

*Ovid lib. 2. de Arte amandi.*

Dum vires annique sinunt tolerate labores,
Jam veniet tacito curva senecta pede.
Aut mare navigiis, aut vomere scindite terram,
Aut fera belligeras addite in arma manus.

*Idem lib 3. de Arte amandi.*

Venturæ memores jam nunc estote senectæ,
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Dum licet & veros etiam nunc editis annos,
Discite, eunt anni more fluentis aquæ.

*Titus Calphurnius Eclog 5.*

-- Jam certe potes insudare labori,
Jam pro megnavam potes exercere juventam.

*Tibullus Eglog 8 lib. 1.*

Attu, dum primi floret tibi temporis ætas;
Utere, nam tarde labitur illa pede.

Labor vires non superet.

*Cat. lib. 3.*

Quod potes id tentes, operis nec pondere pressus
Succumbat labor: & frustra tentata relinquas.

Laboris impatiens ad virtutis culmen non ascendet, fructusque ejus haud capiet moraliter.

*Claudianus in Nupt. Honorii.*

Non quisquam fruitur veris odoribus,

Hyblæos



Hyblæos latebris, nec ſpoliat favos,
Si fronti caveat, ſi timeat rubos.
Armat ſpina roſas, mella tegunt apes.

Labores quibus Hercules cœlum meruiſſe dicitur.

*Boetius metro 7. lib. 8.*

Herculem duri celebrant labores;
Ille Centauros domuit ſuperbos,
Abſtulit ſævo ſpolium leoni,
Fixit & certis volucres ſagittis,
Poma cernenti rapuit draconi,
Aureo læva gravior metallo
Cerberum extraxit triplici catena.
Victor immitem poſuiſſe fertur
Pabulum ſævis dominum quadrigis.
Hydra combuſto periit veneno.
Fronte turbatus Achelous amnis
Ora dimerſit pudibunda ripis.
Stravit Antæum Libycis arenis.
Cacus Evandri ſatiavit iras.
Quóſque preſſurus foret altus orbis,
Setiger ſpumis humeros notavit.
Ultimus cœlum labor irreflexo
Suſtulit collo, pretiúmque rurſus
Ultimi cœlum meruit laboris.
Ite nunc fortes ubi celſa magni
Ducit exempli via.

Laboris continui intimatio perpulchra.

*Horatii lib Epod ad Canidiam.*

Nullum à labore me reclinat otium.
Urget diem nox, & dies noctem, neque eſt
Levare tenta ſpiritus præcordia.

Labor continuus res fortiſſimas debilitat, atque corrumpit, ſenectamque præmaturam inducit.

*Ovid lib. 1. de Ponto.*

Confiteor facere hoc annos, ſed & altera cauſa eſt,
Anxietas animi, continuuſque labor.
Cernis ut in duris (& quid bove firmius?) arvis
Fortia taurorum corpora frangat opus.
Quæ nunquam vacuo ſolita eſt ceſſare novali,
Fructibus aſſiduis laſſa ſeneſcit humus.
Occidet, ad circi ſi quis certamina ſemper

Non

Non intermissis cursibus ibit equus.
Firma sit illa licet, solvetur in æqore navis,
Quæ nunquam liquidis sicca carebit aquis,
Me quoque debilitat series immensa laborum,
Ante meum tempus cogit & esse senem,
Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis:
Immodicus contra carpit utrumque labor.

A labore quandoque cessandum, moraliter.

*Vergil.* 3. *Eclog.*

Claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt.

*Seneca in* Herc. *furen.*

Post multa virtus opera laxari solet.

Labor assiduus vincit omnia, atque investigat.

*Vergil. lib.* 1. *Georg.*

—Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egestas.

*Terentius in Heauton.*

Nihil tam difficile est, quin inquirendo investigari possit.

Labor fit dulcis mercede.

*Ovid* 6. *Fast.*

Fit dulcis mercede labor.

*Pamphil.*

Cum mercede labor gratior esse solet.

---

## DE LACRYMIS.

Lacrymis dolor egeritur atque levatur.

*Ovid. lib.* 4. *de Tristib.*

Fleque meos casus: est quædam flere voluptas,
Expletur lacrymis, egeriturque dolor.

*Seneca in Troade.*

—Arbitrio tuo
Implere lacrymis, fletus ærumnas levat.

Lacrymæ interdum pondus verborum habent.

*Ovid. lib.* 3. *de Ponto.*

Nec tua si fletu scindentur verba, nocebit.
Interdum lacrymæ pondera vocis habent.

Amici mortui deflendi non sunt: quia lacrymis ad vitam revocari non possunt.

*Ovid.*

*Ovid. Epist. ad Liviam consol.*

Supprime jam lacrymas, non est revocabilis istis,
Quem semel umbrifera navita lintre tulit:
Sed rigidum jus est, & inevitabile mortis.

*Propert lib. 4. eleg. ad Paulum.*

Desine, Paule, meum lacrymis urgere sepulchrum;
Panditur ad nullas janua nigra preces:
Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viæ.
Te licet orantem fusca deus audiat aulâ,
Nempe tuas lacrymas littora surda bibent.

Lacrymæ ex maxima sepe lætitia prosiliunt.

*Plautus in Stycho.*

—Ego te nunc conspicio libens,
Ut præ lætitia lacrymæ præsiliunt mihi.

*Terentius in Adelph.*

Homini illico lacrymæ cadunt, quasi puero, præ gaudio.

Lacrymæ misericordiam sæpissime impetrant.

*Ovid. lib 1. de Arte amand.*

Et lacrymæ prosunt, lacrymis adamanta movebis.

*Ibid. lib 1. de Ponto.*

Quodque facis lacrymis opus est, non sanguine dixit,
Sæpe per has flecti Principis ira solet.

Lacrymas puellarum arma esse.

*Ovid. lib. 4. Metamorph. his verbis innuit.*

Lumina, quod potuit, lacrymis implevit obortis.

*Cat. lib. 3.*

--Lacrymis struit insidias dum fœmina plorat.

---

## DE LAUDE

Laus vera bonis ac doctis post obitum obtingit.

*Propertius eleg. 1. lib. 3.*

Omnia post obitum fingit majora vetustas,
Majus ab exequiis nomen in ora venit.

Laudandi præsentes, cur non sint.

*Terentius in Adelphis.*

Ah vereor coram in os te laudare amplius,

Ne

Ne id assentari magis, quam quod habeam gratum, facere existimes.

Laudibus alienis non accedendum est, sed quisque seipso examen suscipiat, verum sit, nec ne quod aliis audit.

*Persius satyra 1.*

—Non si quid turbida Roma
Elevet accedas, examemque improbum in illa
Castiges trutina, nec te quæsieris extra.

*Idem satyr. 4.*

Respue quod non es, tollat sua munera, cerdo.
Tecum habita, & noris quam sit tibi curta supellex.

Laudari magis animo quam voce vult, ille qui veri favoris gloriam quærit.

*Seneca in Thyeste.*

At qui favoris gloriam veri petit,
Animo laudari magis, quam voce volet.

Laus vera etiam humili viro contingit.

*Seneca in Thyeste.*

Laus vera humili sæpe contingit viro.

Laudari appetunt omnes, quod reprehensibile non nisi finem recti in laudibus collocet.

*Ovid lib. 1. de Arte amandi.*

Laudatas ostendit avis Junonia pennas,
Si tacitus spectes, illa recondit opes.
Quadrupedes inter rapidi certamina cursus,
Depexæque jubæ plausaque colla juvant.

*Idem de faciei medicamine.*

Laudatas homini volucris Junonia pennas
Explicat, & forma multa superbit avis.

*Juvenalis 10 satyra.*

Bellorum exuviæ truncis affixa trophæis,
Lorica, & fracta de casside buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis
Aplustre, & summo tristis captivus in arcu,
Humanis majora bonis creduntur: ad hæc se
Romanus, Graiusque & Barbarus induperator
Erexit, ansas discriminis atque laboris
Inde habuit: tanto major famæ sitis est, quam
Virtutis.

*Persius satyra 1.*

—Us

--Usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, & dicier, hic est.

*Ibidem.*

--Rides, ait, & nimis uncis
Naribus indulges, an erit qui velle recuset
Os populi meruisse, & cedro digna loquutus,
Linquere?

*Et sequitur.*

Non ego quum scribo, si forte quid aptius exit,
Quando hæc rara avis est: si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra est,
Sed recti finemque, extremumque esse recuso.

Parce laudabimus aliquem, ne postea illius peccata nobis pudorem incutiant.

*Horat. lib. epist. 1. ad Lollium.*

Qualem commendes etiam atque etiam aspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, & quondam non dignum tradimus. Ergo
Quem sua culpa premit deceptus, omitte tueri.

Laudare seipsum potest quis, duplici de causa, & primo ad audientium ædificationem, secundo ad sui ipsius defensionem purgationemque, ut Ulisses.

*Ovid. lib. 13. Metamorph.*

Ego operum, quoniam nudum certamen habetur,
Plura quidem feci, quam quæ comprendere dictis
In promptu mihi sit, *&c.*

Laudare sua, & aliena vituperare nemo debet.

*Horat. lib. 1. epist. ad Lollium.*

Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes.

Sua unusquisque laudat.

*Ovid. lib. 2. Fastor.*

Quisque suam (*scilicet uxorem*) laudat, studiis certamina crescunt.

*Idem lib. 3. de Ponto.*

Ipse ego librorum video delicta meorum,
Quum sua plus justo carmina quisque probet.
Auctor opus laudat, si forsitan Accius olim

Thersiten, facie dixeret esse bona.

*Valer. Flac. lib. 5. Argonaut.*

Auctor ut est rerum cunctis tutela suarum.
Laudum cupidus de se credit omnia.

*Juvenalis satyra. 4.*

—Nihil est quod credere de se
Non possit, quum laudatur diis æqua potestas.

Laus propria sordet.

*Plautus in Epidico.*

Nam strenuiori deterior si prædicat suas pugnas, de illius ore fiunt sordidæ.

*Cat. lib. 2.*

Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse;
Hoc faciunt Stulti quos gloria vexat.

*Owen.*

Narrent de te alii, proprio sordescit in ore
Gloria, si taceas, plus tibi laudis erit.

Laus ad clementiam inducens lepidissimam.

*Ovid, lib. 9. Metamorph.*

—Neque est de tigride natus,
Nec rigidos silices, solidumve in pectore ferrum,
Aut adamanta gerit, nec lac bibit, ille leænæ:
Vincetur, repetendus erit, nec tædia cœpti
Ulla mei capiam dum spiritus iste manebit.

Laus Homeri illustris

*Sillius Italic. lib. 13. bel. Pun.*

—Meruit Deus esse videri,
Et fuit in tanto non parvum pectore numen,
Carmine complexus terram, mare, sydera, manes
Et cantu Musas, & Phœbum æquavit honore.

*Manillius lib. 2. Astrono.*

Maximus Illiacæ gentis certamina vates
Ore sacro cecinit, patriam & sua jura petentem
Dum dabat, eripuit: cujusque ex ore profuso
Omnis posteritas latices in carmina duxit,
Amnemque in tenues ausa est deducere rivos
Unius fœcundia bonis.

Salustii laus summa.

*Martial, in Apophoretis.*

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romana Crispus in historia.

Philomelæ laus.

*Ovid. lib. 2. de Philomela.*

Dulcis amica veni noctis solatia præstans:
Inter aves etenim nulla tibi similis.
Tu, Philomela, potes vocum discrimina mille,
Mille potes varios ipsa referre modos.
Nam quamvis aliæ volucres modulamina tentent,
Nulla potest modulis æquivalere tuis,
Insuper est avium spatiis garrire diurnis,
Tu cantare simul nocte dieque potes.

*Ibidem.*

Scribere me voces avium Philomela coegit,
Quæ cantu cunctas exuperat volucres.

# LECTIO.

## Lectionis utilitas.

*Horatius lib. 1. epist. ad Lollium.*

Inter cuncta leges, & percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter ævum,
Ne te semper inops agitet, vexetque cupido,
Ne pavor & rerum mediocriter utilium spes:
Virtutem doctrina paret, naturane donet,
Quid minuat curas, qui te tibi reddat amicum,
Quid pure tranquillet, honos, an dulce lucellum,
An secretum iter, & fallentis semita vitæ.

*Claudianus de 4. Honorii Aug. Cons.*

Interea musis animus dum mollior instet,
Et quæ mox imitere legas, nec desinat unquam,
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos evolve duces, assuesce futuræ
Militiæ Latium retro te confer in ævum.
Libertas quæsita placet, mirabere Brutum.
Perfidiam damnas, Metii satiabere pœnis.
Triste rigor nimius, Torquati despue mores.
Mors impensa bonum, Decios venerare ruentes.
Vel solus quid fortis agat, te ponte soluto
Oppositus Cochles, Mutii te flamma docebit.
Quid mora perfringat, Fabius, quid rebus in arctis
Dux gerat, ostendet Gallorum strage Camillus.
Discitur hinc, nullos meritis obsistere casus.
Prorogat æternam feritas tibi Punica famam,
Regule, successus superant adversa Catonis.

Discitur hinc quantum paupertas sobria possit,
Pauper erat Curius reges quum vinceret armis,
Pauper Fabricius Pyrrhi quum sperneret aurum,
Sordida Serranus flexit dictator aratra,
Lustratæ lictore casæ, fascesque salignis
Postibus affixit collectæ consule messes
Et sulcata diu trabeato rura colono.

Quid, & quomodo legendum.

*Ausonius in Protreptico.*

Perlege quodcúnque est memorabile, prima monebo.
Conditor Iliados, & amabilis orsa Menandri
Evolvenda tibi, tu flexu & acumine vocis
Innumeros numeros doctis accentibus effer,
Affectusque impone legens, distinctio sensum
Auget, & ignavis dant intervalla vigorem.
Et quando ista meæ contingent dona senectæ?
Quando oblita mihi tot carmina, totque per ævum
Connexa? historiæ soccos, aulæaque regum,
Et melicos litycósque modos præfando novabis?
Obductosque seni facies puerascere sensus?
Te præeunte nepos modulata poemata, Flacci,
Altisonúmque iterum fas est didicisse Maronem.
Tu quoque qui Latium lecto sermone Terenti
Comis & astricto percurris pulpita socco,
Ad nova vix memorem diverbia coge senectam.

Non esse legendas fabulas.

*Martial. lib. 10. Epigram.*

Qui legis Oedipoden, caligantémque Thyestem;
Colchidas, & Scyllas, quid nisi monstra legis?
Quid te vana juvant miseræ ludibria chartæ?
Hoc lege, quod possis dicere jure, meum est.

## DE LEGIBUS.

Legem statuens legè se subjicere debet.

*Ausonius in Pittaci sententiis.*

Pareto legi quisquis legem sanxeris.

*Sidon. carm. 5.*

Tum cætera paret
Turba libens servit propriis cum legibus autor.

Leges latæ sunt, ne fortes debiliores opprimerent.

*Ovid. lib. 3. Faster.*

Inde

Inde latæ leges, ne fortior omnia posset:
Cœptáque sunt pure tradita sacra coli.

Leges sine moribus vanæ sunt, & nihil proficiunt.

*Horatius Oda 24. lib. 3.*

Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt? si neque fervidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec boreæ finitimum latus,
Durætaque solo nives
Mercatorem abigunt, horrida callidi
Vincunt æquora navitæ?

Legum & juris peritus ad judicium præstandum idoneus erit.

*Plautus in Epidico.*

PE. Quem hominem invenimus ad eam rem utile?
APO. hic erit optimus,
Hic poterit cavere recte, jura qui & leges tenet.

Legibus quod est sancitum rescindi non debet, necnon incœpisse turpe fuit.

*Terentius in Phormione.*

Mihi non videtur, quod sit factum legibus
Rescindi posse, & turpe incœptum est.

Ibi leges nihil possunt, ubi pecunia regnat.

*Petronius Arbiter satyricus.*

Quid faciant leges ubi sola pecunia regnat?
Aut ubi paupertas vincere nulla potest?

*Leges ex malis moribus incrementa sumunt.*

Quæris quid crescant numerosa volumina legum!
Est ratio, crescit magnus in orbe dolus.

*Guill. phil. lib. 6.*

Mala dum crescunt, crescit cautela malorum
Munimenque novum contra nova tela repertum est.

Leges à malis moribus in potestatem redactæ sunt, parietibusque adfixæ, ubi illos adfigi æquius fuerat.

*Plautus in Trinummo*

Mores leges perduxerunt jam in potestatem suam.

*Et sequitur.*

—Eæ miseræ etiam
Ad parietem sunt fixæ clavis ferreis, ubi malos mores
Adfigi nimio fuerat æquius.

Leges

Leges nullo discrimine pereunt.
*Lucan. lib. 3. bel. civil.*
-Pereunt discrimine nullo
Amissæ leges: sed pars vilissima rerum
Certamen movistis opes.

# DE LÆTITIA.

Lætitiæ maximæ intimatio.
*Statius lib. 2. Sylvarum.*
Securæ procul hinc abite mortes,
Hæc vitæ genialis est origo.
Cedat luctus atrox genisque manent
Jam dulces lacrymæ, dolorque fessus.
Quicquid fleverat ante, nunc adoret.
*Idem lib 5. Sylva.*
Qualem te superi, Priscilla, hominesque benigno
Aspexere die, quum primum ingentibus actis
Admotus conjux, vicisti gaudia cœnæ.
Læti ut vivant homines admonitio lepidissima.
*Seneca in Hercule furente*
—Dum fata sinunt
Vivite læti, properat cursu
Vita citato, volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni.
Duræ peragunt pensa sorores,
Nec sua retro fila revolvunt,
At gens hominum fertur rapidis
Obvia fatis, incerta sui,
Stygias ultro quærimus undas.
*Ovid. lib. 1. de Arte amandi.*
Si vox est, canta, si mollia brachia, salta,
Et quacumque potes dote placere, place.
*Idem lib. 2. de Arte amandi.*
Qui sermone placet, taciturna silentia vitet.
Qui canit, arte canat, qui bibit, arte bibat.
Lætis (id est prosperis) rebus modus ponendus est.
*Statius lib. 2.* Theb.
Pone modum lætis, satis ostro dives & auro
Conspicuus, tenuem germani pauperis annum
Resisti, moneo regnorum gaudia temet

Dedoceas, patiensque fuge mercare reverti.

## DE LIBERALITATE.

Liberalitas immortalem hominem reddit: quia ejus fructus, scilicet fama, remanet tantum.

*Horatius Oda 2. lib. 2.*

Vivet extento Proculeius ævo,
Notus in fratres animi paterni,
Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.

*Idem Oda 7. lib. 4.*

Cuncta manus avidas fugient hæredis amico
Quæ dederis animo.

*Martialis lib. 5. Epigram.*

Extra fortunam est quicquid donatur amicis,
Quas dederis solas semper habebis opes.

*Idem lib 8. Epigram.*

Qui donas, facies ipse Blesianum.
Hoc longum tibi vita dum manebit,
Hoc & post cineres erit tributum.

Liberalitatis maximæ intimatio est.

*Vergil. 11. Æneid.*

Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.

*Ovid. lib 3. Fasto.*

Quid moror, & variis onero tua pectora causis?
Eminet ante oculos, quod petis, ecce tuos.

*Claud. in Panegyr. Prob. Probi.*

Hinc non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes, sed largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut denso currentia munera nimbo,
Cernere semper erat populis undare penates,
Assiduos intrare inopes, remeare beatos.
Præceps illa manus fluvios superabat Iberos
Aurea dona vomens.

*Idem lib. 1. in Eutrop.*

Nil negat & sese vel non poscentibus offer.

DE

## DE LIBERTATE.

Libertas nulla gratior est, quam sub rege pio.

*Claudianus 3. lib. in Stiliconis laudes.*

Fallitur, egregio quisquis sub principe credit
Servitium; nunquam libertas gratior extat,
Quam sub rege pio.

Libertas operandi quidvis, plurimorum malorum caussa est, præcipue adolescentibus.

*Statius lib. 8. Sylvarum.*

Quem non corrumpit pubes effræna, novæque
Libertas properata togæ? ceu nescia falcis
Sylva comas tollit, fluctumque expirat in umbras.

Liberi naturaliter sunt homines libentius, quam servi.

*Plautus in captivis.*

Omnes profecto liberi libentius
Sumus, quam servimus.

Liber captivus avi pene similis est.

*Plautus in captivis.*

Liber captivus avi fere similis est.
Semel fugiendi si data est occasio
Satis est; nunquam post illum possit prendere.

Liber quis vere sit.

*Horat. satyra 7. lib. 2.*

Quisnam igitur liber? Sapiens, sibique imperiosus,
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent:
Responsare cupidinibus, contemnere honores,
Fortis, & in seipso totus teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leve morari,
In quem manca ruit semper fortuna.

## DE LIBIDINE.

Libido, scilicet dominandi vel carnis, sanctos, id est, virtute præditos, sæpe vicit.

*Seneca in Hipolyto.*

Vincit sanctos dira libido.

Libido in vetita irruit.

*Claud. lib. 2 in Eutrop.*

Sed quia cæcus inest vitiis amor, omne futurum
Despicitur, suademque brevem præsentia fructum,
Et ruit in vetitum damni secura libido.

Libidini homo naturaliter deditus est.

*Terentius in Andria.*

—Ingenium est omnium
Hominum a labore proclive ad libidinem.

Libido fugiendo fugatur.

*Pau. Hon.*

Hunc fugiendo fuga, quem fuga sola fugat.

*Pamphil.*

—Lignis crescit crescentibus ignis:
Detrahe ligna foco protinus ignis abest.

## DE LICENTIA.

Licentiam refrænare debet, qui civium rabiem sedare, & pater patriæ inscribi cupit.

*Horat. Oda 24. lib. 3.*

O quisquis volet impias
Cædes aut rabiem tollere civicam:
Si quæret pater urbium
Subscribit statuis, indomitam audeat
Refrænare licentiam.

Licentia omnes deteriores reddit, præcipue tamen adolescentes.

*Terentius in Heauton.*

Nam deteriores omnes sumus licentia.
Quodcumque inciderit in mentem volet, neque id
Putabit pravum an rectum siet quod petet,
Tu rem perire, & ipsum non poteris pati,
Dare, denegaris, ibit ad illum illico,
Quo maxime apud te valere sentiet,
Abiturum se abs te esse illico minabitur.

*Idem in Adelphis.*

—Verum nimia illa licentia
Profecto evadet in aliquod magnum malum.

*Juvenalis 14. satyra*

Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
Permittas, adeo indulgent sibi latius ipsi.

*Claud. de 4. Honorii consul.*

—Proclivior usus

In pejora datur, suadetque licentia luxum,
Illecebrisque effrena favet: tunc vivere caste
Asperius, quum prompta Venus: tum durius iræ
Consulimus, quum pœna patet.

## DE LICITIS.

Licita ingrata sunt atque contemnuntur, illicita vero & vetita e contra appetuntur.

*Ovid. lib. 2. Eleg.*

Quod licet, ingratum est: quod non licet, acrius urit.

*Idem lib. 3.*

Cui peccare licet peccat minus, ipsa potestas
Semina nequitiæ languidiora facit.
Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata:
Sic interdictis imminet æger aquis.

Non omnia quæ licent perpetranda sunt, sed quæ decent. Nam quæ decent facere laus est, non autem quæ licent.

*Seneca in Octavia.*

Id facere laus est quod decet, non quod licet.

*Claud. de 4. Honorii Consul.*

—Sed comprime motus,
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

*Plura de his quæras infra in tit. de Vetitis.*

## DE LINGUA.

Lingua interpres est animi.

*Horatius de Arte Poetica.*

Post adfert animi motus interprete lingua.

Lingua non semper profert ea quæ sunt in mente, hoc est, lingua non semper animi interpres est

*Ovid. lib. 2. de. Tristib.*

Crede mihi, distant mores à carmine nostro,
Vita veracunda est, musa jocosa mea est:
Nec liber indicium est animi, sed honesta voluntas
Plurima mulcendis auribus apta refert.
Accius esset atrox, conviva Terentius esset:
Essent pugnaces qui fera bella canunt.

Omne

Omne genus ſcripti gravitate Tragœdia vincit,
Hæc quoque materiam ſemper amoris habet.
*Martial. lib. 1. Epigram.*
Innocuos cenſura poteſt permittere luxus,
Laſciva eſt nobis pagina, vita proba eſt.
Lingua quandoque quieſcere debet.
*Anch Mon.*
Lingua ſuos habeat frænos in corde ligatos.
Linguam habere venalem, præſertim in judicio turpe eſt.
*Ovid. lib. 1. eleg.*
Turpe reos empta miſeros defendere lingua,
Quod faciat magnas turpe tribunal opes.
Lingua eſt peſſima pars in malo homine.
*Juvenalis. ſatyra. 9*
Vivendum eſt recte quum propter plurima, tum his
Præcipue cauſis, ut linguas mancipiorum
Contemnas. Nam lingua mali pars peſſima ſervi.

## DE LOCO.

In loco deſipere dulce eſt.
*Horat. Oda. 12. lib. 4.*
Miſce ſtultitiam conſiliis brevem,
Dulce eſt deſipere in loco.
*Ovidius ad Piſonem.*
Temporibus ſervire decet: qui tempora certis
Ponderibus penſavit, eum ſi bella vocabunt,
Miles erit, ſi pax, poſitis toga geſtiet armis.
Hunc fora pacatum, bellantem caſtra docebunt.
*Idem lib 1. de Arte amandi.*
Si vox eſt, canta: ſi mollia brachia, ſalta,
Et quacunque potes dote placere, place.
Locus & res ſæpe conſilium in rebus dubiis dare ſolent.
*Ovid. lib. 1 de Triſtib.*
Difficile eſt tamen hic remis utaris, an aura
Dicere, conſilium reſque locuſque dabunt.
Loco ſuo apte collocanda ſunt ea, de quibus nobis erit dicendum.
*Horatius de Arte Poetica.*

Singula quæque locum teneant sortita decenter.

## DE LOQUACITATE.

Omnes mulieres loquaces habentur.

*Plautus in Asinaria.*

Nam multum loquaces merito habemur omnes,
Nec mutam profecto repertam ullam esse
Hodie dicunt mulierem illo in seculo.

Loqui tacenda laudabile non est:

*Ovid. lib. 2. de Arte amandi.*

Eximia est virtus præstare silentia rebus:
At contra gravis est culpa, tacenda loqui.

Loquacitas nocet plurimum.

*Horat. lib. 1. epist ad Sævam.*

Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus: invidiæque.

*Ovid. lib. 2. Eleg.*

Quærit aquas in aquis, & poma fugantia captat
Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.

*Owen.*

Vis sapiens dici raro & meditata loquare:
Sæpe loquax verbis proditur ipse suis.

*Ausonius ad Paul.*

—Ut diversa sibi vicinaque culpa est,
Multa loquens, & cuncta silens.

Loquax & garrulus est omnis, qui multa percontatur.

*Horat. lib 1. epist. ad Lollium.*

Percontatorem fugito: Nam garrulus idem est.

## DE LUCRO.

Lucri amorem ut deponant cupidi, saltem exigui mortis memoria, exhortatio pia.

*Horat. Oda. 12. lib. 4.*

Verum pone moras, & studium lucri,
Nigrorumque memor dum licet ignium.

Lucrandi caussa ad quæque pericula se homines exponunt.

*Tibullus eleg. 9. lib. 1.*

Lucra petens habili tauros adjungit aratro,

Et

Et durum terræ rusticus urget opus.
Lucra petituros freta perque patentia ventis
Ducunt instabiles sidera certa rates.

Lucrandi caussa rem divinam cupidi deserunt.

*Plautus in Pseudulo.*

Si lucri quid detur, potius rem divinam deseram.

Lucrum maximum est interdum, pecuniam in loco negligere

*Terentius in Adelphis.*

Pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrum.

*Ovid. lib. 2. de Remed. Amoris.*

Munera, quæ dederas, habeat sine lite jubeto:
Esse solent magno damna minora bono.

Lucrum omne utile homini non est.

*Plautus in Captivis.*

Non ego omnino lucrum omne esse utile homini existimo.

Scio ego, multos jam lucrum luculentos homines reddidit.

Est etiam ubi profecto damnum præstat facere, quam lucrum.

Odi ego aurum, multa multis sæpi suasit perperam.

Lucri odor cupido bonus est, etiam ex qualibet re.

Sententia Vespasiani est Imperatoris, quam *Juvenal. satyra 14. ponit.*

Nec credas ponendum aliquid discriminis inter
Unguenta, & corium. Lucri bonus est odor ex re
Qualibet.

Lucrum maximum pascere egenos.

*Owen.*

Nullum majus erit lucrum quam pascere egenos
Fœnore nam grandi centupla dona feres.

---

## DE LUDO.

Ludus multorum malorum causa est.

*Horat. lib. 1. epist. ad Mœcenat.*

Ludus enim genuit trepidum certamen & iram,
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

*Ovid. lib. 1. de Arte amand.*

Sic ne perdiderit non cessat perdere lusor,

Et revocat cupidas alea sæpe manus.

*Idem lib. 2. Trist.*

Ludi quoque semina præbent
Nequitiæ
In ludo pectora nostra patent.

*Ovid lib 3. de Arte amandi*

Tunc sumus incauti, studioque aperimur ab ipso,
Nudaque per lusus pectora nostra patent.
Ira subit deforme malum, lucrique cupido,
Jurgiaque & rixæ, sollicitusque dolor.
Crimina dicuntur, resonat clamoribus æther,
Invocat iratos & sibi quisque deos.
Nulla fides tabulis, quæ non per vota petuntur,
Et lacrymis vidi sæpe madere genas.

Ludus est malus illis, qui crudo sunt stomacho.

*Horat satyra. 5 lib 1.*

Lusum it Mæcenas, dormitum ego, Vergiliusque,
Namque pila lippis inimicum, & ludere crudis.

---

## DE LUXURIA.

Luxuria orbis victrix rapit opes, ut iterum turpit[...] perdat.

*Seneca in Octavia*

Turpis libido dominatur (*f. nunc*) potens Venere.
Luxuria victrix orbis immensas opes
Jampridem avaris manibus, ut perdat, rapit.

Luxuria malum prædulce, ac pestis blanda dicitur, [...] quod homines caligine non parva hebetat atque effœminat.

*Claud. lib. 2. in Stilic. laudes.*

-Nec te jucunda fronte fefellit.
Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis, hebetat caligine sensus,
Membráque Circæis effœminat acrius herbis.
Blanda quidem vultu, sed quâ non tetrior ulla
Interius fucata genas, & amicta dolosis
Illecebris, torvos auro circumligat hydros.
Illa voluptatum multos innexuit hamis,

*Seneca in Octavia.*

Totum per orbem maximum exortum est malum
Luxuria, pestis blanda, cui dedit vires

Roburq[...]

Roburque longum tempus, atque error gravis.

Luxuria oritur maxime ex nimia rerum copia, otio, seu prosperitate, quæ innumerorum malorum caussa est, licet per accidens.

*Horat. lib. Epodon.*

Alteria jam teritur bellis civilibus ætas,
Suis & ipsa Roma viribus ruit:
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Hetrusca Porsenæ manus.
Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Novisque rebus infidelis Allobrox,
Nec fera cerulea domuit Germania pube,
Parentibusque abominatus Hannibal,
Impia perdemus devoti sanguinis ætas,
Ferisque rursus occupabitur solum.

*Juvenal satyra. 6.*

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil
Quum virides gemmas collo circundedit, & quum
Auribus extensis magnos committit elenchos.

*Lucanus lib. 1. bel. civil.*

Namque ut opes nimias mundo fortuna subacto
Intulit, & rebus mores cessere secundis,
Prædáque & hostiles luxum suasere rapinæ,
Non auro, rectisve modus, mensasque priores
Aspernata fames, cultus gestare decoros
Vix nuribus, rapuere mares fœcunda virorum,
Paupertas fugitur : toto accersitur in orbe
Quo gens quæque perit.

*Seneca in Hippolyto.*

Quisquis secundis rebus exultat nimis,
Fluitque luxu, semper insolida appetens,
Hunc illum magnæ dira fortunæ comes
Subit libido : non placens suetæ dapes,
Non tecta, sani mores aut vilis cibus.
Cur in penates rarius tenuis subit
Hæc delicatas eligens pestis domos ?
Cur sancta parvis habitat in tectis Venus ?
Mediamque sanos vulgus affectus tenet.
Et se coercent modica ? contra divites,
Regnoque fulti, plura quam fas est, petunt ?
Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.

*Ibidem.*

Rupere fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps, quæque succensas agit
Libido mentes, venit imperii sitis
Cruenta factus præda majori minor
Pro jure vires esse.

*Silius Italicus lib. 15. bel Pun.*

--Inde aspice late
Florentes quondam luxus quas verterit urbes,
Quippe nec ira deum tantum, nec tela, nec hostes;
Quantum sola noces animis illapsa voluptas.

*Propert. lib. 3. eleg.*

Proloquar, atque utinam patriæ sim verus aruspex,
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.

*Claud. lib. 1. in Stilic. Laudes.*

——Nam cætera regna
Luxuries vitiis, odiisque superbia vertit.
Sic male sublimes fregit Spartanus Athenas,
Atque idem Thebis cecidit. Sic Medus ademit
Assyrio, Medoque tulit moderamina Perses,
Subjecit Persen Macedo cessurus & ipse
Romanis, hæc auguriis firmata Sibyllæ.

*Idem lib. 3. de rapt. Proserp.*

——Sed quod dissuasor honesti
Luxus, & humanas oblimat copia mentes,
Provocet ut segnes animos.

Luxuria à toris mœstis abesse solet.

*Ovid. lib 1. de Ponto.*

Nec vires adimit Veneris damnosa voluptas.
Non solet in mœstos illa venire thoros.

Luxuriæ deditus in Juventute qui fuit, in senectute, ægritudineve positus, vitam odit.

*Persius satyr. 5.*

Hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille
In Venerem putris: sed quum lapidosa chiragra
Fregerit articulos veteris ramalia fagi,
Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi jam sere vitam ingemuere relictam.

Luxuria, cùm omni ætati est turpis, tum senectuti fœdissima est.

*Ovid. lib. 1. eleg. sive amo.*

Quæ bello est habilis, Veneri quoque convenit ætas:
Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Luxu-

Luxuriæ detestatio notabilis, quæ in homine major quam in brutis esse dicitur.

*Seneca in* Hippol.

—O tetrum genus.
Non ulla vinctum lege melioris soli.
Feræ quoque ipsæ Veneris evitant nefas,
Generisque leges inscius servat pudor.

*Ovid lib. 9. Metamorph. Sodomiticum vitium his verbis adumbrat.*

Nec vaccam vaccæ, nec equas urit amor equarum,
Urit oves aries, sequitur sua fœmina taurum.
Sic & aves coeunt, interque animalia cuncta
Fœmina fœmineo correpta cupidine nulla est.

Luxuria male audit.

*Cat. lib. 2.*

Luxuriam fugito, simul & vitare memento
Crimen avaritiæ: nam sunt contraria famæ.



M

## DE MALITIA.

Malitia atque impietas hominum maxime crevit.

*Ovid. lib. 3 de Tristib.*

Sive locum specto, locus est inamabilis, & quo
Esse potest toto tristius orbe nihil.
Sive homines, vix sunt homines hoc nomine digni,
Quamque lupi sævæ plus feritatis habent.
Non metuunt leges, sed cedit viribus æquum,
Victaque pugnaci jura sub ense jacent.

*Juvenalis satyra. 1.*

Nil erit ulterius quod nostris moribus addat
Posteritas, eadem capient facientque minores:
Omne in præcipiti vitium stetit.

*Seneca in* Hippol.

Invenit artes bellicus Mavors novas,
Et mille formas mortis, hinc terras cruor
Infecit omnes fusus, & rubuit mare.
Tunc scelera dempto fine per cunctas domos
Iere, nullum caruit exemplo nefas.

A fratre, frater, dextera nati parens
Cecidit, maritus conjugis ferro jacet,
Perimuntque fœtus impiæ matres suos,
Taceo novercas: mitius nil est feris.

*Idem in Octavia.*

Sed in parentis viscera intravit suæ
Deterior ætas, eruit ferrum grave,
Aurumque, sævas mox & armavit manus,
Partita fines regna constituit, novas
Extrux t urbes, tecta defendit suis
Ali na telis, aut petit, prædæ imminens.

*Plautus in Bacchidibus.*

——Ædepol
Næ tu illorum mores perquam meditate tenes, sed etiam.
Unum hoc, ex ingenio malo malum inveniunt suo:
Nulli amici sunt, inimicos ipsi in se omnes habent,
Atque se quum frustrantur, frustrari alios stolidi existimant.

*Plautus in Trinummo.*

Novi ego hoc seculum moribus quibus sit, malus bonum malum
Esse volt, ut sit sui similis, turbant, miscent mores mali rapax,
Avarus invidus: sacrum prophanum: publicum, privatum habent:
Hiulca gens, hæc ego doleo; hæc sunt, quæ excruciant.
Hæc dies noctesque tibi canto, ut caveas: quod manu non queunt
Tangere, tantum fas habent, quo manus abstineant.

*Catulus Argon.*

Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Justitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno sanguine fratres,
Destitit extinctos natus lugere parentes,
Optavit genitor primævi funera nati,
Liber ut innuptæ potiretur flore juventæ:
Ignaro mater substernens se impia nato,
Impia non verita est divos scelerare penates.
Omnia fanda nefanda malo permixta furore

Justificam nobis mentem avertêre deorum,
Quare nèc tales dignantur visere cœtus,
Nec se contingi patiuntur numine claro.

Malus fœlix esse nequit, etiamsi ditissimus sit.

*Juvenalis satyra 4.*

Quid refert igitur quantis jumenta fatiget
Porticibus? quanta nemorum vectetur in umbra?
Jugera quot vicina foro? quas emerit ædes?

Nemo malus fœlix.

Nemo usque adeo malus est, quin bonus effici possit, si reprehensioni aures accommodet.

*Horatius lib. 1. epist. ad Mæcenat.*

Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Nemo repente fuit pessimus.

*Juvenalis 2. satyr.*

Nemo repente fuit turpissimus, accipient te
Paulatim, qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus, & toto posuere monilia collo.

*Lucanus lib. 1. bel. civil.*

--Nullus semel ore receptus
Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.

Omnis malus servus est, etiamsi rex sit.

*Boetius Metro 2. lib. 4.*

Quod vides sedere celso
Solii culmine reges
Purpura claros nitente,
Septos tristibus armis,
Ore torvo cominantes,
Rabie cordis anhelos,
Detrahat si quis superbis
Vani tegmina cultus,
Jam videbit intus atras
Dominos ferre catenas.
Hinc enim libido versat
Avidis corda venenis?
Hinc flagellat ira mentem
Fluctus turbida tollens.
Mœror aut captos fatigat,
Aut spes lubrica torquet.

Ergo quum caput tot unum
Cernas ferre tyrannos,
Non facit quod optat ipse
Dominis pressus iniquis.

*Claudianus de 4. Honorii conf.*

Tu licet extremos latè dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,
Si metuis, si parva cupis, si duceris ira,
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
Interius leges, tunc omnia jure tenebis,
Quum poteris rex esse tui.

Mali à statuis nihil differunt, nisi quod illorum imago vivit.

*Juvenal. satyra 8.*

—At tu
Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.

Mali ad nocendum assidue proni sunt, & eis nullum tempus ad nocendum angustum est.

*Seneca in Medea.*

Nullum ad nocendum tempus angustum est malis.

Mali conscius diligitur tantum.

*Juvenalis satyra 3.*

Quis nunc diligitur, nisi conscius? & cui fervens
Æstuat occultis animus semperque tacendis?
Nil tibi se debere putat, nihil conferet unquam
Participem qui te secreti fecit honesti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult
Accusare potest.

Quod malis omnia ex sententia ut plurimum succedunt, bonis vera contra, hinc quidam de Dei providentia dubitant, asserentes hominum genus à fortuna regi (ut titulo de fortuna ostensum est) sed falso. Tolluntur autem in altum, ut lapsu majore ac graviore ruant.

*Seneca in Hippolyto.*

Sed cur idem qui tanta regis.
Sub quo vasti pondera mundi
Librata suos ducunt orbes,
Hominum nimium securus ades,
Non sollicitus prodesse bonis,

Nocuisse

Nocuisse malis.

*Boetius Metro 5. lib. 1.*

Omnia certo fine gubernas,
Hominum solos respuis actus
Merito rector chohibere modo.
Nam cur tantas lubrica versat
Fortuna vices? premit insontes
Debita sceleri noxia pœna?
At perversi resident celso
Mores solio, sanctáque calcant
Injusto jure colla nocentes;
Latet obscuris condita virtus
Clara tenebris justúsque tulit
Crimen iniqui.
Nil perjuria, nil nocet ipsis
Fraus mendacii coëmpta colore.
Sed quum libuit viribus uti,
Quos innumeri metuunt populi
Summos gaudeant subdere reges.
O jam miseras respice terras
Quisquis rerum fœdera nectis,
Operis tanti pars non vilis,
Homines quatimur fortunæ salo.
Rapidos rector comprime fluctus,
Et quo cœlum regis immensum
Firma stabiles fœdere terras.

*Claud. 1. lib. in Ruffinum.*

Sed quum res hominum tanta caligine volvi
Aspicerem, latósque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Relligio, causæque viam non sponte sequabar
Alterius, vacuo quæ semina currere motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte regi, quæ numina sensu
Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Absolvitque deos, jam non ad culmina rerum
Invictos crevisse queror, tolluntur in altum
Ut lapsu majore ruant.

Mali sunt, bonis qui maledicunt.

*Plautus in Bacchid.*

Mali sunt homines qui bonis dicunt malè,

Mali non quiescunt, nisi prius aliquod malum perpetraverint.

*Juvenalis satyra. 3.*

Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidæ, cubat in faciem, mox deinde supinus.
Ergo non aliter poterit dormire: quibusdam
Somnum rixa facit.

Malo benefacere tantum periculum est, quantum bono malefacere.

*Plautus in Pœnulo:*

——Malo benefacere tantundem
Est periculum, quantum bono malefacere.

Malos homines terra nunc educat.

*Juvenalis satyra. 15.*

Terra malos homines nunc educat.

---

# DE MALIS.

Mala æquanimiter sustinens demum haud parva reportabit bona.

*Plautus in Asinaria.*

Fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum.

Mala incerta dubiaque magis augunt hominem.

*Seneca in Agamemnon.*

Exprome, clades scire qui refugit suas
Gravat timorem: dubia plus torquent mala.

Illata mala æquanimiter tolerat, qui majora veretur.

*Seneca in Hercule furente.*

Quisquamne segnis tanta toleravit mala,
Majora quisquis timuit.

Mala alterius prius rescimus, quam bona,

*Terentius in Andria.*

More hominum evenit, ut quid sim nactus mali
Prius rescires tu, quam ego illud quod tibi evenit boni.

Maxima mala non diu latitant.

*Seneca in Medea.*

Magna non latitant mala.

## DE MATRIMONIO.

Matrimonium inter æquales bene contrahitur, & sic contrahendum est.

*Ovid. epist. 9. Heroid.*

Quam male inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor.
Non honor est, sed onus species læsura ferentes:
Si qua voles apte nubere, nube pari.

Ad contrahendum matrimonium mora utilis esse dicitur.

*Ovid. lib. 3. Fastorum.*

Nubere siqua voles, quamvis properabitis ambo,
Differ, habent parvæ commoda magna moræ.

Matrimonium & regnum duos una non capit.

*Ovid lib. 3. de Arte Aman.*

Non bene cum sociis regna Venusque manent.

*Seneca in Agamemnone.*

Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.

Matrimonii encomium.

*Horatius lib. 1. carm. ode 13.*

Felices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulsus querimoniis
Suprema citius solvet amor die.

*Propertius libr. 2. Eleg.*

Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ,
Masculus, & totum fœmina conjugium.

## DE MEDICINA.

Varia medicina danda est juxta ægritudinum exigentiam.

*Ovid. lib. 2. de Remed amo.*

Nam quoniam variant animi, variabimus artes:
Mille mali species, mille salutis erunt.

Medicina congruo tempore data prodest.

*Ovid lib. 1 de remed. amo.*

Temporibus medicina valet: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Medicina

Medicina omnes morbos sanare potest.

*Propertius lib. 2. eleg.*

Omnes humanos sanat medicina dolores,
Solus amor morbi non amat artificem.

Medicis bene habentibus non est opus, sed male habentibus.

*Ovid. lib. 3. de Ponto.*

Firma valent per se, nullúmque Machaona quærunt,
Ad medicam dubius confugit æger opem.

Medicus non potest omnes ægritudines sanare.

*Ovid. lib. 1. de Ponto.*

Non est in medico, semper relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.
Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis:
Cura quoque interdum nulla est medicabilis arte,
Et si sit, longa est extenuenda mora.

## DE MEDIOCRITATE.

Mediocritas in omni re tenenda est, & ad hoc exhortatio lepidissima.

*Ovid. lib. 2. Metamorph.*

Altius egressus cœlestia tecta cremabis,
Inferius terras: medio tutissimus ibis.

*Idem lib. 8. Metamorph.*

—Postquam manus ultima cœpto
Imposita est, geminas opifex libravit in alas
Ipse suum corpus, motaque pependit in aura,
Instruit & natum: medióque ut limite curras
Icare, ait, moneo: ne si demissior ibis,
Unda gravet pennas; si celsior, ignis adurat.
Inter utrumque vola.

*Horat. Oda 10. lib. 2.*

Rectius vives Licini, neque altum
Semper urgendo, neque dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem

Diligit

Diligit tutus, caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

*Seneca in Oedipo.*

Fata si liceat mihi
Fingere arbitrio meo,
Temperem Zephyro levi
Velit ne pressæ gravi
Spiritu antennæ tremant:
Lenis sed modicum fluens
Aura, nec vergens latus
Ducat intrepidum ratem,
Tuta me media vehat
Vita decurrens via.
Gnosium regem timens
Alta dum demens petit
Artibus fidens novis,
Certat & veras aves
Vincere, & falsis nimis
Imperat pennis puer,
Nomen eripuit freto.
Callidus medium senex
Dædalus librans iter
Nube sub media stetit
Alitem spectans suam.
Quicquid excessit modum
Pendet instabili loco.

*Idem in Agamemnone.*

Fœlix mediæ quisquis turbæ
Partem quietus aura stringit
Littora tuta timidúsque mari
Credere cymbam, remo terras
Propiore legit.

*Boetius Metro 4. lib. 2.*

Quisquis volet perennem
Cautus ponere sedem,
Stabilisque nec sonori
Sterni flatibus Euri,
Et fluctibus minantem.
Curat spernere pontum
Montis cacumen alti,
Bibulas vitet arenas.

Illud protervus Auster
Totis viribus urget:
Hæ pendulum solutæ
Pondus ferre recusant.
Fugiens periculosam
Sortem sedis amœnæ
Humili domum memento
Certus figere saxo.
Quamvis tonet ruinis
Miscens æquora ventus,
Tu conditus quieti
Fœlix, robore valli
Ducens serenus ævum
Ridebis æthereas iras.

*Terentius in Andria.*

—Nam id arbitror
Apprime in vita esse utile, ne quid nimis.

*Martial. lib. 1. Epigram.*

Illud quod medium est, atque inter utrumque probatur.

Mediocritatem deferens, malos exitus habet, ut exemplis liquet.

*Ovid. lib. 8. Metam. de Icar.*

Quum puer audaci cœpit gaudere volatu,
Deseruitque ducem, cœli cupidine tactus,
Altius egit iter, rapidi vicinia solis
Mollit odoratas pennarum vincula ceras.
Tabuerant ceræ, nudos quatit ille lacertos,
Remigioque carens non ullas percipit auras,
Oraque cærulea patrium clamantia nomen
Excipiuntur aqua, quæ nomen traxit ab illo.

*Idem 1. de Trist.*

Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus, Icariis nomina fecit aquis.

*Ibidem de Phaetonte.*

Vitaret cœlum Phaeton si viveret, & quos
Optavit stulte tangere, nollet equos.

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Quisquis medium defugit iter,
Stabili nunquam tramite curret.
Dum petit unum præbere diem,
Patriosque puer concitat axes,

Nec procul solitum percurrit iter,
Sed Phœbis ignota secat
Sydera flammis errante rota
Secum pariter perdidit orbem.
Medium cœli quum peragrat iter,
Tenuit Latias Dædalus oras,
Nullique dedit nomine Ponto.
Sed dum volucres vincere veras
Icarus audet, patriasque puer
Despicit alas, Phœboque volat.
Proximus, ipse dedit ignoto
Nomina Ponto.

*Ovid 3. de Tristib.*

Qui cadit in plano (vix hoc tamen evenit ipsum):
Sic cadit ut tacta surgere possit humo;
At miser Elpenor tecto delapsus ab alto,
Occurrit regi flebilis umbra suo.
Quid fuit ut tutas agitaret Dædalus alas?
Icarus immensas nomine signet aquas?
Nempe quod hic alte, demissius ille volabat:
Nam pennas ambo non habuere suas.

*Lucanus lib. 1. bel. civil.*

In se magna ruunt, lætis hunc numina rebus
Crescendi posuere modum.

Medium virtutem in se habere dicitur

*Horat. lib. 1 epist. ad Quintium.*

Virtus est medium vitiorum utrinque redactum.

---

## DE MEDITATIONE.

Meditatio, id est, quod recte geris.

*Ausonius de ludo 7. Sap.*

Μελέτη τὸ πᾶν qui dixit, & dictum probo,
Meditationem id esse, recte quod geras.

Meditans omnia negotia ad rem gerendam solus est efficax & is sapiens habetur.

*Ausonius de ludo 7. Sap.*

Is quippe solus rei gerendæ est efficax,
Meditatur omne qui prius negotium.

*Terentius in Adelphis.*

O Demea, Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre,

Videre, sed etiam illa quæ futura sunt,
Prospicere.

Præmeditanda sunt omnia negotia.

*Ausonius de ludo 7. Sapient.*

Adversa rerum, vel secunda prædicat
Meditanda cunctis comicus Terentius,
Locare sedes, bellum gerere, aut ponere.
Magnas, modicásque res etiam, parvas quoque
Agere volentem semper meditari decet:
Nam segniores omnes inceptis novis,
Meditatio si rei gerendæ defuit.

*Ibidem.*

Nihil est quod ampliorem curam postulet,
Quam cogitare quid gerendum sit, dehinc
Incogitantes fors non consilium regit.

## DE MENDACIO.

Mendacium dicere scelus est præsertim parentibus.

*Plautus in Mercat.*

Mihi scelus videtur me parenti proloqui mendacium.

Mendacium ut fugiatur, & verum dicatur, admonitio notabilis.

*Terentius in Heauton.*

Quid dicam? quam causam adferam? SYR. Quia
nolo mentiare:
Aperte ita ut res sese habet, narrato.

*Plautus in Persia.*

Mendacium ædepol dicis, atque haud te decet.

Mendacium constanter negare solet qui vera dicere didicit.

*Plautus in Amphitr.*

ALC. Cur negas? AMPH. Quia vera didici dicere.

Mentiri qui nequit, Romæ inutilis est.

*Juvenalis satyra 3.*

Quid Romæ faciam? mentiri nescio: librum
Si malus est, nequeo laudare, & poscere: motus
Astrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo nec possum: ranarum viscera nunquam
Inspexi: ferre ad nuptam quæ mittit adulter,

Quæ mandat, norint alii.

## DE MENTE.

Mens temporalibus dedita rebus maxime hebetatur.

*Boetius Metro 12. lib. 3. de Eurydice ab Orpheo marito suo liberata, quæ retro ad inferos respexit.*

Vos hæc fabula respicit.
Quicunque in superum diem
Mentem ducere quæritis.
Nam qui tartareum in specus
Victus lumina flexerit,
Quidquid præcipuum trahit,
Perdit dum videt inferos.

Plura de his invenies in tit. de Affectibus.

Mens boni conscia sperat, mali vero è contra.

*Ovid. lib. 1. Fasto.*

Conscia mens, ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora, pro facto spemque metumque suo

Mentes perversæ omnia, in malum scilicet, interpretando, corrumpere possunt, quæ tamen solida permanent.

*Ovid. lib. 2. de Tristib.*

Omnia perversæ poterunt corrumpere mentes,
Stant tamen illa suis omnia tuta locis.

Mala mens assidue inquieta.

*Prosp. sent. 68.*

Mala mens nunquam gaudia pacis habet.

## DE MERETRICIBUS.

Meretrices summopere fugiendæ sunt, eo quod bona quæque, & precipue sapientiam ab homine auferunt.

*Plautus in Truculento.*

Meretrix meum herum
Miserum sua blanditia intulit in
Pauperiem, privavit bonis, luce, honore, atque amicis.

*Ibidem.*

--Nam mihi hæc meretrix,

Quæ

Quæ hic habet Phronesium suum nomen, omnem
Ex pectore evomit meo Phronesim.

Meretrices, eo quod insatiabiles sunt,
mari assimilantur.

*Plautus in Truculento.*

Meretricem ego item esse reor
Mare ut est, quod des devorat, nunquam abundat,
Des quantum vis, nusquam
Apparet néque datori, néque acceptrici.

Meretrices Deum non verentur.

*Terentius in Hecyra.*

Nec pol istæ metuunt Deos, nec hos respicere Deos
opinor.

Meretrices munera captant suo corpore.

*Ovid lib. 1. eleg. sive amo.*

Stat meretrix certo cuivis mercabilis ære,
Et miseras jusso corpore quærit opes.

*Ibidem.*

Sola viro mulier spoliis exultat ademptis,
Sola locat noctes, solà locanda venit.

Meretricum reprehensio accommodata.

*Horat. Oda. 13. lib. 4.*

Quò fugit Venus heu? quove color decens?
Quò motus? quid habes illius, illius
Quæ spirabat amores,
Quæ me surripuerat mihi?
Fœlix post Cynaram, notáque & artium
Gratarum facies, sed Cynaræ breves
Annos fata dederunt,
Servatura diu parem
Cornicis vetulæ temporibus Lycen,
Possent ut juvenes visere fervidi
Multa non sine risu
Delapsam in cineres facem.

---

## DE METU.

Metum auget, scelus qui obruit scelere.

*Seneca in Agamemnone.*

Quod metuit auget, qui scelere scelus obruit.

Metus est malus rerum interpres.

*Claudianus de bel. Get.*

Sed

Sed malus interpres rerum metus, omne trahebat
Augurium pejore via.

Metus laudare quos cogit, eosdem, & inimicos reddit

*Idem in Thyeste.*

—Quos cogit metus
Laudare, eosdem reddit inimicos metus.

*Ovid. lib. 2. Eleg*

—Quem metuit quisque, perisse cupit,

## DE MILITIA.

Militiæ togatæ elegans descriptio.

*Ovidius ad Pisonem.*

—Tamen & si bella quierunt,
Non periit virtus: licet exercere togatæ
Munera militiæ, licet & sine sanguinis hausta
Mitia legitimo sub judice bella movere:
Hinc quoque servati continget gloria civis,
Altaque victrices intexent lumina palmæ.

*Paulo post.*

Olim turba vias impleverat agmine denso,
Ardua nunc eadem stipat fora, quum tua mœstos
Defensura reos vocem facundia mittit,
Seu trepidus ad jura decem citat hasta virorum,
Et firmare jubet centeno judice causas,
Seu capitale nefas operosa diluis arte.

Milites omnes impii, perfidi, & ad omnia vitia perpetranda parati si lucrum detur.

*Lucanus lib 10 bel. civil.*

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur.
Venalesque manus, ibi fas ubi maxima merces.

Milites duce percusso diffugiunt.

*Ovid. lib. 3. Fasto.*

Diffugiunt Tyrii quo quemque agit error, ut olim
Amisso dubiæ rege vagantur apes.

*Valer. Flac. lib. 4. Argon.*

Bebricas extemplo spargit fuga, nullus adempti
Regis amor: montem celeres sylvamque capessunt.

# DE MISERIA.

Miseriæ maximæ intimatio.

*Ovid 5. de Tristib.*

Si mihi non parcis, fortunæ parcere debes,
Non habet in nobis ullius ira locum.
Elige nostrornm, minimum, minimúmque malorum,
Isto, quo quereris grandius illud erit,
Quam multa madidæ celantur arundine fossæ,
Florida quam multas Hybla tuetur apes.
Quam multæ gracili terrena sub horrea terre
Limite formicæ grana reperta solent:
Tam me circunstat densorum turba malorum,
Crede mihi, vere est nostra querela minor.
His qui contentus non est, in littus arenas,
In segetem spicas, in mare fundat aquas.
Intempestivos igitur compesce furores,
Vela neque in medio desere nostra mari,

*Idem lib 4. de Ponto.*

Tempora nam miseræ complectar, ut omnia vitæ
A meritis ejus pars mihi nulla vacat,
Que numero tot sunt, quot in horto fertilis arvi,
Punica sub lento cortice grana rubent,
Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos,
Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla favos.

Miseria caret invidia.

*Plautus in Truculento.*

Mavelim mihi inimicos invidere, quam me inimicis meis.
Nam invidere alii bene, tibi male esse, miserum est.
Qui invident egent: illi, quibus invidetur, rem habent.

*Ausonius in Cleoboli senten.*

Fortuna invidia est immeritus miser

Miseriam fide carere miserrimum est.

*Ovid. 4. de Ponto.*

Qui veniunt isthinc vix vos ea credere dicunt,
Quam miser est, qui fert asperiora fide.

Miserias ferre leve est, preferre autem grave.

*Seneca in Thyeste*

Erras, malorum sensus accrescit die.
Leve est miserias ferre, preferre est grave.

Miser est qui graviter amat, qui vero leviter, fœlix.

*Tibullus lib. 2. Eleg. 1.*

At miseri, quos hic graviter Deus urget, at ille
Fœlix, cui placidus leniter afflat amor.

Quis miser, quis miserior, quis vero miserrimus sit.

*Plautus in Captivis.*

Miser homo est, qui ipse sibi, quod edat, quærit, & id ægre invenit,
Sed ille est miserior, qui & ægre quærit & nihil invenit:
Ille miserrimus est, qui quum esse cupit, quod edat, non habet.

Miser non est cui mori facile est, sed cui è contra evenit.

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Nunquam est ille miser, cui facile est mori.

*Idem in Agamemnone.*

O quam miserum est, nescire mori.

Miser timet assidue, ne deterius ei contingat.

*Ovid. lib. 14 Metamorph.*

—At Agmon
Fervidus ingenio, tum vero & cladibus asper,
Quid superest quod jam patientia nostra recuset
Ferre, viri, dixit? Quid habet Cytherea quod ultra
(Velle puta) faciat? Nam dum pejora timentur
Est locus in voto.

Miserum se credit nullus, nisi ad fœliciores comparatus.

*Seneca in Troade.*

Nemo se credit miserum licet sit.
Tolle fœlices, removeto multo
Divites auro, removeto centum
Rura qui scindat opulenta bobus.
Pauperis surgent animi jacentes:
Est miser nemo, nisi comparatus.

Qui miser est, ut Hercules fuit, hic Deus non est.

*Seneca in Hercule furente.*

Quemcumque miserum videris, hominem scias.

Miseri Deum colere maxime debent.

*Seneca in Agamemnone.*

Miseris colendos maxime superos reor.

Miseri increduli dicuntur.

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Misera mens incredula est.

Miseri malevolentes atque invidi de aliorum bonis sunt, cupiuntque illis omnes esse similes.

*Plautus in Captivis.*

Quia tute ipse eges in patria, nec tibi quid vivas domi est,
Omnes invenire similes tibi vis: non mirum facis.
Est miserorum ut malevolentes sint, atque invideant bonis.

Pudore vacant miseri.

*Seneca in Oedipo.*

Nullus est miseris pudor.

*Statius lib 8. Thebaid.*

——Nec habent extrema pudorem.

Miseri quod nimis volunt, hoc facile credunt, imo quod nimis metuunt

*Seneca in Hercule furente.*

Quod nimis miseri volunt
Hoc facile credunt.
MEGAE. Imo quod metuunt nimis
Nunquam amovere posse, nec tolli putant.

Miseri suspiciosi sunt, seque negligi semper credunt.

*Terentius in Adelph.*

Omnes quibusque res sunt minus secundæ, magis sunt nescio quo modo
Suspiciosi ad contumeliam, omnia accipiunt magis,
Propter suam impotentiam se semper credunt negligi.

Miserorum est nunquam lætis rebus credere atque gaudere.

*Seneca in Thyeste.*

Proprium hoc miseros sequitur vitium
Nunquam rebus credere lætis,
Rideat fœlix fortuna licet,
Tamen afflictos gaudere piget.

Miseri

Miseris unicum solatium est, socium in pœnis habere.

*Seneca in Troade.*

Dulce mœrenti populus dolentum,
Dulce lamentis resonare gentes:
Lentius luctus, lacrymæque mordent
Turbas quas fletu simili frequentat:
Ferre, quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat.

*Ibidem.*

Æquior casum tulit, & procellas
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui vides.

Miserrimus nil veretur.

*Ovid. lib. 14. Metamorph.*

—Sors autem ubi pessima rerum est,
Sub pedibus timor est, securaque summa malorum.

*Seneca in Oedipo.*

Solent extrema securos facere mala.

Miserrimus mortem optat quia miseriæ finis est.

*Ovid. lib. 3. Metam*

O utinam à nostro secedere corpore possem!
Nec mihi mors gravis est posituro morte dolores.

*Idem epist. 20. Heroid.*

Occurrant animo pereundi mille figuræ,
Morsque minus pœnæ, quam mora mortis, habet.

*Seneca in Troade.*

Si vis Vlisse cogere Andromachen metu,
Vitam minare, jam mori votum est mihi.

*Ovid. lib. 1. de Tristibus.*

Nec lethum timeo, genus ac miserabile lethi.

---

## DE MISERICORDIA.

Misericordiæ ac veniæ nullus est post mortem locus.

*Statius lib. 3. Sylvarum.*

Ad manes ignare fugis, nec flectere Parcas,
Aut placare malæ datur aspera numina lethes.

*Ovid epist ad Liviam de morte fil.*

Supprime jam lacrymas, non est revocabilis istis,
Quem semel umbrifera navita lintre tulit.

*Propert. lib. 3. eleg.*

Desine, Paule, meum lacrymis urgere sepulcrum,
Panditur ad nullas janua nigra preces.

Reliqua pete ex tit. de Lacrymis.
Item tit. de Inferno.

Misericordiæ imploratio piissima.

*Ovid. lib. 13. Metamorph.*

—Tantum miserere precesque
Supplex exaudi, tibi enim succumbimus uni.

*Seneca in Troad.*

—Pedibus admoveo tuis:
Miserere matris, & preces placidus pias,
Patiensque recipe, quóque te celsum altius
Superi levarunt, mitius lapsos preme.

*Claudianus in epig. satisfactionis ad Hadria.*

Me precor, heu me redde mihi, gravibusque medere
Vulneribus, vitamque jube famamque reverti,
Quæ per te cecidit, per te fortuna resurgat.
Sanus Achilleis remeavit Telephus herbis,
Cujus pertulerat vires, & sensit in uno
Lethalem placidamque manum: medicina per hostem
Contigit, & pepulit quos fecerat ipse dolores.

*Plautus in Captivis.*

—Nunc osecro te unum hoc,
Quoniam nobis dii immortales animum ostenderunt suum,
Ut qui herum me tibi fuisse atque esse nunc conservum velit,
Quod ante hac pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem,
Per fortunam incertam, & per mei te erga bonitatem patris,
Perque conservitium commune, quod hostica evenit manu:
Ne me secus honore honestes, quam ego te quum serviebas mihi.
Atque quis fueris, & qui nunc sis, meminisse ut memineris.

*Claud. lib. 2. in Eutropium.*

In te jam spes una mihi pro fronde Minervæ.
Has tibi protendo lacrymas, succurre ruenti,

Eripe

Eripe me tandem, servilibus eripe regnis:
Neve adeo cunctos paucorum crimine damnes,
Nec nova tot meritis offensa prioribus obstet.
Jam jam flecte animum: suprema pericula semper
Dant veniam culpæ.

Misericors magis est, qui aliqua mala perpessus est, quam qui nulla.

*Vergil. lib 1. Æneid.*

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Misericors pro vita mortem sæpe misero dedit.

*Seneca in Troade.*

AGAM. Cur dextra regi spiritum eripuit tua?
PYR. Mortem misericors sæpe pro vita dabit.

---

# DE MODO.

Modus in omnibus rebus servandus est, eo quod omne nimium sit vituperabile.

*Horat. lib. 1. satyra*

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

*Idem lib. 1. in epist. ad Numicium.*

Insani sapiens nomen feret, æquus iniqui,
Ultra quam satis est virtutem si petit ipsam.

*Plautus in Pœnula.*

—Modus omnibus
In rebus, soror, est optimum habitu, nimia omnia
Nimium exhibent negotium hominibus ex se.

*Ausonius de 7 Sapient.*

Et Mitylenæis nimium nil Pittacus oris:
Mensuram optimum ait Cleobolus Lyndius in re.

Modum excedens instabile est; moderata vero durant.

*Seneca in Troade.*

Moderata durant.

*Juvenalis satyra 10.*

--Nec unquam
Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.

## DE MONITIONE.

Monitio utilis est, etiamsi illud, ad quod hortaris aliquem, agat.

*Ovid lib. 2 de Ponto.*

Ergò quod fuerat stimulis factura sine ullis,
Plenius auctorem te quoque nacta facit,
Acer & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

*Idem lib. 5. de Tristib.*

Nec te credideris, quia non facis ista, moneri:
Vela damus quamvis remige puppis eat:
Qui monet ut facias, quod jam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo,

*Idem lib. 2. de remed amoris*

Nunc opus est celeri subdere calcar equo.

Monentis verba impatiens animus odit.

*Ovid. lib. 1. de Remed. amoris*

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Respuit, atque odio verba monentis habet.

Monitio loco temporeque congruo fieri debet.

*Ovid. lib. 1. de remed amor.*

Quis matrem nisi mentis inops in funere nati
Flere vetat? non hoc ulla monenda loco est.

*Idem lib. 1. de Ponto.*

Utque Machaoniis Pæantius artibus heros
Lenito medicam vulnere sensit opem:
Sic ego mente jacens & acerbo saucius ictu,
Admonitu cœpi fortior esse tuo.
Et jam deficiens sic ad tua verba revixi,
Ut solet infuso vena redire mero,

## DE MORA.

Mora omnis resecanda est, eo quod damnosa est fere in omni re.

*Ovid. lib. 11. Metamorph.*

Sed mora damnosa est, nec res dubitare remittit,
Dum superest aliquid, cuncti coëamus ad arma.

*Lucianus lib. 2. bel. civil.*

Tolle moras, semper nocuit differre paratis.

*Seneca in Thyeste.*

Serum est cavendi tempus in mediis malis.

*Silius Italic. lib. 4. bel. Pun.*

Pelle moras, brevis est magni fortuna favoris.

*Manilius lib 4. Astronomic.*

—Mora sæpe malorum
Dat caussas.

*Ovid. lib. 1. de Remed. amoris.*

Vidi ego quod fuerat primo sanabile vulnus,
Dilatum longæ damna tulisse moræ.

*Tac. 2. Hist.*

Festinare nocet, nocet & cunctatio sæpe:
Tempore quæque suo qui facit, ille sapit.

Mora omnis amanti longa videtur.

*Ovid. epist. 18. Heroid*

Longa mora est nobis omnis quæ gaudia differt:
Da veniam fassæ non patienter amo.

Mora in amore vires haud parvas amanti præbet.

*Ovid. lib. 1. de Remed. amoris.*

Nam mora dat vires teneras mora percoquit uvas,
Et validas segetes quod fuit herba, facit.
Quæ præbet latas arbor spatientibus umbras,
Quo posita est primum tempore virga fuit;
Tunc poterat manibus summa tellure revelli,
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.

*Ibidem.*

Verba dat omnis amans, reperitque alimenta morando.

*Idem Heroid. Epist. 19.*

Assumpsit vires, auctaque flamma mora est.
Quique fuit nunquam parvus vel tempore longo
Ex spe, quam dederas tu mihi, crescit amor.

*Seneca in Agamemnon.*

Quod ratio nequit, sæpe sanavit mora.

Mora omnis properanti longa est.

*Seneca in Agamemnone*

Omnisque nimium longa properanti mora est.

Mora ad præstandum auxilium brevis esse debet.

*Ovid. lib 14. Metamorph.*

—Ad opem brevis hora ferenda est.

Mora sæpe sanat, quod ratio nequit sanare.

*Seneca in Agamemnone*

Proinde quicquid est, da spatium & tempus tibi:
Quod ratio nequit, sæpe sanavit mora.

*Ovid. lib. 3. Fastor.*

Differ, habent parvæ commoda magna moræ.

## DE MORBIS.

Non omnibus morbus est sanabilis.

*Ovid lib. 1. de Ponto.*

Non est in medico semper relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.
Cernis ut e molli sanguis pulmone remissus
Ad stygias, certo limite, ducat aquas.
Adferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.

*Idem: lib. 3. de Ponto.*

Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Aliud est sentire, aliud tollere morbum.

*Ovid. lib. 3. de Ponto.*

Num eadem ratio est sentire & tollere morbos?
Sensus inest cunctis, tollitur arte malum.

Morbis quamprimum, antequam invaluerint, occurrendum.

*Ovid. lib. 1. de Remed. amor.*

Opprime dum noua sunt subiti mala semina morbi,
Et tuus incipiens ire resistat equus.

*Ibidem.*

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Quum mala per longas invaluere moras,
Sed propera, nec te venturas differ in horas.

*Ibidem.*

Vidi ego quod fuerat primo sanabile vulnus,
Dilatum longæ damna tulisse moræ.

*Persius satyra 3.*

Helleborum frustra, quum jam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas, venienti occurrite morbo.

Morbi diversi, diversis medicamentis sunt sanandi.

*Ovid. lib. 2. de Remed. Amor.*

Nam quoniam variant animi, variabimus artes,
Mille mali species, mille salutis erunt.
Corpora vix ferro quædam sanantur acuto:
Auxilium multis succus, & herba fuit.

## DE MORIBUS.

Ad bonos mores nunquam sera est via.

*Seneca in Agamemnone.*

Nam sera nunquam est ad bonos mores via.
Quem pœnitet peccasse pene est innocens.

Mores bene componere maximum est opus hominum.

*Ovid lib. 3. de Arte amandi.*

Majus opus mores composuisse suos.

*Mores pro tempore mutandi.*

Constans & lenis prout res expostulat esto;
Temporibus mores sapiens sine crimine mutat.

Unusquisque sese moribus eorum conformare debet, quibuscum conversatur.

*Mart. 11.*

Uxor, vade foras, aut moribus utere nostris.

*Terentius in Adelphis.*

Sedulo moneo quæ possum pro mea sapientia,
Verum quid facias? ut homo est, ita morem geras.

Mores mali ut herba irrigua succrevere.

*Plautus in Trinummo.*

--Mores mali quasi herba irrigua
Succreverunt uberrime, neque quicquam hic vile nunc est,
Nisi mores mali, eorum licet jam messem metere maximam.

Mores leges in potestatem suam perduxerunt: quia non quod licet hodie fit, sed quod libet: igitur resecandi sunt.

*Plautut in Trinummo.*

--Nunc mores nihil faciunt quod licet,
Nisi quod lubet: ambitio jam more sancta est, libera est à legibus.

*Ibidem.*

——Mores
Leges perduxerunt jam in potestatem suam.
——Eæ miseræ etiam
Ad parietem sunt fixæ clavis ferreis, ubi malos mores
Adfigi nimio fuerat æquius.

*Terentius in Heauton.*

Quam multa injusta ac prava fiunt moribus, scilicet pravis.
Morigeratæ erunt tam mulieres, quam virgines & u
tales sint admonitio bona.

*Ovid. de fac. medica.*

Prima sit in vobis morum tutela puellæ,
Ingenio facile conciliante placent.
Certus amor morum, formam populabitur ætas.

*Horat. lib. 3. Oda 7.*

Prima nocte domum claude: neque in vias
Sub cantu querulæ despice tibiæ:
Et te sæpe vocanti
Duram, difficilis mane.

De morum munditia, elegantia, & civilitate.

*Ovid lib. 3 de Arte amand.*

Munditiæ placeant, fuscentur corpora campo,
Sit bene conveniens, & sine labe toga.
Linguaque nec rigeat, careant rubigine dentes,
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.
Quid si præcipiam ne fuscet inertia dentes,
Oraque suscepta mane laventur aqua?
Nec male deformet rigidos tonsura capillos,
Sit coma, sit docta barba resecta manu.
Et nihil emineant, & sint sine sordibus ungues.
Inque cava nullus stet tibi nare pilus.
Nec male odorati sit tristis anhelitus oris,
Nec lædat nares virque paterque gregis.
Sint modici risus, parvæque utrinque lacunæ,
Et summos dentes ima labella tegant.
Nec sua perpetuo contendant ilia risu,
Sed leve nescio quid, fœmineumque sonet.
Est & in incessu pars non temnenda decoris.
Allicit ignotos illa, fugatque viros, *&c.*
Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi,

Ora nec immunda tota perunge manu,
Neve diu præsume dapes: sed desine citra
Quam cupias, paulo quam potes esse minus, &c.
Nec coram mixtas cervæ sumpsisse medullas,
Nec coram dentes perfricuisse probem.
Ista dabunt faciem, sed erunt deformia visu,
Multaque dum fiunt turpia facta, placent, *li*. 2.
Certa tibi à nobis dabitur mensura bibendi,
Officium præstent mensque pedesque suum.
Jurgia præcipue vino stimulata caveto,
Et nimium faciles ad fera bella manus.
Occidit Eurytion stulte data vina bibendo,
Aptior est dulci mensa merumque joco. *lib*. 3.
Parva monere pudet, talorum dicere jactus,
Ut sciat & vires tessera missa tuas, *&c.*
Sed minimus labor est sapienter jactibus uti,
Majus opus, mores composuisse suos.
Tunc sumus incauti, studioque aperimur in ipso,
Nudaque per lusus pectora nostra patent, *&c.*
Pertinent ad faciem rabidos compescere mores,
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina gorgoneo sævius angue micant, *&c.*
Odimus immodicos (experto credite) fastus,
Sæpe tacens odii semina vultus habet,
Spectantem specta, ridenti mollia ride:
Innuet, acceptas tu quoque redde notas.
Rara tamen menda facies caret, occulte mendas,
Quódque potes vitium corporis abde tui.

*Plautus in Pœnulo.*

Liberos homines per urbem modico magis par est gradu
Ire: servile esse duco festinantem currere.

Mores & honor sunt vincula conjugii.

*Victor in*

Mentis honor, morumque decus sunt vincula sancti Conjugii.

DE

# DE MORTE.

Mortis memoria jugis esse debet, idque etiam Dei præcepto, cui soli Epicurei repugnant, sed falso.

*Horat. lib. 1. epist. ad Albium.*

Inter spem curamque, timores inter & iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum,
Grata superveniet quæ non sperabitur hora.

*Persius satyra 5.*

Vive memor lethi, fugit hora, hoc quod loquar inde est.

*Ausonius in Chilonis sententiis.*

Vive memor mortis, memor ut sis vive salutis,
Tristia cuncta exuperans.

*Martialis 1. Epigr.*

Expectant curæque catenatique labores;
Gaudia non remanent, sed fugitiva volant:
Hæc utraque manu, complexuque assere toto,
Sæpe fluunt, imo sic quoque lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere vivam,
Sera nimis vita est crastina, vive hodie.

*Idem lib. 2. Epigram.*

Pange thoros, pete vina, rosas cape, tingere nardo,
Ipse jubet mortis te meminisse Deus.

*Lucret. lib. 3. ex Epicureorum insulsa opinione sic ait.*

Et metus ille foras præceps Acherontis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat, ab imo
Omnia suffundens mortis nigrore, nec ullam
Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit.

*Mors communis est omnibus: nullique parcit.*

Est commune mori, mors nulli parcit honori,
Mors servat legem, tollit cum paupere regem.

*Mapheus Vegius lib. 13 Æneid. Vergil. addito*

Heu! mortem invisam, quæ sola ultricibus armis
Elatos frænas animos, communia toti
Genti sceptra tenens, æternaque fœdera servans.
Quæ magnos, parvosque teris, quæ fortibus æquas
Imbelle

Imbelles, populisque duces, seniumque juventæ.

*Vergil. Elegia in Mæcenatis obitu.*

Illa rapit juvenes prima florente juventa,
Non oblita rapit sed tamen illa senes.

*Ovid. lib. 3. Eleg.*

Scilicet omne sacrum mors importuna prophanat,
Omnibus obscuras injicit illa manus.

*Idem ad Liviam de morte filii.*

Fata manent omneis, omneis expectat avarus
Portitor, & turbæ vix satis una ratis.
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

*Ibidem.*

Fortuna arbitriis tempus dispensat ubique,
Illa rapit juvenes, sustulit illa senes.
Quaque ruit, furibunda ruit, totumque per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

*Horat. Oda 4 lib. 1.*

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres, ô beate Sexti.

*Idem Oda 28. lib. 1.*

—Omnes una manet nox,
Et calcanda semel via lethi.
Mista senum ac juvenum densantur funera, nullum
Sæva caput Proserpina fugit.

*Idem Oda 14. lib. 2.*

—Scilicet omnibus
Quicunque terræ munere vescimur,
Enaviganda, sive reges
Sive inopes erimus coloni.

*Idem Oda 2. lib. 3.*

Mors & fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis juventæ
Poplicibus, timidoque tergo.

*Idem satyr. 6. lib. 2.*

—Neque ulla est
Aut magno, aut parvo lethi fuga.

*Juvenalis satyra. 10.*

—Mors sola fatetur
Quantula sunt hominum corpuscula.

*Lucianus lib. 9. bel. civil.*

Sortilegis egeant dubii, semperque futuris
Casibus ancipites, me non oracula certum,
Sed mors certa facit: pavido fortique cadendum est.

*Seneca in Hercule furente.*

—Tibi crescit omne
Et quod occasus videt, & quod ortus.
Parce vrnturis, tibi omnes paramur:
Sis licet segnis properamus ipsi:
Prima quæ vitam dedit hora, carpsit.

*Martialis lib. 4. Epigram.*

Nullo fata loco possis excludere: quum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

*Propert. lib. 2. eleg ad Jovem.*

Longius aut propius mors sua quemque manet.

*Idem eleg. 5. lib. 3.*

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas,
Nudus ad infernas, Stulte, vehere rates.
Victor cum victis pariter miscebitur umbris,
Consule cum Mario capte Jugurtha sedes.
Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.
Optima mors parca quæ venit apta die.

*Ovid. lib. 10. Metamorph.*

Omnia debentur vobis paullumque morati
Serius, aut citius sedem properamus ad unam,
Tendimus huc omnes.

*Propert lib. 3 eleg.*

Quid genus aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, & amplexum Cæsaris esse focos:
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidet, & misero steterat vigesimus annus,
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos, & tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra juvent.
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis, ignibus ista dabis.
Sed tamen huc omnes, huc primus & ultimus ordo.
Est mala, sed cunctis ista terenda via est.
Exoranda canis tria sunt lattantia colla,
Scandenda est torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat & ære,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.

Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Crœsum aut Pactoli quas parit humor, opes.

*Claud. lib. 2. de raptu Proser.*

Sub tua purpurei veniunt vestigia reges
Deposito luxu, turba cum paupere mixti;
Omnia mors æquat.

Mortis terminus à Deo unicuique fixus est, ultra quem transgredi nemo potest.

*Ovidius ad Liviam de morte filii.*

Sed rigidum jus est, & inevitabile mortis.

*Seneca in Hercule furente.*

Certo veniunt ordine Parcæ.
Nulli jusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem,
Recipit populos urna citatos.

*Idem in Herc. Oetæo.*

Tunc solamina cantibus
Quærens flebilibus modis
Hoc Orpheus cecinit Getis:
Leges in superos datas:
Et qui tempora digerens
Quatuor præcipitis Deus
Anni disposuit vices
Nulli non avidas polo.
Parcas stamina nectere.

*Lucretius lib. 3. de nat. rerum.*

Certa quidem fines vitæ mortalibus adstat,
Nec devitare lethum pote quin obeamus.

*Martialis lib. 1. Epigram.*

Lanificas nulli tres exorare puellas
  Contigit, observant, quem statuere diem.
Divitior Crispo, Thrasea constantior ipso,
  Lautior & nitido sis Meliore licet,
Nil adicit penso Lachesis, fusoque sororum:
  Explicat, & semper de tribus una necat.

*Sillius Italicus lib. 3. bel. Pun.*

Et pace, & bello cunctis stat terminus ævi,
Extremúmque diem primus tulit.

*Tibullus Elegia 7. lib. 1.*

Hunc cecinere diem Parcæ, fatalia nentes
  Stamina, non ulli dissolvenda Deo.

Mortis genera multa ac diversa sunt.

*Cornelius Gallus.*

Omnibus est eadem lethi via: non tamen unus
Est vitæ cunctis, exitiique modus.
Hac pueri, atque senes pariter Juvenesque feruntur,
Hac par divitibus pauper egenus erit.

*Statius lib. 9. Thebaid.*

Mille modis lethi miseros mors una fatigat.

*Idem lib. 2. Sylva.*

Nam populos mortale genus, plebísque caducæ
Quid fleat interitus? hos bella, hos æquora posc...
His amor exitio, furor his, & sæva cupido.
Ut sileam morbos, hos ora rigentia brumæ,
Illos implacido lethalis Sirrius igni,
Hos manet imbrifero pallens autumnus hiatu,
Quicquid habent ortus, finem timet, ibimus omnes,
Ibimus, immensis urnam quatit Æacus umbris.

*Seneca in Thebaid.*

Eripere vitam nemo non homini potest,
At nemo mortem, mille ad hanc aditus patent.

Mors timida non est, quia hujus miseriæ terminus est.

*Lucanus lib. 8. bel. civil.*

—Mors ultima pœna est,
Nec metuenda viris.

*Cato lib. 1.*

Ne timeas illam quæ vitæ est ultima finis,
Qui mortem metuit, quod vivit perdit idipsum.

Mortem qui non timet, diis adsimilatur.

*Seneca in Agamem.*

Qui vulnus Acherontis atri,
Qui stygia tristem non tristis videt,
Audetque vitæ ponere finem,
Par ille regi, par superi erit.

Mors miseris solatium & munus esse dicitur, quia ærumnarum præsentis vitæ finis est.

*Ovid lib. 1. de Tristib.*

Nec lethum timeo, est genus miserabile lethi,
Demite naufragium, mors mihi munus erit.

*Idem lib. 4. de Tristib.*

Una tamen spes est, quæ me solatur in istis,
Hæc fore morte mea non diuturna mala.

Seneca

*Seneca in Troad.*

HECU. Fœlix Priamus,
Dicite cunctæ, liber manes
Vadit ad imos: nec feret unquam
Vincta Graium cervice jugum.
CHOR. Fœlix Priamus dicimus omnes.
Secum excedens sua regna tulit;
Nunc Elysii nemoris tutus
Errat in umbris, interque pias
Fœlix animas Hectora quærit.

Cita mors præstat.

*Ovid. lib. 3. de Ponto.*

Mitius ille perit subita qui mergitur unda,
Quam sua qui liquidis brachia lassat aquis.

Mors fœlix dicitur, quando hominem in prosperitate positum non interimit, & vocata quoque venit: Surda autem, & crudelis, quando afflictos interimere negat.

*Boetius Metro lib. 1.*

Mors hominum fœlix, quæ se nec dulcibus annis
Inserit, & mœstis sæpe vocata venit.
Heu heu quam surda miseros avertitur aure,
Et flentes oculos claudere sæva negat.

Mortem optare timidi est, atque adeo malum, pejus autem illam timere.

*Ovid. 4. Metam.*

Timidi est optare necem.

*Seneca in Oedipo.*

Utrumque (scilicet mortem cupere, & mortem timere) timidi est velle.

*Ausonius in Periandri sentent.*

Mortem optare malum, timere pejus.

In malis rebus morte nihil est melius.

*Plautus in Rudente.*

—Neque est
Melius morte in malis rebus.

Mori contemnit qui non concupiscit.

*Seneca in Oedipo.*

--contempsit mori
Qui non concupiscit.

Mors ultima linea rerum esse dicitur.

*Horatius lib. 1. epist ad Quintium.*

--Mors

—Mors ultima linea rerum est

Mori innocenter satius est quam peccare: qui autem ob virtutem perit, non interit.

*Guil. Hist. Gall.*

Morte mori melius quam vitam ducere mortis.

*Ovid. lib. 5. de Tristibus Eleg. 11.*

Maxima pœna mihi est ipsum offendisse, priusque
Venisset mallem funeris hora mihi.

*Plautus in Captivis.*

Dum ne ob malefacta pereo, parvi æstumo,
Si ego hic peribo.
At erit mihi ob factum mortuo memorabile:
Qui per virtutem peritat non interit.

*Claudianus de bel. Gildon.*

Nonne mori satius, vitæ quam ferre pudorem?

Mortui deflendi non sunt, ut supra tit. de lacrymis ostensum est, sed potius viventes.

*Ovid. lib. 15 Metamorph.*

Mors tantum vellem matrem mea fallere posset,
Mater obest, minuitque necis mihi gaudia, quamvis
Non mea mors illi, verum sua vita gemenda est.

Mortui honorandi sunt tumulo sacrificioque.

*Ovid. lib. 2. Fasto.*

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Parváque in extructas munera ferre pyras,
Parva petunt manes, pietas pro divite grata est
Munere: non avido Styx habet ima Deos.

*Juvenalis satyra. 3.*

Quoties huic talis ad illos
Umbra venit, cuperent lustrari siqua, darentur
Sulphura cum tedis, & si foret humida laurus.

Morientis mortuive periphrasis.

*Silius Italic lib 12. bel. Pun.*

Solvetur omne decus letho, niveosque per artus
It stygius color, & formæ populatur honores:
Ambrosiæ cecidere comæ, violatáque cervix
Marmoreum in iugulum collo lambente recumbit,
Haud secus oceano rediens Cythereius ignis
Quum se venari jactat splendore resecto:
Si subita invadat nubes, hebetatur & atris
Decrescens tenebris languentia lumina condit.

*Statius lib. 3. Syl.*

Fœlx ô si longa die, si cernere vultus
Natorum, virideis genas tibi justa dedissent
Stamina; sed media cecidere abrupta juventa
Gaudia, florentesque manu scidit Atropos annos,
Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubentesque rosæ primos moriuntur ad austros,
Aut ubi verna novis expirat purpura pratis.

Mors optima petenti.

*Ol. Epit. lib. 5.*

—Mors optima tunc est,
Cum petitur, vitæque piget cum funus amatur.

## DE MOTU.

Motu continuo quæque moventur.

*Ovid lib 15 Metamorph*

Omnia mutantur, nil interit, errat & illinc
Huc venit hinc illac.

*Ibidem.*

Quum sint huc forsitan illa,
Hæc translata illuc, summa tamen omnia constat.
Nil equidem durare diu sub imagine eadem
Crediderim, sic ad ferrum venistis ab auro
Secula, sic toties versa est fortuna locorum,
Vidi ego, quod fuerat quondam floridissima tellus
Esse fretum, vidi factas ex æquore terras.

*Horatius Oda. 29. lib. 3.*

Cætera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio in alveo
Cum pace delabentis Hetruscum
In mare nunc lapides adesos
Stirpésque raptas, & pecus & domos
Volventis una, non sine montium
Clamore, vicinæque sylvæ,
Quum vero diluvies quietos,
Irritat amnes.

*Lucretius lib. 1. de nat. rerum.*

Semper in assiduo motu res quæque geruntur.

*Boetius Metro 9. lib. 3.*

—Qui tempus ab ævo
Ire jubes: stabilisque manens dat cuncta moveri.

*Manilius lib. 4 Astrono.*

Est æquale nihil, terrenos aspice tractus,
Et maris, & notis fugientia flumina ripis.
Crimen ubique frequens, & laudi noxia juncta est
Sic sterilis terris lætis intervenit annus,
Ac subitos rumpit parvo discrimine fœtus.
Et modo portus erat pelagi, jam facta charybdis,
Laudatique cadit post paulum gratia ponti,
Et nunc per scopulos, nunc campos labitur amnis,
Aut faciens iter, aut quærens venitve, reditve.

## DE MULIERIBUS.

Mulier ad fructum & prolem nascitur.

*Claudianus in Eutrop. lib. 1.*

Nascitur ad fructum mulier, prolemque futuram.

Illa mulier sapientissima est, quæ secundis in rebus seipsam novit, & adversa æquanimiter sustinet.

*Plautus in Sticho.*

AN. Quæ tibi mulier videtur multo sapientissima?
PA. Quæ tum quam res secundæ sunt, se poterit noscere.
Et quæ æquo animo patietur sibi esse pejus, quam fuit.

Mulieris officium est educare liberos, & colo vitam tolerare, *&c.*

*Vergil. lib. 4. Æneid.*

--Ceu fœmina primum,
Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva,
Impositum cinerem & sopitos suscitat ignes;
Noctem addens operi famulásque ad lumina longo
Exercet penso, castum ut servare cubile
Conjugis, & possit parvos educere natos.

Mulier casta esse dicitur, de qua vulgi fama mentiri veretur.

*Ausonius in Biæ sententiis.*

Quæ casta est? De qua mentiri fama veretur.

Mulier casta est ea, quæ seipsam custodit, non quam vir: quia tunc, etsi corpus sit castum, tamen mens adultera est.

*Ovid. lib. 3. eleg. sive amo.*

Dure vir, imposito teneræ custode puellæ

Nil agis, ingenio quæque tuenda suo est.
Siqua metu dempto casta est, ea denique casta est:
Quæ, quia non liceat, non facit, illa facit.
Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est,
Nec custodiri, ni velit, ulla potest.
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas;
Omnibus exclusis intus adulter erit.

*Ibidem.*

Centum fronte oculos, centum cervice gerebat
Argus & hos unus sæpe fefellit amor.
In thalamo Danae saxo ferróque perenni,
Quæ fuerat virgo tradita, mater erat.

*Propert. lib. 2. eleg. ad Cynthiam*

Quos igitur tibi custodes? quæ lumina ponam,
Quæ nunquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil invitæ tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet Cynthia, tuta sat est.

Mulier illa bona est quæ malefacere potest, & non facit.

*Plautus in Sticho.*

ANT. Dic vicissim nunc jam tu PINA. Quid vis tibi dicam pater?
AN. Ubi facillime spectatur mulier, quam ingenio est bono?
PINA. Quoi male faciundi est potestas, quæ ne faciat, id temperat.
ANT. Haud male istuc.

Mulier corrupta semel, postea raro abstinebit, non secus ac canis à gustato uncto corio.

*Horat. satyra. 5. lib. 1.*

Sic tibi Penelope frugi est, quæ si semel uno
De sene gustarit, tecum partita lucellum,
Ut canis à corio nunquam absterrebitur uncto.

Mulier si benefacere incœperit, ejus cito odium percipit; contra vero, si male quidpiam incœperit facere.

*Plautus in Truculento.*

Male quod mulier incœperit, nisi efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi senio est: ea illi miseræ miseria'st.

Si benefacere incœperit, ejus enim cito odium percipit:
Nimísque paucæ sunt defessæ malo quæ facere occœperint,
Nimísque paucæ efficiunt, siquid occœperint benefacere.
Mulieri nimio malefacere melius est onus, quàm bene.

Mulier, mala quæ fieri videt reticens, bona non est.

*Plautus in Persa.*

Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
Quæ reticet, si quid fieri pervorse videt.
Mulier mala voulntatem pro ratione habet.

*Juvenalis satyra 6.*

Pone crucem servo, meruit quo crimine servus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi.
Nulla unqnam de morte hominis contagio longa est.
Ac demens, ita servus homo est, nil fecerit, esto,
Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.
Imperat ergo viro.

Mulier malorum dux, nec non scelerum artifex esse dicitur.

*Seneca in Hippolyto.*

Sed dux malorum fœmina, & scelerum artifex,
Obsedit animos, cujus incestæ stupris
Fumant tot urbes, bella tot gentes gerunt,
Et versa ab imo regna tot populos premunt.

Mulier sævissima tunc esse dicitur, quum stimulos odio admovet pudor, nec non si repudiata fuerit.

*Juvenal satyra 10.*

—Mulier sævissima tunc est,
Quum stimulos odio pudor admovet.

*Ovid. lib. 2 de Arte amandi.*

Sed neque fulvus aper media tam sævus in ira est,
Fulmineo rab dos dum rotat ore canes.
Nec lea quum catulis lactantibus ubera præbet,
Nec brevi ignaro vipera læsa pede:
Fœmina quam socii deprensa pellice lecti
Ardet, & in vultu pignora mentis habet.
In ferrum, flammásque ruit, positoque decore

Fertur, ut Aonii cornibus icta dei,
Conjugis admissum, violataque jura mariti
Barbara per natos Phasius ulta suos.
Altera dira parens hæc est quam cernis, hirundo,
Aspice signatum sanguine pectus habet.
Hoc bene compositos, & firmos rumpit amores,
Crimina sunt cautis ista timenda viris.

*Seneca in Hercule Oeteo.*

O quam cruentus fœminas stimulavit dolor,
Quum patuit una pellici & nuptæ domus!
Scylla & Charybdis, Sicula contorquens freta
Minus est timenda, nulla non melior fera est.

Muliere nil pejus neque audacius.

*Plautus in Milite.*

Quid pejus muliere atque audacius? *q. d. nihil?*

Juvenibus nil illecebrosius muliere, vino, & nocte.

*Ovid. lib. 1. Elegia.*

Nox & amor, vinumque nihil moderabile suadent
Illa pudore vacat: Liber amorque metu.

*Plautus in Bacchidib.*

Illecibrosius fieri nihil potest nox, mulier, vinum,
Homini adulescentulo.

Muliere nihil miserius, cujus blanditia est viscus merus, illaqueans scilicet animam.

*Plautus in Bacchid.*

Miserius nihil est, quam mulier.
Viscus merus vestra est blanditia.

Muliere superba atque divite nihil intolerabilius.

*Juvenalis satyra 6.*

Malo Venusinam, quam te Cornelia mater,
Gracchorum si cum magnis virtutibus adfers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.

*Ibidem.*

Intolerabilius nihil est quam fœmina dives.

Mulieres ad ludos & choreas non aliter ruunt, quam apes ad flores, & formicæ ad cibum, ut spectentur simul & inspiciant.

*Ovid lib. 1. de Arte amand.*

Ut redit, itque frequens longum formica per agmen

Granifero ſolitum dum vehit ore cibum,
Aut, ut apes ſaltuſque ſuos, & olentia nactæ
Paſcua, per flores, & thyma ſumma volant.
Sic ruit in celebres cultiſſima fœmina ludos.
Copia judicium ſæpe morata meum eſt.
Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſæ.
Ille locus caſti damna pudoris habet.

Mulieres ad lacrymas proclives ſunt.

*Ovid. lib. 2. de Remed. amoris.*

Neve puellarum lacrymas movere caveto,
Ut flerent oculos erudiere ſuos.

*Idem lib. 3. de Arte amandi.*

Quo non ars penetrat, diſcunt lacrymare decenter;
Quóque volunt plorant tempore, quóque modo.

*Juvenalis. ſatyra. 1.*

Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride pejor.
Tunc ſimulat gemitus occulti conſcia facti.
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat.
Uberibus ſemper lacrymis, ſemperque paratis
In ſtatione ſua.

Mulieres dolis & audacia plenæ ſunt: nam ſi in culpa aliqua deprehenduntur, illico ad fraudes & convitia prorumpunt.

*Proper. lib. 2. eleg. 8. ad Amicam.*

Sed vobis facile eſt verba & componere fraudes.
Hoc unum didicit fœmina ſemper opus.

*Tibullus eleg. 4. lib. 3.*

Ah crudele genus, nec fidum fœmina nomen,
Ah pereat didicit fallere ſiqua virum.

*Juvenalis Satyra 6.*

---Nil eſt audacius illis
Deprenſis, iram atque animos à crimine ſumunt.

*Seneca in Hippolito.*

Deprehenſa culpa eſt, anime, quid ſegnis ſtupes?
Regeramus ipſæ crimen, atque ultro impiam
Venerem arguamus: ſcelere velandum eſt ſcelus.
Tutiſſimum eſt inferre, quum timeas gradum.

*Ibidem.*

Quid ſinat inauſum fœminæ præceps furor?
Nefanda iuveni crimina inſonti parat,
In ſcelere quærit crine lacerato finem.
Decus omne turbat, capitis humectat genas.

Inſtru-

Instruitur omnis fraude fœminea dolus,
Mulieres bonorum agendorum immemores sunt: malorum vero, nequaquam, quia ad malitiam proniores sunt.

*Plautus in Milite.*

Si quid faciendum est mulieri male, atque malitiose,
Ea sibi immortalis memoria est meminisse, & sempiterna.
Sin bene, aut quid fideliter faciendum sit, eo deveniunt.
Obliviosæ extemplo uti fiant, meminisse nequeunt.

*Terent in Hecyra.*

Proh Deum atque hominum fidem, quod hoc genus est? & quæ hæc conjuratio?
Ut omnes mulieres eadem æque studeant, nolintque omnia.
Neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio ullam reperies,
Itaque adeo uno animo omnes socrum oderunt nurus:
Vires esse adversas æque studium est, similis pertinacia:
In eodem omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam.
Mulieres dotatæ viros opprimunt, ut & supra eodem titulo dictum est: indodatæ vero sub viri potestate sunt.

*Plautus in Asinaria.*

Hæ sunt atque aliæ multæ in magnis dotibus
Incommoditates, sumptusque intolerabiles,
Nam quæ indotata est, ea est in potestate viri:
Dotatæ mactant & malo damno viros.
Mulieres gubernare continuus & maximus labor est, quia immoderatæ sunt cum in omnibus, tum vero maxime in cultu.

*Plautus in Pœnulo.*

Negotii sibi qui volet vim parare, navem & mulierem,
Hæc duo sibi comparato. Nam nullæ magis res duæ
Plus negotii habent: eas forte si exornare occœperis,
Neque unquam hæ duæ res satis ornantur, neque eis ulla satis

Ornandi satietas est, atque hæc uti loquar nunc modo
Docta dico. Nam nos usque ab aurora ad hoc quod est die,
Postquam illuxit aurora nunquam cessavimus ex industria
Ambæ lavari, atque fricari, aut tergeri, aut ornarier,
Poliri, expoliri, pingi, fingi, & binæ vna singulis
Quæ data nobis ancillæ, eæ nos lavando, eluendo operam
Dederunt, ab gerundáque aqua sunt viti defessi duo.
Apagesis negotii in muliere quantum una est? si vero duæ,
Sat scio maximo uni pupulo, quoi lubet, plus satis dare
Potes sunt, quæ noctes diesque in omni ætate semper
Ornantur, lavantur, tergentur, poliuntur. Postremo modus
Muliebris nullu'st, neque unquam lavando & fricando sumus saturæ:
Nam qua lauta est, nisi perculta est, meo animo quasi invenusta est.

*Terent in Heauton.*

Nosti mores mulierum, dum poliuntur, dum comuntur, annus est.

Mulieres prodigæ sunt, non cogitantes unde census vel minuatur vel augeatur.

*Juvenalis satyra 6.*

—Tamen utile quid sit.
Prospiciunt aliquando, frigusque famemque,
Formica tandem quidam expavere magistra,
Prodiga non sentit pereuntem fœmina censum.
Ac velut exhausta redivivus pullulet arca
Nummus, & è pleno semper tollatur acervo,
Non unquam reputat quanti sua gaudia constent.

Mulierem ornatus maxime crevit, ita ut quod addant ferre non habeant.

*Ovid. lib. 3. de Arte amandi.*

Sed neque ramosa numerabis in ilice frondes,
Nec quot apes Hyblæ, nec quot in alpe feræ,
Nec mihi tot cultus numero comprendere fas est,

Adjicit

Adjicit ornatus proxima quæque dies.
Fœmina caniciem germanis inficit herbis,
Et melior vero quæritur arte color.
Fœmina procedit densissima crinibus emptis,
Proque suis alios efficit ære suos.
Quid de veste loquar ? non jam segmenta requiro,
Nec quæ de Tyrio murice lana rubet.

*Juvenalis. satyra 3.*

Hic ultra vires habitus nitor, hic aliquid plus
Quam satis est, interdum aliena sumitur arca.
Commune id vitium est, hic vivimus ambitiosa
Paupertate omnes.

Mulieres infideles sunt.

*Catullus de muliere sua.*

Nulli se dicit mulier mea nuberemalle,
Quam mihi, non si se Jupiter ipse petat.
Dicit, sed mulier cupido quod dicit amanti
In vento, & rapida scribere oportet aqua.

*Titus Calphurn Eclog 3.*

Mobilior ventis, ô fœmina, sic tua Phillis,
Quæ sibi (nam memini) si quando solus abesses
Mella etiam sine te, jurabat amara videri.

*Ibidem.*

Credere pastores levibus nolite puellis.

Mulieres invincibilem vincere dicuntur,
ut de Hercule liquet.

*Ovid. Epist. lib 9. Heroid.*

Fama Pelasgiadas subito pervenit ad urbes,
Decolor, & factis inficianda tuis.
Quem nunquam Juno, seriesque immensa laborum
Fregerit, huic Iolen imposuisse jugum.
Plus tibi quam Juno nocuit Venus : illa premendo
Sustulit, hæc humili sub pede colla tenet.
Tene ferunt geminos pressisse tenaciter angues,
Quum tener in cunis jam Jove dignus eras ?
Cœpisti melius, quam desinis : ultima primis
Cedunt, dissimiles hic vir, & ille puer :
Quem non mille feræ, quem non Steneleius hostis
Non potuit Juno vincere, vicit amor.

*Seneca in Hercule furente.*

Fortem vocemus, cujus ex humeris leo
Donum puellæ factus & clava excidit,

Fulsitque pictum veste Sidonia latus ?
Fortem vocemus, cujus horrentes comæ
Maduere nardo ? laude qui notas manus
Ad non virilem tympani movit sonum
Mitra ferocem barbara frontem premens ?

*Idem in Hyppolyto.*

Natus Alcmena posuit sagittas,
Nec minax vasti spolium leonis,
Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis.
Crura distincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente socco :
Et manu clavam modo qua gerebat
Fila deduxit properante fuso.

*Propert. lib. 3. eleg de imperiis fœm.*

Quid mirare meam si versat fœmina vitam,
Et trahit ad dictum sub sua jura virum ?
Omphale in tantum formæ processit honorem,
Lydia Gygæo tincta puella lacu.
Ut qui pacato statuisset in orbe columnas,
Tam dura traheret mollia pensa manu.

Mulieres inconstantes sunt.

*Vergil. lib. 4 Æneid.*

Eia rumpe moras (variam, & mutabile semper
Fœmina.)

*Titus Calphurn. eclog. 3.*

Mobilior ventis, ô fœmina.

*Propert. lib. eleg. ad Amicam.*

Non sic incerto mutantur flumine Syrtes,
Nec folia hyberno tam tremefacta Noto,
Quam cito fœminea non constat fœdus in ira,
Sive ea causa gravis, sive ea causa levis.

*Tibullus Eleg. 4. lib. 3.*

Sed flecti poterit, mens est mutabilis illis,
Tu modo cum multa brachia tende fide.

Mulieres litigiosæ sunt in omnibus.

*Juvenalis satyr. 6*

Nulla fere causa est in qua non fœmina litem
Moverit, accusat Manilia si rea non est.
Componunt ipsæ pro se, formantque libellos.

*Propert. lib. 2. eleg. 6.*

Non sic incerto, &c. ut supra hac eadem pagina.

Mulie-

Mulieres nuptæ viro fideles esse, eumque timere debent, ut lex & jus jubent.

*Ovid. lib. 3. de Arte amandi.*

Nupta virum timeat, rata sit custodia nuptæ:
Hoc decet, hoc leges, jusque pudorque jubent.

Mulierum est ingenium, ut quum viri volunt, nolint, quum vero nolint, ultro cupiant.

*Terent. in Eunucho.*

Imo certe novi ingenium mulierum,
Nolunt ubi velis, ubi nolis cupiunt ultro.

Mulieres recte olent, ubi nihil olent.

*Plaut in Mustellaria.*

Mulier recte olet, ubi nil olet.

Mulieres naturaliter timidæ sunt Nam hanc passionem Deus (qui naturæ creator est) eis dedit, ut expugnari possent, malitia autem illas audaces reddit, ut supra eodem tit. osteusum est. Mulieres audacissimæ, &c.

*Seneca in Octavia.*

Mulier, dedit natura cui pronum malo
Animum ad nocendum, pectus instruxit dolis,
Sed vim negavit, ut ne inexpugnabilis
Esset, sed ægras frangeret vires timor.

Mulierum ira immitigabilis est.

*Juvenalis satyra 6.*

Credamus Tragicis quicquid de Colchide torva
Dicitur, & Progne: nil contra conor, & illæ
Grandia monstra suis audebant temporibus: sed
Non propter nummos, minor admiratio summis
Debetur monstris, quoties facit ira nocentem
Hunc sexum, & rabie jecur incendente feruntur
Præcipites: ut saxa jugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit.

*Propert. lib. 3. Eleg. ad Cythiam de Lycinna.*

At tu non meritam parcas vexare Lycinnam,
Nescit vestra ruens ira referre pedem.

Ob superius enarrata mulierum vitia, vitandæ sunt mulieres quoad ejus fieri potest, id quod & *Plautus* in *Sticko* indicat.

AN. Age tu altera utra sit conditio pensior,

Virginem, an viduam habere? PI. Quanta mea sapientia est,
E malis multis, malum quod minimum est, id minimum est malum.
Qui potest mulieres vitare, vitet ut quotidie.
Pridie caveat, ne faciat, quod se pigeat postridie.

Mulieres partus frequentes deformant, juventamque minuunt.

*Ovid. epist 3. de Arte amandi.*

Adde quod & partus faciunt breviora juventæ
Tempora: continua messe senescit ager.

Mulierem visio hominibus haud parum nocet.

*Vergil. lib. 3. Georg.*

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo
Fœmina.

*Propert. lib. 3. eleg.*

Qui videt, is peccat: qui non te viderit ergo
Non cupiet: fati crimina lumen habet.

---

## DE MUNDO.

Mundus æternus est, ut quidam Philosophi & Poetæ adserunt, principio ac fine carens, quorum opinionem falsam esse supra tit. de Deo, dictum est. Deus creator omnium, &c.

*Manilius lib. 1. Astronomiæ.*

Hæc æterna manet, divisque simillima forma,
Cui neque principium est usquam, nec finis in ipso,
Sed similis toto remanet, perque omnia par est.

*Ibidem.*

At manet incolumis mundus, suaque omnia versat,
Quæ nec longa dies auget, minuetque senectus,
Nec motus puncto curret, cursuque fatigat.
Idem semper erit, quoniam semper fuit idem.
Non alium videre patres, aliumve nepotes
Aspicient.

Mundus ordinate situs est.

*Manili. lib. 1. Astrono.*

Sed facies quæcunque tamen sub origine rerum
Convenit, & certo digestum est ordine corpus.

*Ibidem.*

Quicquid subduxit flammis natura, pepercit
Succubitura oneri: formas disjungere tantum
Contenta, & stellis ostendere sydera certis.
Linea designat species, atque ignibus ignes
Respondent, media extremis, atque ultima summis.

Mundus sphæricus cum partibus suis, scilicet principalibus quæ sunt cœlum, seu orbes, planetæ atque elementa quatuor.

*Manilius lib. 1. Astronom.*

Est igitur tellus mediam sortita cavernam
Aeris, & toto pariter sublata profundo,
Nec patulas distenta plagas, sed condita in orbem
Undique surgentem pariter, pariterque carentem.
Hæc est naturæ facies. Sic mundus & ipse
In convexa volans teretes facit esse figuras
Stellarum, Solisque orbem Lunæque rotundum, &c.

Mundi annihilatio veniet, vel mundus in chaos resolvetur secundum quosdam.

*Lucanus lib. 1. bel. civil.*

—Sic cum compage soluta
Secula tot mundi suprema coegerit hora.
Antiquum repetens iterum chaos omnia mixtis
Sydera syderibus concurrent, ignea pontum
Astra petent, tellusque extendere littora nolet,
Excutietque fretum fratri contraria Phœbo
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata diem poscet sibi, totaque discors
Machina divulsi turbabit fœdera mundi.

*Seneca in Octavia.*

Qui sese nescit tantus in cæcum chaos
Casurus iterum.

Mundus autem secundum veritatem, non quoad essentiam annihilabitur, sed quoad orbium motus, operationesve omnium inferiorum. Vide tit. Judicii dies, &c.

## DE MUNERIBUS.

Munera hodie magis diliguntur quam scientiæ.

*Ovid. lib. 2. de arte amandi.*

Carmina laudantur, sed munera magna petuntur:
Dummodo sit dives barbarus, ille placet.

*Idem. lib. 2. eleg.*

Qui dabit, ille tibi magno sit major Homero:
Crede mihi, res est ingeniosa dare.

*Idem lib. 2. de Arte amand.*

Ipse licet venias Musis comitatus, Homere,
Si nihil attuleris, ibis, Homere foras

Munera non homines tantum, sed et Deos placare dicuntur.

*Ovid. lib. 2. de Arte amand.*

Munera (crede mihi) placant hominesque deosque,
Placatur donis Jupiter ipse datis.
Quid faciet sapiens? stultus quoque munere gaudet,
Ipse quoque accepto munere mitis erit.

Munera magnates etiam ac potentes illaqueant.

*Horatius. Oda. 16. lib.*

Et diffidit urbium
Portas vir Macedo, & subruit æmulos.
Reges muneribus, munera navium
Sævos illaqueant duces.

*Owen.*

Quid non argento? quid non corrumpitur auro?
Qui majora dabit munera victor erit.

Munera divitibus etiam à pauperibus elargiuntur, quibus tamen æquius erat elargiri.

*Terentius in Phormione.*

Quam inique comparatum est, qui minus habent
Ut semper aliquid addant divitioribus.

*Martialis lib. 5 Epigram.*

Semper eris pauper, si pauper es Æmiliane:
Dantur opes nullis nunc, nisi divitibus.

Munera à divitibus extorquenda sunt.

*Ovid. lib. 1. eleg.*

Nec tamen indignum est à divite præmia posci.
Munera poscenti quæ dare possit, habet.
Carpite de plenis pendentes vitibus uvas;
Præbeat Alcinoi poma benignus ager.

Munera preciosiora & acceptiora habentur, si à splendido viro elargiantur.

*Ovid. lib. 4 de Ponto.*

Multiplicat tamen hunc gravitas auctoris honores,
Et majestatem res data dantis habet.

*Idem Epist. 6 Heroid.*

—Sic acceptissima semper
Munera sunt, auctor quæ pretiosa facit.

Munera danti prodesse dicuntur.

*Ovid lib. 3. de Ponto.*

Dignus es argento, fulvo quoque dignior auro,
Sed te, quum donat ista, juvare solent.

*Owen*

Quod datur æternum durat, sequiturqe datorem
Dantem & captantem munus utrumque juvat.

---

## DE MUTUO.

Mutuo dans aliquid, aut amicum, aut rem perdere necesse erit ob summam hominum malitiam hujus seculi.

*Plautus in Trinummo.*

Si quis mutuum quid dederit, fit pro proprio perditum.
Quoniam repetas, inimicum amicum beneficio invenis tuo.
Si mage exigere cupias, duarum rerum exoritur optio:
Vel illud quod credideris, perdas, vel illum amicum amiseris,
—Nam ego talentum mutuum
Quod dederam, talento inimicum mihi emi, amicum vendidi.

Mutuum si quis, ut decet, reddit, ei magna habenda est gratia.

*Terentius in Phormione.*

Presertim ut nunc sunt mores eo res rediit:
Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.

Prodigiosa est fides si etiam depositum reddatur.

*Juvenalis satyra 13.*

Nunc si depositum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem,
Prodigiosa fides, & Thuscis digna tabellis,
Quæque coronata lustrari debeat agna.



N

## DE NATURA.

Natura renovatrix rerum dignissima est.

*Ovid. lib. 15. Metamorph.*

Nec species sua cuique manet, rerumque novatrix
Ex aliis alias reparat natura figuras.

Natura potentior est arte simpliciter, à qua tamen aliquoties adjuvatur, ut ante à nobis dictum est, Ars naturæ, &c.

*Ovid lib. 9 Metamorph.*

Huc licet è toto solertia confluat orbe,
Ipse licet revolet ceratis Dædalus alis,
Quid faciet? num me puerum de virgine doctis
Artibus efficiet? num te mutabit Ianthe?
Diique mihi faciles quicquid valuere dederunt.
Quodque ego, vult genitor, vult ipse socerque futurus:
At non vult natura potentior omnibus istis.

Natura ad diversa homines inclinat, & unusquisque semina suæ sequitur naturæ.

*Horat de arte Poetica.*

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum, juvat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum mœrore gravi deducit, & angit,
Post adfert animi motus interprete lingua.

*Propertius lib. 3. eleg. 9.*

Sunt quibus Elææ concurrit palma quadrigæ,
Sunt quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis,
Naturæ sequitur semina quisque suæ.

*Persius satyra. 5.*

Mille hominum species, & rerum discolor usus,
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana cumini.
Hic satus irriguo mavult turgescere somno.

Hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille
In venerem putris.

Natura (id est, Deus qui naturæ autor est) beatis omnibus esse dedit, siquis ejus donis uti cognoverit.

*Claud. lib. 1. in Ruffin.*

Vivitur exiguo melius. Natura beatis
Omnibus esse dedit, siquis cognoverit uti.
Hæc si nota forent, frueremur simplice cultu.
Classica non fremerent, non stridula fraxinus iret,
Non ventus quateret puppes, non machina muros.

Natura paucis minimisque contenta est.

*Juvenalis satyra. 24.*

—Mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam;
In quantum sitis atque fames & frigora poscunt,
Quantum Epicure tibi parvis suffecit in hortis,
Quantum Socratici cœperunt ante penates.
Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicet.

*Lucan. lib. 4. bel. civil.*

Discite quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat, non eriget ægros
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus,
Non auro, myrrhaque bibunt: sed gurgite puro
Vita redit, satis est populis fluviusque Ceresque.

Ea quæ natura nobis insevit non facile relinquuntur.

*Juvenalis satyra 13.*

—Tamen ad mores natura recurrit,
Damnatos, fixa & mutari nescia.

*Horat. lib. 1. epist. ad Fuscum.*

Naturam expellas furca, tamen usque recurrit,
Et male perrumpet furtim fastigia victrix.

*Idem satyra 7. lib. 2.*

—Tolle periclum,
Jam vaga prosil et frenis natura remotis.

*Idem lib. 1. Epist ad Lollium.*

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

*Claud in Eutrop lib. 2.*

—Ad mores facilis natura reverti.

# DE NAVIGATIONE.

Navigantes ad mortem accedere dicuntur.

*Ovid. lib. 2. de fine rit.*

Navita solicitus quoque ventos horret iniquos,
Et prope tam lethum, quam prope cernit aquam.
Quod si concussas Triton exasperat undas,
Quin ibi nunc tota est nullus in ore color:
Tu fœcunda voces generosæ sydera Ledæ,
Et fœlix dicas, quem sua terra tenet.

*Horat. Oda 3. lib. 1.*

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti.

*Ibidem.*

—Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

*Juvenalis 12. satyra.*

I nunc, & ventis animam committe dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut septem: si sit latissima teda.

*Seneca in Medea.*

Audax nimium qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrásque suas post terga videns,
Animam levibus credidit auris,
Dubiaque secans æquora cursu
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortisque vias,
Nimium gracili limite ducto.

*Terentius in Hecyra.*

Non Hercle verbis Parmeno dici potest
Tantum quam re ipsa, navigare incommodum est:
PAR. Itane est? SOS. O fortunate, nescis, quid mali
Præterieris, qui nunquam es ingressus mare.
Nam alias ut omittam miserias, unam hanc vide,
Dies triginta aut plus eo in nave fui.
Quum interea semper mortem expectabam miser:

Ita usque adversa tempestate usi sumus.

Ad navigandum lucri cupiditas homines impellit.

*Tibullus eleg. 9. lib 1.*

Lucra perituros freta perque patentia ventis
Ducunt instabiles sydera certa rates.

*Propertius lib. 3. eleg. 7. de morte Pæti.*

Ite rates curvæ, & lethi quoque texite causas,
Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat, terris adjecimus undas,
Fortunæ miseras auximus arte vias,
Anchora te teneat, quem non tenuere penates?
Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est quodcunque paras, haud ulla carina
Consenuit: fallit portus & ipse finem.

Navigare qui primo cœpit, is negatas à natura vias, arte præbuit.

*Claud. in præfa. lib. 1 de rapt. Proserp.*

Inventa secuit primus qui nave profundum,
Et rudibus remis sollicitavit aquas;
Qui dubiis ausus committere flatibus alnum,
Quas natura negat, præbuit arte vias:
Tranquillis primum trepidus se credidit undis.
Littora securo tramite summa legens.
Mox longos tentare sinus, & linquere terras,
Et leni cœpit pandere vela Noto.
Ast ubi paulatim præceps audacia crevit,
Cordáque languentem dedidicere metum,
Jam vagus irrupit pelago, cœlumque sequutus
Ægæas hyemes, Ioniumque domat.

Navigantes naufragium ne patiantur, optimas pretiosasque res abjiciunt, ut Catullus fecisse dicitur à *Juvenale. satyra* 12.

Accidit & nostro similis fortuna Catullo,
Quum plenus fluctu medius foret alveus & jam
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertæ, nullam prudentia cani
Rectoris conferrit opem, decidere jactu
Cœpit cum ventis, imitatus castora, qui se
Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno
Testiculorum adeo medicatum intelligit inguen.
Fundite quæ mea sunt, dicebat cuncta, Catullus,

Præ-

Præcipitare volens etiam pulcherrima vestem
Purpuream, teneris quoque Mœcenatibus aptam.

## DE NECESSITATE.

Quod mutari non potest, ac fieri necesse est, id æquo animo ferendum est,

*Terentius in Adelphis.*

Placet tibi factum Mitio? MI. Non si queam
Mutare; nunc quum nequeo, æquo animo fero.

*Ausonius in Periandri senten.*

Faxis ut libeat quod necesse est.

Necessitas moras recusat.

*Silius Italicus lib 7. bel. Pun.*

—Moras extrema recusant.

Necessitas omnia rapit.

*Horat. Oda 3. lib. 1.*

—Æqua lege necessitas
Sortitur insignes & imos.
Omne capax movet urna nomen

Necessitas nedum homines, sed & animalia ingeniosa facit.

*Manilius lib. 1. Astronomicon.*

Sed quum longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemque
Advigilare sibi jussit fortuna premendo,
Seducta in varias certarunt pectora curas,
Et quodcunque sagax tentando repperit usus.

*Persius in satyrarum proœmio.*

Quis expedivit Psittaco suum χαῖρε,
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis ingeniique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.

## DE NOBILITATE.

Nobilitas generis improbo ac desidioso non prodest

*Ovid. Epist. 1. Heroid.*

Quid juvat admota per avorum nomina cœlo
Inter cognatos posse referre Jovem?

*Idem ad Pisonem.*

Nam

Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis,
Atria quid pleni numeroso consule fasti
Profuerint, si vita labat? perit omnis in illo
Gentis honos, cujus laus est in origine sola.

*Juvenalis satyra 8.*

Stemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longa
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Quis fructus generis tabula jactare capaci,
Famosos equitum cum dictatore magistros,
Si coram Lepidis male vivitur?

*Ibidem.*

—Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere & præclaro nomine tantum
Insignis? Nanum cujusdam Atlanta vocamus,
Æthiopem cygnum, parvam extortamque puellam
Europen, canibus pigris scabiéque vetusta
Levibus, & siccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit pardus tigris leo, siquid adhuc est
Quod fremit in terris violentius, ergo cavebis
Et metues, ne tu sis Creticus aut Camerinus.

Nobilem fieri pulchrius est, quam nasci.

*Juvenalis 6. satyra.*

Malo Venusinam, quam te Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus adfers
Grande supercilium & numeras in dote triumphos.

*Ausonius in Solonis senten.*

Pulchrius multò parari, quam creari nobilem.

Genus laudans suum, aliena, non sua laudat atque extollit.

*Ovid. lib. 13. Metamorph.*

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

*Seneca in Hercule furente.*

—Qui genus jactat suum,
Aliena laudat.

Nobili genere nati si male vivant, seipsos suumque genus deturpant.

*Horat. Oda 4. lib 4.*

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant;
Utcunque defecere mores

Dedeco-

Dedecorant bene nata culpæ.

*Juvenalis satyra 8.*

Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
Vendit, accerse comes, si nullum in conjuge crimen:
Nec per conventus, nec cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celeno
Tunc licet à Pico numeres genus, altáque si te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter majorésque ipsum Promethea ponas.
De quocunque voles proavum tibi sumito libro.
Quod si præcipitem rapit ambitus atque libido,
Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secureis,
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.
Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

*Plautus in Milite.*

Qui bono sunt genere nati ingenio malo
Suapte culpa de genere capiunt genus : ingenium improbant.

*Lucan. ad Pis.*

—Perit omnis in illo
Nobilitas cujus laus est in origine sola.

Nobiles naturaliter æque sunt omnes, neque ullus degener est, nisi vitiis qui deditus est.

*Boetius Metro 6. lib. 3.*

Quid genus & proavos strepitis?
Si primordia vestra
Auctoremque deum spectes,
Nullus degener extat,
Ni vitiis pejora fovens
Proprium deserat ortum.

Nobilem superbum esse non decet.

*Persius satyra 3.*

—An deceat pulmonem rumpere ventis
Stemmate quod Thusco ramum millessime ducis,
Censorémve tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleres ego te intus & in cute novi.

Nobil

Nobilis ad misericordiam pronior est, quam rusticus.

*Ovid. lib. 3. de Tristib.*

Quo quisque est major, magis est placabilis ira,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Pugna suum finem, quum jacet hostis, habet:
At lupus & turpes instant morientibus ursi,
Et quæcunque minor nobilitate fera est.
Majus apud Trojam forti quod habemus Achille?
Dardanii lacrymas non tulit ille senis.
Quæ ducis Æmathii fuerit clementia Pharos,
Præclarique docent funeris exequiæ.

*Claudianus Epig. satisfactionis apud Hadrianum.*

Prætereunt subjecta feræ, torvique leones,
Quæ stravisse valent, ea mox prostrata relinquunt,
Nec nisi bellantis gaudent cervice juvenci.

---

## DE NOCTE.

Noctis discriptio lepidissima, quæ laborum quies necnon curarum mater esse dicitur

*Valer. Flac. lib. 5. Argonaut.*

Nox hominum genus, & duros miserata labores
Retulerat fessis optata silentia rebus.

Nocte latent mendæ.

*Ovid. lib. 1. de arte amandi.*

Indicio formæ noxque morumque nocet.

*Ibidem.*

Nocte latent mendæ, vitióque ignoscitur omni,
Horaque formosam quamlibet illa facit,
Consule de gemmis, de tincta murice lana,
Consule de facie corporibusque diem.

*Idem lib. 4. Fastor.*

Jam color unus inest rebus, tenebrisque teguntur
Omnia, jam vigiles conticuere canes.

Nox carnaliter amantibus nil moderabile suadet.

*Ovid. lib. 1. eleg.*

Nox, & amor, vinumque nihil moderabile suadent:
Illa pudore vacat, Liber, Amorque metu.

Plaut.

*Plaut. in Bacchid.*

Illecebrosius fieri nihil potest nox, mulier, vinum,
Homini adolescentulo.

*Propertius. lib 3. Eleg. ad Bacchum.*

Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,
Spesque timóque animo versat utroque modo.

---

## DE NOVITATE.

Novitas gratissima est in re omni fere.

*Ovid lib. 3. de Ponto.*

Est quoque cunctarum novitas gratissima rerum.

*Titus Calphurnius Eclogâ 7.*

Vilia sunt nobis quæcunque prioribus annis
Vidimus, & sordet quicquid spectavimus olim.

Nova sunt veteribus ac detritis meliora.

*Ovid. lib. 4. de Tristib.*

Fortior in fulva novus est luctator arena,
Quam cui sunt tarda brachia fessa mora.
Integer & melior nitidus gladiator arenis,
Quam cui tela suo sanguine tincta rubent.
Fert bene præcipites navis modo facta procellas:
Quamlibet exiguo solvitur imbre vetus.

Res nova varios eventus habet.

*Cornelius Gallus.*

Eventus varios res nova semper habet.

Nova inquirentes summopere fugienda sunt. Nam plerumque sunt garruli, nec commissa fideliter retinent.

*Horat. lib. 1 Epist. ad Lollium.*

Percontatorem fugito, nam garrulus idem est,
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures.

Nihil in orbe novum.

*Owen.*

Antiquata viget novitas, renovata vetustas
Nascitur & veteres nunc novitate placent.

*Sidon.*

Nil natura novat, sed sunt eadem omnia semper.

## O.

# DE OBEDIENTIA.

Obedientiæ filiorum erga parentes, intimatio notabilis.

*Plautus in Trinummo.*

Pater adsum.
Impera quid vis, neque tibi ero in mora, neque latebrose me abs tuo
Conspectu occultabo.

*Terentius in Andria.*

Neque isthic, neque alibi, usquam erit in me mora.

Obedire filii, hilariterque, quod decet, parentibus peragere debent.

*Plautus in Trinummo.*

Feceris par tuis cæteris factis, patrem
Tuum si percoles, per pietatem nolo ego cum improbis te viris,
Gnate mi, neque in via, neque in foro ullum sermonem exequi.

*Terentius in Andria.*

—Facis ut te decet,
Quum isthoc, quod postulo, impetro cum gratia.

Obediendum est parentibus tantum in bonis, necnon bene præcipientibus, at non è contra.

*Plautus in Sticho.*

AN. Certumne est neutram vestrarum persequi imperium patris?
PIN. Persequimur, nam quo dedisti nuptam abire nolumus.
AN. Curate igitur familiarem, ut potestis optume.
PAN. Nunc placet, quum recte monstras ; nunc tibi auscultabimus.

*Olympius Nemesianus Eclog. 1.*

Et parere decet jussis & grata jubentur.

Magistris

Magistris & præceptoribus obediendum esse, exemplo notabili docet.

*Martialis lib. 1. Epig.*

Læserat ingrato leo perfidus ore magistrum:
Ausus tam notas contaminare manus:
Sed dignas tanta presolvet crimine pœnas,
Et qui non tulerat verbera, tela tulit.

*Ovid lib. 1. de Arte amandi.*

Phillyrides puerum citharæ præfecit Achillem,
Atque animos molli contudit arte feros.
Qui toties socios, toties exterruit hostes,
Creditur annosum pertimuisse senem.
Quas Hector sensurus erat, poscente magistro,
Verberibus jussas præbuit ille manus.

## DE OBLIVIONE.

Lethes fluvius infernalis ab animalibus gustatus oblivionem inducere dicitur.

*Vergil lib. 6. Æneid.*

Has omnes ubi mille rotam voluere per annos
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno,
Scilicet immemores supera ut connexa revisant
Rursus.

*Silius Italic lib. 13. bel. Pun.*

——Sacro certamina fonti
Lethæos potat latices oblivia mentis
Extrema, hinc auro fulgens jam lucis honorem
Sentit, & admota splendet ceu sydere lunæ.
Hac animæ cœlum repetunt, ac mille peractis
Oblitæ ditem redeunt, in corpora lustris.

Non facile oblivioni traduntur quæ quis diu didicit.

*Seneca in Troade.*

Dediscit animus sero, quod didicit diu.

Oblivisci neque nocuisse hominibus mos est, cujus nihil sit faciunda gratia.

*Plautus in Captivis.*

——Mos est oblivisci hominibus,
Neque novisse cujus nihili sit faciunda gratia.

Oblivisci amici alicujus non valentis expressio.

*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

Non ego, si biberes securæ pocula lethes,
Excidere hæc credam pectore posse tuo.

*Ibidem.*

Nec Babylon æstus, nec frigora Pontus habebit,
Calthaque Pæstanas vincet odore rosas,
Quam tibi nostrarum veniat oblivio rerum,
Non ita pars fati candida nulla mei est.

Reliqua exempla è tit. de impossibili pete.

---

## DE OBSEQUIO.

Obsequium amicos parit.

*Terentius in Andria.*

—Namque hoc tempore
Obsequium amicos, veritas odium parit.

Obsequio vincuntur & domantur omnia.

*Ovid. lib. 2. de arte amandi.*

Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus:
Franges si vires experiere tuas:
Obsequio tranantur aquæ: nec vincere possis
Flumina, si contra, quam rapit unda, nates.
Obsequium tigresque domat, tumidosque leones,
Rustica paulatim taurus aratra subit.

---

## DE OCCASIONE.

Occasionis descriptio elegans.

*Ausonius in Epig. simulacri Occas.*

Cujus opus? Phidiæ, qui signum Pallados, ejus
Quique Jovem fecit, tertia palma ego sum.
Sum dea quæ rara & paucis occasio nota.
Quid rotulæ insistis? stare loco nequeo.
Quid talaria habes? volucris sum, Mercurius quæ
Fortunare solet, tardo ego quum volui.
Crine tegis faciem? cognosci nolo. Sed heus tu,
Occipiti calvo es, ne tenear fugiens.
Quæ tibi juncta comes? dicat tibi. Dic rogo quæ sis;
Sum dea cui nomen nec Cicero ipse dedit.
Sum dea, quæ facti, non factique exigo pœnas,
Nempe, ut pœniteat, sic Metanœa vocor.

Tu

Tu modo dic, quid agat tecum? si quando volavi,
Hæc manet, hanc retinent quos ego præterii,
Tu quoque dum rogitas, dum percunctando moraris,
Elapsam dices me tibi de manibus.

*Plautus in Persa.*

Virtus est, ubi occasio admonet, dispicere.

---

# DE OTIO.

Otium summopere fugiendum est, quia multorum malorum causa est.

*Catullus ad Lesbiam.*

Otium, Catulle, tibi molestum est,
Otio exultas, nimiumque gestis:
Otium reges prius & beatas
Perdidit urbes.

Vide de hac re tit. De Amore. Amor carnalis otio, &c.

Otio mentis ac corporis virtus corrumpitur, necnon minuitur.

*Ovid. lib. 1. de Ponto.*

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium, ni moveantur, aquæ:
Et mihi siquis erat dicendi carminis usus,
Deficit, estque minor factus inerte situ.

Otia mentem variam assidue præbent.

*Lucanus lib. 1. bel. civil.*

—Variam semper dant otia mentem.

Ex otio plus negotii, quam ex negotio habemus.

*Ennius in Iphigenia.*

Otio qui nescit uti, plus negotii habet,
Quam quum est negotium in negotio;
Nam cui quid agat institutum est, nullo negotio id agit.
Studet ibi, mentemque animumque delectat suum.
Otioso initio animus nescit quid velit.
Hoc idem est enim, neque domi nunc nos, neque militiæ sumus
Imus huc, hinc illuc: quum illuc ventum est, ire illinc lubet.

Incerte erratamimus, præter propter vitam vivitur.
Hoc est propter aliam causam vivitur, quam ut vivatur: utpote propter laudem, propter virtutem, &c.
Hos versus cum ob sermonis elegantiam, tum vero maxime, ad adolescentulorum ignaviam minuendam, libuit huc adscribere.

Otium moderatum corpori & animo prodest, immoderatum vero nocet.

*Ovid. lib. 1. de Ponto.*

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis,
Immodicus contra carpit utrumque labor.

---

## DE OFFICIO.

Officium bene exequi atque perficere sapientis est, e contra vero stulti.

*Horat. lib. 2. satyra 3.*

Si male rem gerere insani, contra bene, sani est.

Officium tempore congruo conficere qui vult, vigilare illum oportet.

*Plautus in Rudente.*

—Vigilare decet hominem.
Qui vult sua tempori conficere officia.
Nam qui dormiunt libenter, sine lucro, & cum malo quiescunt.

Parentes decet consuefacere filios, ut amore potius quam timore recte faciant.

*Terentius in Adelphis.*

oc patrium est, potius consuefacere filium,
a sponte recte facere quam alieno metu,
ec pater & dominus interest, hoc qui nequit,
ateatur nescire se imperare liberis.

Officium conjugis est ipsa sedulitate amicos omnes vincere.

*Ovid. lib. 3. de Ponto.*

ectore te toto, [illegible] incumbere nervis,
Et [illegible] pro me [illegible] dicere decet.
tque [illegible] debes vincere amicos
Uxor & ad partes prima venire tuas.

Officium [illegible] est, ut veridicus sit atque fidelis.

*Propert. lib. 3. eleg. ad Lygdamum servum.*

Omnis

Omnis enim debet sine vano nuntius esse,
Majoremque timens servus habere fidem.

Judicis officium est, non tantum res, sed & tempora perscutari. Supra de judicio.

---

## DE ONERE.

Onus sit leve ferendo bene.

*Ovid. lib. 1. eleg. sive Amor.*

Cedimus? an subitum luctando accendimus ignem?
Cedamus, leve fit quod bene fertur, onus
Vidi ego jactatas mota face crescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.
Verbera plura ferunt, quam quos juvat usus aratri,
Detrectant pressi dum juga prima boves;
Asper equus duris contunditur ora lupatis:
Fræna minus sentit, quisquis ad arma facit.

Onus cui impar sis ne subiveris.

*Propertius eleg. 9. lib. 3.*

Turpe est quod nequeas capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex equo ducitur ulla jugo.

Onus ut sustineas nitendum recto vertice.

*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

Sustineas ut onus nitendum est vertice recto,
At flecti nervos si patiare, cades.

---

## DE OPERIBUS.

Opera nostra à Deo dependens, quia illo nolente nihil agere possumus.

*Lucanus lib. 3. bel civil.*

Hæremus cuncti superis, temploque tacente
Nil agimus nisi sponte Dei.

*Ovid lib 1, Fastorum.*

Ingenium vultu statque caditque tuo.

Non parum interest naturæ instinctu operari, & de industria.

*Terentius in Andrea.*

Paululum interesse censes, ex animo hæc omnia,
Ut fert natura, si facias, an de industria?

Nullum

Nullum opus est tam facile, quin difficile fiat, si invitus id facias.

*Terentius in Heauton.*

Nulla est tam facilis res, quin difficilis fiet
Si invitus facias.

Opera bona animum operanti addunt.

*Valer. Flac lib. 2. Argon.*

—Stabilem quando optima facta
Dant animum: majorque piis audacia cœptis.

Ad operandum bona exhortatio.

*Ovid. lib. 13. Metamorph.*

Denique quid verbis opus est? spectemur agendo.

*Idem lib. 1. de Arte amandi.*

Reddite depositum, pietas sua fœdera servet,
Fraus absit, vacuas cædis habete manus.

*Idem lib. 2. de Arte amandi*

Quum mora non tuta est, totis incumbere remis
Utile, & admisso subdere calcar equo.

In operis alicujus initio Dei auxilium implorandum est potissimum, idque aliorum exemplo.

*Ovid. lib. 1 Metamorph.*

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora, dii cœptis (nam vos mutastis & illas)
Aspirate meis, primaque ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

*Ibidem.*

—Placuit cœleste placari
Numen, & auxilium per sacras quærere sortes.
Atque ita, si precibus, dixerunt, numina justis
Victa remollescunt, si flectitur ira deorum,
Dic Themi, qua generis damnum reparabile nostri
Arte sit, & mersis fer opem mitissima rebus.

*Idem 1. Fastorum*

Annue conanti per laudes ire tuorum,
Deque meo pavidas excute corde metus.
Da mihi te placidum, dederis in carmine vires,
Ingenium vultu statque caditque tuo.

Opera eximia difficiles ortus habent.

*Mantuan.*

Omne quod excellens opus eximiumque futurum est
Difficiles ortus habet, incrementaque tarda.

# DE ORATIONE.

Oratio illa est irrita, quæ non fit Deo.

*Paulinus ad Ausonium.*

Quæ non missa Deo vacuis in nubibus hærent,
Nec penetrant superi stellantem regis in aulam.

Quid potissimum sit orandum.

*Juvenalis satyra 10.*

Attamen ut poscas aliquid, voveasque sacellis
Exta, & candiduli divina tomacula porci,
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posco animum mortis terrore carentem,
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscunque labores:
Nesciat irasci, cupiat nil, & potiores
Herculis ærumnas credat, sævosque labores
Et Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali.
Monstro quod ipse tibi possis dare, semita certe
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.

Orandus est Deus, ut ea, quæ homines medocriter possident, conservet, non ut vitam & opes conferat, quæ carnalium hominum prima vota sunt.

*Horat lib. 1 epist. ad Lollium.*

—Quid credas amice precari?
Sit mihi quod nunc est, etiam minus, ut mihi vivam
Quod superest ævi, si quid superesse volunt dii.
Sed satis est orare Jovem qui donat & aufert,
Det vitam, det opes, æquum mi animum ipse parabo.

*Juvenalis satyra 10.*

Prima fere vota, & cunctis notissima templis
Divitiæ crescant, ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro.

*Ibidem,*

Da spatium vitæ, multos da Jupiter annos.
Hoc recto vultu, solum hoc, & pallidus optas.

Oratio Deum ad misericordiam sæpe inducit.

*Vergil. lib. 4 Georg.*

—Auditque vocatus Apollo.

*Ovid. lib. de arte amandi.*

Hectora donavit Priamo prece motus Achilles;

Flecti

Flectitur iratus voce rogante Deus.

*Martialis lib. 8. Epigram.*

Et Dominum mundi flectere vota valent.

Orationes bonorum ac justorum hominum exaudibiles sunt, impiorum vero minime.

*Plautus in Rudente.*

Supplicii facilius pius a diis supplicans,
Quam qui scelestus est, inveniet veniam sibi.

Precatio ad Deum, ut cultores suos honoret.

*Ovid. lib. 8. Metamorph.*

Cura Deum dii sunt, & qui coluere colantur.

Oratio ad Deum ob sapientiæ acquisitionem.

*Boetius metro 9 lib. 3.*

Da pater augustam menti conscendere sedem,
Da fontem lustrare boni, da luce reperta
In te conspicuos animi defigere visus,
Disjice terrenæ nebulas & pondera molis,
Atque tuo splendore mica, tu namque serenum,
Tu requies tranquilla piis.

Oratio ad Deum, ad misericordiæ, auxiliique implorationem accommodata.

*Vergil. lib. 2. Æneid.*

Jupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Aspice nos hoc tantum: & si pietate meremur,
Da deinde auxilium.

*Seneca in Hercule furente.*

O magne Olympi rector, & mundi arbiter,
Jam statue tandem gravibus ærumnis modum,
Finemque cladi: nulla lux unquam mihi
Secura fulsit: finis alterius mali
Gradus est futuri.

*Et iterum.*

Votum secundet qui potest nostrum Deus,
Rebus lassis adsit.

Oratione blanda homines etiam præfracti vincuntur.

*Tibullus lib. 4. eleg. 3.*

Ergo ne dubites blandas adhibere querelas,
Vincuntur molli pectora dura prece.

Orationis importunæ castigatio.

*Terentius in Andria.*

Vides quam iniquus sis præ studio: dum id efficias quod cupis,
Neque modum benignitatis, neque quid me ores cogitas;
Nam si cogites, remittas jam me onerare injuriis.

## DE ORNATU.

Nihil magis exornat mulierem, quam boni mores.

*Plautus in Mustellaria.*

Mulier recte olet ubi nihil olet.
Postea. nequicquam ornata est bene, si morata est male.

*Idem in Pœnulo.*

Pulchrum ornatum turpes mores pejus cœno collinunt.
Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.

*Ibidem.*

Bono ingenio me esse ornatam, quam auro multo ma-volo.
Aurum in fortuna invenitur, natura ingenium bonum.
Bonam ego, quam beatam me esse nimio dici mavolo.
Meretricem pudorem gerere magis decet quam purpuram.
Magis quidem meretricem pudorem, quam aurum gerere condecet.

Mulierem ornatus ac cultus detestatio.

*Propert. lib. 2. Eleg. ad Cynthiam.*

Quid juvat ornato procedere vitta capillo,
Et tenues Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha,
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturæque decus mercator perdere vultu,
Non sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non ulla tuæ medicina figuræ est,
Nudus amor formæ non amat artificem.

*Ovid. de faciei medicam.*

At vestræ teneras matres peperere puellas,
Vultus in aurata corpora veste tegi:

Vultis adornatos positis variare capillos,
Conspicuas gemmis vultis habere manus.
Induitis collo lapides oriente petitos,
Et quantos onus est aure tulisse duos.

*Terentius in Heauton.*

Nosti mores mulierum, dum poliuntur, dum comuntur
Annus est.

Mulierem ornatus homines decipit.

*Ovid. 2. de remed amor.*

Auferimur cultu: gemmis, auroque teguntur
Omnia, pars nimia est ipsa puella sui;
Sæpe ubi sit quod ames inter tam multa requiras,
Decipit hac oculos Ægide dives amor.

De mulierum necnon virorum ornatu vide loc. de mulierib. & loc. de viris.



P

# DE PACE.

Pacis encomium & commoda.

*Tibullus eleg. 10. lib 1.*

Interea pax arva colat, pax candida primum
Duxit araturos sub juga curva boves:
Pax aluit vites, & succos condidit uvæ,
Funderet ut nato testa paterna merum.
Pace bidens vomerque vigent, at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.
Rusticus è lucoque velit male sobrius ipso
Uxorem plaustro, progeniemque domum.

*Ovid 2. Fastor.*

Sub juga bos veniat, sub terras semen aratas.
Pax Cererem nutrit, pacis alumna Ceres.

Pace in hac vita nihil melius utiliusve est.

*Silius Italic. lib. 11. bel Pun.*

—Pax optima rerum.
Quas homini novisse datum est, pax una triumphis
Innumeris potior, pax custodire salutem,

Et cives æquare potens.

*Prudent. Psychom.*

Sidera pace vigent, consistunt terrea pace,
 Nil placitum sine pace deo.

Pacis invocatio ac commendatio lepidissima.

*Ovid. lib. 1. Fastor.*

Frondibus Actiacis comptos redimita capillos.
 Pax ades, & toto mitis in orbe mane.
Dum desunt hostes, desit quoque causa triumphi:
 Tu ducibus bello gloria major eris.

Pax homines decet, ira vero feras.

*Ovid. lib 3. de arte amandi*

Candida pax homines trux decet ira feras.

Pacificus quietusque in hac vita esse potest is, qui velocis ævi memor est, atque tempora nunquam reditura tenet, id est, cogitat.

*Seneca in Hercule furente.*

—Novet paucos
Secura quies, qui velocis
Memores ævi, tempora nunquam
Reditura tenent.

---

## DE PARENTIBUS.

Parentes amore potius ad bonum assuefacere debent filios quam timore: nam amor filiorum est, timor vero servorum.

*Terentius in Adelphis.*

Hoc patrium est potius consuefacere filium
Sua sponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater nescire se imperare liberis.

Parentibus in filiorum præsentia à multis abstinebunt, ne ipsi eorum exemplo edocti in vitium, ad quod proclives sunt, ruant. Sed contrarium sæpe fit, & tunc non parva castigatione digni sunt.

*Juvenalis satyra 14.*

Plurima sunt, Fuscine, & fama digna sinistra,
Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris, traduntque parentes.
Si damnosa senem iuvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Sic natura jubet velocius, & citius nos

Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Quum subeunt animos auctoribus: unus & alter
Forsitan hæc spernant juvenes, quibus arte benigna,
Et meliore luto finxit præcordia Titan.
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Abstineat igitur damnis hujusce, etenim vel
Una potens ratio est, nec crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti, quoniam dociles imitandis
Turpibus ac pravis omnes sumus: & Catilinam
Quocunque in populo videas, quocunque sub axe:
Sed nec Brutus erit Bruti nec avunculus usquam,
Nil dictu fœdum visuque hæc limina tangat
Intra quæ puer est, procul hinc procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia, siquid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

*Ibidem.*

Hospite venturo cessabit nemo tuorum:
Verte pavimentum, nitidas ostende columnas,
Arida cum tota descendat aranea tela.
Hic lavet argentum, vasa aspera tergeat alter
Vox domini infremit instantis, virgamque tenentis:
Ergo miser trepidas nec stercore fœda canino
Atria displiceant oculis venientis amici,
Nec perfusa luto sit porticus, & tamen uno
Semodio scobis hæc emendet servulus unus:
Illud non agitas, ut sanctam filius omni
Aspiciat sine labe domum, vitioque carentem.

Parentes mali nullam libertatem ac frontem objurgandi liberos habent.

*Juvenalis satyra 14.*

Nam si quid dignum censoris fecerit ira:
Quandoquidem similem tibi se non corpore tantum,
Nec vultu dederit, morum quoque filius, & quum
Omnia deterius tua per vestigia peccet,
Corripies nimirum, & castigabis acerbo
Clamore, & posthæc tabulas mutare parabis,
Unde tibi frontem libertatemque parentis,
Quum facias pejora senex? vacuumque cerebro
Jampridem caput hoc ventosa cucurbita quærat?

Parentes cupidi filios avaritiam, velint, nolint, sectari docent.

*Juvenalis satyra* 14.

Sponte tamen juvenes imitantur cætera, solam
Inviti quoque avaritiam exercere jubentur,
Fallit enim vitium specie virtutis & umbra.
Quum sit triste habitu, vultuque, & veste severum,
Nec dubie tanquam frugi laudatur avarus,
Tanquam parcus homo, & rerum tutela suarum
Certa magis, quam si fortunas servet easdem
Hesperidum serpens, aut Ponticus.

Parentes mali pejores habent filios, si ad avaritiam ac reliqua vitia enutriti sunt, & illi tandem in ipsos insurgunt, idque iusto Dei judicio.

*Juvenalis satyra* 14.

Nam quisquis magni census præcepit amorem,
Et lævo monitu pueros producit avaros,
Et qui per fraudes patrimonia conduplicare
Dat libertatem, & totas effundit habenas
Curriculo, quem si revoces subsistere nescit,
Et te contempto rapitur: metisque relictis.
Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
Permittas: adeo indulgent sibi latius ipsi.
Ergo ignem, cujus scintillas ipse dedisti,
Flagrantem late, & rapientem cuncta videbis,
Nec tibi parcetur misero: trepidumque magistrum
In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.

Parentes boni, si filios castigare velint, tum matres ut plurimum illis auxilio sunt.

*Terentius in Heauton.*

—Matres omnes filiis
In peccato adjutrices, & auxilio in paterna injuria
Solent esse:

Parentibus aliquid surripere æquitas pietasque prohibet.

*Plautus in Pseudulo.*

Egon' patri surripere possim quicquam cauto seni,
Atque adeo si facere possim pietas prohibet.

Parentes qui factis aut dictis fallere assuevit, is & alios tandem fallet, igitur liberi in bonum assuefaciendi sunt.

*Terentius in Adelphis.*

Ea ne me celet consuefeci filium.
Nam qui mentiri, aut fallere insueverit patrem, aut
Audebit, tanto magis audebit cæteros.

Parentes probos esse oportet, liberos probiores habere cupientes.

*Plautus in Pseudulo.*

—Probum patrem esse oportet,
Qui gnatum suum probiorem, quam ipsius fuerit, postulet.

Parentibus obediendum est in bonis, nam tunc illis adversari absque scelere, filii non possunt.

*Plautus in Sticho.*

Gratiam a patre si petimus, spero ab eo impetrassere.
Adversari sine dedecore & scelere summo haud possumus.
Neque ego factura sum, neque tu ut facias consilium dabo.
Verum ut exoremus, novi ego nostros, exorabili'st.

Parentes in periculis & necessitatibus constituti minime deserendi sunt, idque Æneæ exemplo.

*Vergil. 2. Æneid.*

Eia age chare pater, cervici imponere nostræ:
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit.
Quo res cumque cadent, unum, & commune periclum,
Una salus ambobus erit.

Parentes de liberorum absentia usque adeo non debent tristari, ut illi id sentiant: alias utrique parti male cedet.

*Terent. in Heauton.*

—Aut ego profecto
Ingenio egregie ad miseriam natus sum, aut illud falsum est,
Quod vulgo audio dici, Deum adimere ægritudinem hominibus.
Nam mihi quidem quotidie augescit magis de filio ægritudo:
Et quanto diutius abest, magis cupio, tanto magis desidero.

CHRE. Pessime istuc in te atque illum consulis,
Si tam leni & victo animo esse ostenderis.
Nam si semel tuum animum intellexerit ille,
Prius perditurum te tuam vitam, & prius
Pecuniam omnem, quam abs te emittas filium, hui
Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris,
Tibi autem porro ut non sit suave vivere.
Nam deteriores omnes sumus licentia.
Quodcunque inciderit in mentem volet:
Neque id putabit, pravum an rectum sit, quod petit
Tu rem perire, & illum non poteris pati.
Dare denegabis? ibit ad illum illico,
Quem maxime apud te valere sentiet:
Abiturum se abs te esse illico minabitur.

Parentes velint, nolint, liberos à natura tracti diligunt.

*Seneca in Hippolit.*

—O nimium potens,
Quanto parentes sanguinis vinculo tenes
Natura? quam te colimus inviti quoque?
Occidere volui noxium, amissum fleo.

Parentum est jugiter monere liberos, ut se colant & à malorum hominum consortio se segregent.

*Plautus in Trinummo.*

—Feceris par tuis cæteris factis, patrem
Tuum si percoles per pietatem: nolo ego cum improbis te viris,
Gnate mi, neque in via, neque in foro ullum sermonem exequi.

---

## DE PARCIMONIA SIVE conservatione rerum.

Parta tueri non minor est virtus, imo major, quam nova acquirere.

*Ovid lib. 2. de arte amandi.*

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri
Casus inest illic, hic erit artis opus.

*Lucanus lib. 1. bel civil.*

O faciles dare summa deos, eademque tueri,
Difficiles.

Ovid.

*Ovid. de remed. amor.*

Contrahe de multis, grandis acervus erit.

*Claudianus lib. 2. in Stilico. laud.*

—Plus est servasse repertum.
Quam quæsisse decus.

Non potest à Deo major homini copia dari, quam ut recte ac parce frui possit iis, quæ possidet.

*Horat. lib. 1. epist. ad Iccium.*

Fructibus Agrippæ Siculis, quos colligis Icci,
Si recte frueris, non est ut copia major
Ab Jove donari possit tibi: tolle querelas,
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.

*Lucretius lib. 5 de nat. rerum.*

Divitiæ grandes homini sunt, vivere parce
Æquo animo, neque enim est unquam penuria parvi.

---

## DE PARVO ET MODICO.

Parvo & modico bene, imo melius vivitur ab illo, præsertim qui suo contentus est, & nihil amplius optat.

*Horatius Oda 16. lib. 2.*

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum,
Nec leves somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.

*Idem Oda 24. lib. 3.*

Campestres melius Scythæ,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt, & rigidi Getæ,
Immetata quibus jugera liberas
Fruges, & Cererem ferunt:
Nec cultura placet longior annua,
Defunctumq; laboribus
Æquali recreat sorte vicarius.

*Idem satyra 2. lib. 2.*

Jejunus raro stomachus vulgaria temnit.

*Lucan. lib. 5 bel. civil.*

—O vitæ tuta facultas
Pauperis, angustique lares! ô munera nondum
Intellecta deum, quibus hæc contingere templis,

Aut

Aut muris potuit, nullo trepidante tumultu
Cæsarea pulsante manu ?

*Claudianus lib. 2 in Ruffinum.*

Vivitur exiguo melius, natura beatis
Omnibus esse dedit, siquis cognoverit uti.
Hæc si tota forent, frueremur simplice cultu,
Classica non fremerent, non stridula fraxinus iret,
Non ventus quateret puppes, non machina muros.

*Cat. lib. 2.*

Quod nimium est fugito : parvo gaudere memento.
Tuta mage est puppis, modico quæ flumine fertur.

*Seneca in Hercule furente.*

Alium multis gloria terris
Tradat, & omneis fama per urbes
Garrula laudet, cœlóque parem
Tollat & astris,
Alius curru sublimis eat,
Me mea tellus lare secreto
Tutoque tegat,
Venit ad pigros cana senectus,
Humilique loco, sed certa sedet
Sordida parvæ fortuna domus;
Alte virtus animosa cadit.

*Tibullus Eleg. 1. lib. 1.*

Divitias alius fulvo sibi congerat auro,
Et teneat culti jugera magna soli.
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent.
Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.

Parvo uti qui nescit, in æternum, id est, dum vivit, servus est.

*Horat. lib. 1. epist. ad Fuscum.*

Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frenumque recepit.
Sed postquam Victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum depulit ore :
Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Serviet æternum qui parvo nesciet uti.

Cui non conveniet sua res, ut calceus olim
Si pede major erit, subvertet, si minor uret.
Lætus sorte tua vives sapienter Aristi.

Non sunt contemnenda quasi parva, sine quibus magna constare non possunt.

*Ovid. lib. 1. de remed. amor.*

Flumina magna vides parvis de fontibus orta,
Plurima collectis multiplicantur aquis.

*Idem lib. 2. de remed. amor.*

Forsitan hæc aliquis (nom sunt quoque) parva vocabit.
Sed quæ non prosunt singula, multa juvant.

*Ibidem.*

Tu tantum numera pugna, præceptàque in unum
Contrahe: de multis grandis accervus erit.

Ex parvis fiunt magna.

*Ovid. lib. 2. de Arte amandi.*

Quem taurum, mitius vitulum mulcere solebas,
Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit.
Nascitur exiguus, sed opes acquirit eundo,
Quaque venit multas accipit amnis aquas.

*Ibidem.*

Quum novus in viridi coalescit cortice ramus,
Concutiat tenerum quælibet aura, cadet,
Mox etiam ventis spatio durata resistit,
Firmáque adoptivas arbor habebit opes.

Parvo atque exiguo nihil est detrahendum.

*Tibullus lib. 1. Eleg.*

At vos exiguo pecori furesque lupique
Parcite; de magno est preda petenda grege.

---

## DE PASSIONE.

Quod durum fuit pati, meminisse dulce est.

*Seneca in Hercule furente.*

Quod fuit durum pati,
Meminisse dulce est.

*Sidon. carm. 5.*

Delectat meminisse mali post gaudia.

*Juvenalis sat. 12.*

Gaudent securi narrare pericula nautæ.

*Horatius.*

—Gaudent ubi vertice raſo
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.

*Vergilius.*

—Forſan et hæc olim meminiſſe juvabit.

Eo quis fœlicior quo patitur minus.

*Ovid 5. Triſt.*

Fœlix qui patitur quæ numerare poteſt.

---

## DE PATIENTIA.

Patientiæ effectus.

*Claud. 2. Paneg. in laud. Stilico.*

—Durum patientia corpus
Inſtruit, ut nulli cupiat ceſſiſſe labori.

Patiens is eſt, adverſa æquanimiter qui ſuſtinet.

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Patiens, quiſquis novit famulum
Regemque pati, vultuſque ſuos
Variare poteſt, pepulit vires
Ponduſque mali: nec ſervit inops
Caſus animo qui tulit æquo,

Patienti quæ facilia ſint.

*Ovid. lib. 2. de remed. amoris.*

Poſſe pati, facile eſt tibi, ni patientia deſit,
Protinus ex facili gaudia ferre licet.

Patientia duris in rebus gaudet.

*Lucanus lib. 9 bel. civil.*

—Gaudet patientia duris:
Lætius eſt quoties magno ſibi conſtat honeſtum.

*Silius Italic. lib 6 bel. Pun.*

Abſiſte ô juvenis lacrymis, patientia cunctos
Hos ſuperat caſus, longo revireſcet in ævo
Gloria, dum cœli ſedem, terraſque tenebit
Caſta fides, dum virtutis venerabile nomen
Vivet, eritque dies tua quo dux inclite fata
Audire horrebunt, à te calcata minores,

Patientia leve fit, quicquid corrigere eſt nefas.

*Horat. Od. 24 lib. 1.*

Durum, ſed levius fit patientia,
Quicquid corrigere eſt nefas.

Parit

Parit patientia palmam.

Perfer, perpetienda parit patientia palmam.
Fer firme, facilis fiet fortuna ferendo.

---

## DE PATRIA.

Patriæ amor immensus est.

*Ovid lib. 1. de Ponto.*

Rursus amor patriæ ratione valentior omni,
Quod tua fecerunt scripta retexit opus.

*Ibidem.*

Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat
Fumun de patriis posse videre focis.
Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinet esse sui.
Quid melius Roma ? Scythico quid frigore pejus ?
Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.
Quum bene sint clausæ cavea Pandione natæ,
Nititur in sylvas quæque redire suas.
Assuetos tauri saltus, assueta leones
(Nec feritas illos impedit) antra petunt.

*Idem 2. de Ponto.*

Est aliquid patriis vicinum finibus esse.

Quævis terra patria est.

*Statius lib. 2. Thebaid.*

Omne homini natale solum.

*Owen.*

Est domi ubicunque bonus sapiens non exulat unquam,
Omne solum forti patria & omne salum.
Exilium est ubicunque male est, patria est ubi contra,
Patria ubique bonis, Exiliumque malis.

*Ovid. 1. Fastor.*

Omne solum forti patria est ut piscibus æquor,
Et volucri vacuo quicquid in orbe patet.

Ob patriæ liberationem Romani plerique non solum ornamenta quæque in commune proponebant, sed & vitam expenderunt.

*Silius Italicus lib. 12. bel. Pun.*

—Sed enim non fœmina cessit
Mente æquare viros, & laudi pascere partem:
Omnis præ sese portans capitisque manusque
Antiquum decus, ac direpta monilia collo:

Certatim matrona ruit, belloque ministrant.

*Ibidem.*

—In medium certamine magno
Privatæ cumulantur opes, nudare penates,
Ac nihil arcanos vitæ melioris ad usus
Seposuisse juvat, coit & sine nomine vulgus.
Corpore sic toto, ac membris Roma omnibus usa
Exangues rursus tollebat ad æthera vultus.

*Idem. lib. 9. de Scævola.*

Stabat cum primis mediæ certamina pugnæ
Aspera semper amans & par cuicunque periclo
Scævola, nec tanta vitam jam strage volebat,
Sed dignum proavo lethum, & sub nomine mortem.
Is postquam frangi res, atque augescere vidit,
Exitium brevis hoc vitæ quodcunque relictum
Extendamus, ait.

Patriæ omnia debemus, ut Fabius ad filium inquit.

*Silius Italicus lib. 8. bel. Pun.*

Jamque hoc, ne dubites longævi nate parentis
Accipe, & æterno fixum sub pectore serva,
Succensere nefas patriæ, nec fœdior ulla
Culpa, sub extremas fertur mortalibus umbras.
Sic docuere senes.

Ob patriæ amorem dulce ac decorum est mori.

*Horatius Oda 2. lib. 2.*

Dulce, & decorum est pro patria mori.

Exulare satius est, quam in patriam atque affines irrumpere.

*Seneca in Thebaid.*

Melius exilium est tibi,
Quam reditus iste: crimine alieno exulas,
Tu redibis?

Patriæ parens Cicero à Romanis appellatus ob patriæ liberationem.

*Juvenalis satyra 8.*

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.

## DE PAUPERTATE.

Paupertas æquanimiter toleranda est, nam sic facientes, reddunt ipsam levem.

*Ovid. lib. 8. Metamorph.*

Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon
Illa sunt annis juncti juvenilibus, illa
Consenuere casa, paupertatemque ferendo
Effecere levem, nec iniqua mente ferendam.

*Cato. lib. 1.*

Infantem nudum cum te natura crearit,
Tu paupertatis fer patienter onus.

Paupertas ingeniosum hominem atque virtute præditum sæpissime facit

*Horat. lib. 2. epist. ad Florum.*

Et laris & fundi paupertas impulit audax,
Ut versus facerem.

*Plautus in Sticho,*

Nam illa omnes artes perdocet, ubi quem attigit.

*Manilius lib. 1 Astron.*

Sed quum longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemque
Advigilare sibi jussit fortuna premendo,
Seducta varias certarunt pectora curas,
Et quodcunque sagax tentando reperit usus.

Paupertas luxuriosum amorem unde pascat non habet: attamen hoc tanti non est, ut ideo pauper quis esse velit.

*Ovid. lib. 2. de remed. amoris.*

Non habet unde suum paupertas pascat amorem,
Non tamen hoc tanti est, pauper ut esse velis.

Paupertas toleranda est magis quam amor.

*Claud. de paup. amante.*

Paupertas me sæva domat, dirusque Cupido:
Sed toleranda fames, non tolerandus amor.

*Ibidem. de eodem.*

Esuriens pauper, telis incendor amoris,
Inter utrumque malum diligo pauperiem.

Paupertas pati multa cogit incommoda.

*Martialis. lib. 1. epigram.*

O quantum cogit egestas.

Pauper-

Paupertas ridiculos homines reddit.

*Juvenalis satyra 3.*

Nil habet infœlix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit.

*Plautus in Sticho.*

Jam inde à pausillo puero ridiculus fui,
Eo, quia paupertas fecit ridiculus forem.

Paupertas sola beate approbat vivere, quia in maxima tranquillitate sita est, si æquanimiter tolertur; divitiæ vero e contra.

*Seneca in Thyeste.*

Stet quicunque volet potens
Aulæ culmine lubrico,
Me dulcis saturet quies,
Obscuro positus loco:
Levi perfruar otio,
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.
Sed quum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebeius moriar senex.

*Ibidem.*

Dum excelsus steti
Nunquam pavere destiti, atque ipsum mei
Ferrum timere lateris, ô quantum bonum est
Obstare nulli, carpere securas dapes.
Humi jacentem scelera non intrant casam.

*Idem in Hippolyto.*

Quanti casus humana rotant!
Minor in parvis fortuna furit,
Leviusque ferit leviora Deus,
Servat placidos obscura quies,
Præbetque somnos casa securos.
Admota ætheriis culmina sedibus
Duros excipiunt notos,
Insani boreæ minas,
Imbriferumque corum.
Raros patitur fulminis ictus
Humida vallis.
Tremuit telo Jovis altisoni
Caucasus ingens, Phrygiumque nemus
Matris Cybeles, metuens cælo

Jupiter

Jupiter alto vicina petit.
Non capit unquam magnos motus
Humilis tecti plebeia domus,
Circa regna tonat.

*Idem in Octavia.*

—Bene paupertas
Humilimi tecto contecta latet.
Quatiunt alta sæpe procellæ,
Aut evertit fortuna domos.

*Titus Calphurnius Eclog 4.*

—Vellit nam sæpius aurem
Invida paupertas, & dicit, vilia cura.

*Statius lib. 2. Sylvarum*

Pax secura locis, & desidis otia vitæ,
Et nunquam turbata quies, somnique peracti
Nulla foro rabies, aut strictæ jurgia legis,
Morum jura viris solum & sine fascibus, æquum.

Paupertatem sustinere impotens, ad pericula se exponit.

*Horat. lib. 1. Oda 1.*

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura sui, mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.

Paupertas se excusat.

*Petronius Arbiter.*

Quisquis inops peccat, minor est reus.

Pauper fœlicitatem suam haud cognoscit, nisi fœlices videat cadere.

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Nec sibi fœlix pauper habetur,
Nisi fœlices cecidisse videt.

Paupere nil asperius intractabiliusque est, si divitias & dignitates assequatur.

*Claud. lib. 1. in Eutrop*

Asperius nihil est humili quum surgit in altum:
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desævit in omnes,
Ut se posse putent: nec bellua tetrior ulla est,
Quam servi rabies in libera colla furentis:
Agnoscit gemitus, & pœnæ parcere nescit
Quam subiit: dominique memor quem verberat odit.

Pauper negligitur atque contemnitur.

*Ovid. lib. 1. Faster.*

In pretio pretium nunc est, dat census honores.
Census amicitias: pauper ubique jacet.

*Terent in Phormione.*

Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,
Neglegitur ipsa: vide avaritia quid faciat.

*Titus Calphurn. Eclog. 7.*

O utinam nobis non rustica vestis inesset,
Vidissem propius mea numina, sed mihi sordes,
Nudaque paupertas, & adunco fibula morsu
Obfuerant.

Pauper timore vacat etiam inter scelestos situs.

*Juvenalis satyra 10.*

Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus gladium contumque timebis,
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbras,
Cantabit vacuus coram latrone viator.

*Ovid. de Nuce*

Sic timet insidias, qui se scit ferre viator
Quod timeat: tutum carpit inanis iter.

Pauper, vilis & plebeius a vulgo reputatur, etiam si quæ que animi bona possideat.

*Horat lib. 2. satyra. 5.*

Et genus & virtus nisi cum re vilior alga est.

*Idem lib. 1 epist.*

Si quadringentis sex septem millia desint,
Est animus tibi, sunt mores, & lingua fidesque,
Plebs eris.

Pauper ubique domi est.

*Owen.*

Tota patet tellus inopi quacunque vagatus.
Pauper in exilio est nullibi, ubique domi.

Pauperes ad ad virtutes haud facile emergunt.

*Juvenalis satyra 3.*

Haud facile emergunt quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Pauperes inermes miserrime vivunt.

*Plautus in Rudente.*

Omnibus

Omnibus modis qui pauperes sunt homines miseri vivunt,

Præsertim quibus nec quæstus est, nec didicere artem ullam.

Pauperes infames sunt.

*Ausonius in Cleobuli senten.*

Turpis sæpe datur fama mnioribus.

Pauperes suspiciosi maxime sunt, atque se negligi credunt.

*Terentius in Adelphis.*

Omnes quibus res sunt minus secundæ, magis sunt nescio quomodo

Suspiciosi, ad contumeliam omnia accipiunt magis,

Propter suam impotentiam se semper credunt negligi.

Paupertas insequitur sumtus non necessarios.

Ædificare domos multas, et pascere multos,

Ad paupertatem proximus est aditus.

---

## DE PECCATO.

Ob peccata Deus per aquam diluvii viventia interemit omnia, dempto Deucalione cum Pyrrha conjuge sua, quod moraliter de Noe intelligi potest.

*Ovid. lib 1. Metamorph.*

Pœna placet diversa genus mortale sub undis
Perdere, & omni nimbos demittere cœlo.
Ipse tridente suo terram percussit, at illa
Intremuit, motuque vias patefecit aquarum,
Expatiata ruunt per apertos flumina campos,
Cumque satis arbusta simul pecudesque viresque
Tectaque, cumque suis rapiunt penetralia sacris.
Siqua domus mansit, potuitque resistere tanto
Indejecta malo, culmen tamen altior hujus
Unda tegit, pressæque latent sub gurgite turres.
Jamque mare & tellus nullum discrimen habebant:
Omnia pontus erat, deerant quoque littora ponto.
Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus
Nomine Parnassus, superatque cacumine nubes.
Hic ubi Deucalion (nam cætera texerat æquor)

Cum

Cum consorte tori parva rate vectus adhæsit, &c.
Non illo melior quisquam, nec amantior æqui
Vir fuit, aut illa reverentior ulla deorum.
Jupiter ut liquidis stagnare paludibus orbem,
Et superesse virum de tot modo millibus unum,
Et superesse videt de tot modo milibus unam,
Innocuos ambos, cultores numinis ambos,
Nubila disjecit, nimbisque aquilone remotis,
Et cœlo terras ostendit, et æthera terris.

Peccatum corrigens proprium, quod sua interest, facit.

*Terentius in Adelphis.*

Ego in hac re nihil reperio quamobrem lauder tantopere, Hegio:
Meum officium facio, quod peccatum à nobis ortum est corrigo.

Peccatum celatum majus malum esse creditur.

*Martial. lib. 3. Epigrammatum.*

Quod tegitur majus creditur esse malum.

Peccatum magnum occultum esse non potest.

*Seneca in Hippolyto.*

Tutum esse facinus credis, & vacuum metu?
Erras.

Peccatum tanto majus est, quanto peccans dignior est.

*Juvenalis satyra 8.*

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Peccatum non nisi voluntarium fit.

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Haud est nocens, quicunque non sponte est nocens.

*Idem in Hippolyto.*

Recipe jam sensus hera
Quid te ipsam laceras, aspectum omnium fugis?
Mens impudicam facere, non casus solet.

Peccatum semel qui vicerit haud glorietur, quia absque peccati non remansit fomite, ex quo quantum in se est peccabit facillime.

*Persius satyra 5.*

Nec tu quum obstiteris semel, instantique negaris
Parere imperio, rumpi jam vincula dicas.
Nam luctata canis nondum arripit. ast tamen illi

Quum

Quum fugit à collo trahitur pars longa catenæ.

Peccatum novum sæpissime supplicium habet.

*Ovid. lib. 2. de Tristib.*

Nos quoque jampridem scripto peccavimus esto.
Supplicium patitur non nova culpa novum.

Peccati cognitio utilis est summopere: nam pœnam minuit.

*Ovid. lib. 2 Eleg.*

Æquo animo pœnam, qui metuere, ferunt.

Peccati confessio, misericordiam impetrat.

*Ovid. lib. 10. Metamorph.*

Numen confessis aliquod patet.

*Idem.* lib. 11.

Mite Deum numen Bacchus, peccasse fatentem
Restituit, factique fide data munera solvit.

Peccati dolor veniam impetrat.

*Ovid lib. 1. de Ponto.*

Sæpe levant pœnas, ereptaque lumina reddunt,
Quem bene peccati pœnituisse vident.

Quem peccasse pœnitet, fere innocens est.

*Seneca in Agamemnone.*

Quem pœnitet peccasse, pene est innocens.

Peccati gloria nulla petenda est.

*Ovid. lib. 2. de Remed. amor.*

Gloria peccati nulla petenda tui est.

*Idem lib. 3. Eleg.*

Quis furor est, quæ nocte latent in luce fateri?
Et quæ clam facias facta referre palam?
Ignoto meretrix corpus junctura Quiriti,
Opposita populum submovet ante sera.

Peccati nocumenta, quæ intelliguntur per mutationes sociorum Ulyssis.

*Boetius metro 4. lib. 3.*

Vela Naritii ducis
Et vagas pelago rates
Eurus appulit insulæ.
Pulchra qua residens dea,
Solis edita semine,
Miscet hospitibus novis
Tacta carmine pocula.
Quos ut in varios modos
Vertit Herbipotens manus,

Hunc

Hunc apri facies fugit,
Ille marmaricus leo
Dente crescit & unguibus.
Hic lupis nuper aditus
Flere dum parat, ululat.
Ille tigris ut Indica.
Tecta mitis obambulat.
Sed licet variis malis
Numen Arcadis alitis
Obsitum miserans ducem
Peste solverit hospitis,
Jam tamen mala remiges
Ore pocula traxerant.
Jam sues cerealia
Glande pabula verterant,
Et nihil manet integrum,
Voce, corpore perditis,
Sola mens stabilis super
Monstraque patitur, gemit.
O levem nimium manum,
Nec potentia gramina,
Membra quæ valeant licet,
Corda vertere non valent,
Intus est hominum vigor
Arce conditus abdita.
Hæc venena potentius
Detrahunt hominem sibi
Diraque penitus meant,
Nec nocentia corpori
Mentis vulnere sæviunt.

Peccati veniæ imploratio humillima,

*Ovid. lib. 11. Metamorph.*

Ad cœlumque manus, & splendida brachia tollens,
Da veniam Lenæe pater, peccavimus, inquit,
Sed miserere precor, speciosoque eripe damno.

*Plautus in Asinaria.*

Fateor me peccavisse, & me culpam commeritum sc
Id adeo te oratum advenio, ut æquo animo ignosca
mihi.

*Claud in Epig satisfactionis.*

En adsum, & veniam, confessus crimina, posco.

Peccato obstare, primum est in homine bonum: secundum, nosse peccati modum.

*Seneca in Hippol.*

Obstáre primum est, velle, nec labi via,
Pudor est secundus, nosse peccandi modum.

Peccata æqualia non sunt, Stoici posuere.

*Horat. lib. 1. satyra 3.*

Queis paria esse fere placuit peccata, laborant
Quum ventum ad verum est sensus, moresque repugnant,
Atque ipsa utilitas justi prope mater, & æqui.

*Ibidem.*

Nec vincet ratio hoc tantundem ut peccet, idemque
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus sacra diuum legerit.

Peccata ut diversa sunt, sic & pœna diversa esse debet.

*Horat. lib. 1. satyra 3.*

Denique, quatenus excidi penitus vitium iræ,
Cætera item nequeunt stultis hærentia, cur non
Ponderibus modulisque suis ratio utitur? ac res
Ut quæque est, ita suppliciis delicta coerces?

*Ibidem.*

—Adsit
Regula peccatis quæ pœnas irroget æquas,
Nec scutica dignum horribilis sectere flagello.

Peccata in principio resecanda sunt.

*Juvenalis satyra 1.*

—Tecum prius ergo voluta
Hæc animo ante tubas: galeatum sero duelli
Pœnitet.

*Idem satyra 8.*

Defensor culpæ dicet mihi fecimus & nos!
Hæc juvenes esto, desisti nempe, nec ultra
Fovisti errorem, breve sit quod turpiter audes.
Quædam cum prima resecentur crimina barba.

*Persius satyra 3.*

Helleborum frustra, quum jam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas, venienti occurrite morbo.

*Seneca in Agamemnone.*

Capienda rebus in malis præceps via est.

*Silius Italic. lib. 1. bel. Pun.*

Ocyus ite viri, & nascentem extinguite flammam,
Ne seræ redeant post aucta pericula curæ.

*Statius lib. 5. Sylvar.*

—Mortalia quisquis
Pectora sero videt, nec primo in limine sistit
Conatus scelerum, atque animos infanda patrantes,
Excitat illa die sæ o.

*Claudianus 2. in Eutrop.*

Mygdonii cineres, & si quid restat Eoi
Quod pereat regni, certe non augure falso
Prodigii patuere minæ, frustraque peracto
Vulnere monstriferi præsagia discitis anni.
Cautior ante tamen violentum navita eorum
Prospicit, & tumidæ subducit vela procellæ.
Quid juvat errores mersa jam puppe fateri?

Peccata perpetranda non sunt quia etsi homines latent, tamen Deo, qui cuncta videt, aperta sunt.

*Seneca in Hippolyto.*

—Credamus tamen
Astu doloque tegere nos tantum nefas,
Quid ille rebus lumen infundens suum
Matris parens? quid ille qui mundum quatit
Vibrans corusca fulmen Ætneum manu
Sator deorum? credis hoc posse effici
Inter videntes omnia, ut lateas?

*Ausonius in Thaletis sentent.*

Turpe quid ausurus te sine teste time.

Peccata omnia in hac vita purgabantur aqua & exilio, secundum quorundam opinionem, quæ ab Ovidio digna taxatur castigatione.

*Ovid. lib . Fasto.*

Omne nefas, omnemque mali purgamine causam
Credebant nostri tollere posse senes,
Græcia principium moris fuit, illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.
Actor idem Peleus, ipsam quoque Pelia Phoci
Cæde per Æmonias solvit Acastus aquas.
Vectam frænatis per inane draconibus Ægeus
Credulus immerita Phasida fovit ope.
Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis

Flumi-

Fluminea tolli posse putatis aqua.

Peccator fœlix non potest esse diu.

*Ausonius in Cleobuli sentent.*

Fœlix criminibus non erit diu.

Peccator rubore ejecto semel de attrita fronte licet assidue à conscientia stimuletur, non erit tamen uno contentus crimine.

*Juvenalis satyra 13.*

—Nam quis
Peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Ejectum semel attrita de fronte ruborem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno
Flagitio?

Peccata homines à Deo sejungunt,

*Owen.*

Ut solem tellus lunamque stat inter opacum,
Stat peccatum inter meque deumque meum.

Peccator assidue timet etiam Dei fulmen.

*Ovid. lib. 2. Eleg.*

Multa miser timeo, quia feci multa protervè,
Exempli metu torqueor ipse mei.

*Lucret lib. 3. de natura rerum.*

—At mens sibi conscia facti
Præmetuens adhibet stimulos, terretque flagellis:
Nec videt interea qui terminus esse malorum
Possit, nec qui sit pœnarum denique finis,
Atque eadem metuit magis, hæc ne in morte gravescant.
Hinc Acherusia fit stultorum denique vita.

*Statius lib. 2. Thebaid.*

—O cœca nocentum
Consilia, ô semper timidum scelus.

*Juvenalis satyra 13*

Nocte brevem si forte indulsit cura soporem,
Et toto versata thoro jam membra quiescunt.
Continuo templum & violati numinis aras,
Et quod præcipuis mentem sudoribus urget,
Te videt in somnis, tua sacra, & major imago
Humana, turbat pavidum, cogitque fateri.
Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat exanimes, primo quoque murmure cœli

Non quasi fortuitu, nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.
Illa nihil nocuit, cura graviore timetur
Proxima tempestas, velut hoc dilata sereno.

Peccator veretur ne quando etiam post multum tempus deprehendatur.

*Plautus in Truculento.*

—Pertimui postquam
Una cura cor meum movit: modo timeo, ne mea malefacta antiqua
Nunc senex inveniat omnia.

Peccatores dolorem, aut febrem aut aliud aliquod malum dum in se esse sentiunt, hoc ob sua peccata provenisse credunt.

*Juvenalis satyra 13.*

Præterea lateris vigili cum febre dolorem
Si cœpere pati, missum ad sua corpora morbum
Infesto credunt à numine saxa deorum
Hæc & tela putant: pecudem spondere sacello
Balantem, & laribus cristam promittere galli
Non audent; quid enim sperare nocentibus ægris
Concessum? vel quæ non dignior hostia, vita?

Peccatores obstinati Deum malorum punitorem negant, quem tamen esse fateri necesse est, dum puniuntur.

*Juvenalis satyra 13.*

Si curant igitur cunctos punire nocentes,
Quando ad me veniunt?

*Ibidem.*

—Tandemque fatebere lætus
Nec surdum, nec Tiresiam quenquam esse deorum.

Improbi in hoc seculo laudantur atque extolluntur, probi vero contemnuntur.

*Ovid. Epist. 14. Heroid.*

Mittit Hypermnestra de tot modo fratribus uni,
Cætera nuptarum crimine turba jacet,
Clausa domo teneor, gravibusque coercita vinclis,
Est mihi supplicii causa fuisse piam,
Quod manus extimuit jugulo dimittere ferrum,
Sum rea; laudarer si scelus ausa forem.

*Seneca in Hippolyto.*

Tristis vultus perversa tulit

Præmia recti, castos sequitur
Mala paupertas, vitioque potens
Regnat adulter.

*Terentius in Phormione.*

His nunc pretium est, qui recta prava faciunt.
GE. Verissime.

Peccatores extolluntur sæpissime, ut in posterum gravissime puniantur.

*Claud. lib. 1. in Ruffinum.*

Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Absolvitque deos, jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror: tolluntur in altum
Ut lapsu graviore ruant.

Peccatores etiam in hac vita puniuntur quandoque.

*Horat. Oda 2. lib. 3.*

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Peccandi voluntas, quæ pro facto habetur, sæpe punitur.

*Juvenalis satyra 13.*

Spartano quidam respondit Pythia vates,
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depositum retinere, & fraudem jure tueri
Jurando: quærebat enim quæ numinis esset
Mens, & an hoc illi facinus suaderet Apollo.
Reddidit ergo metu, non moribus, & tamen omnem
Vocem adytis dignam templo, veramque probavit,
Extinctus tota pariter cum prole domoque,
Et quamvis longa deductis gente propinquis.
Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

Peccatores maximi leviter puniendi non sunt,

*Seneca in Hercule furente.*

Pectora, tantis obsessa malis,
Non sunt ictu ferienda levi.

Peccatores omnes sumus.

*Terent. in Hecyra.*

Mulier fecit, mirandum ne id est? Censen'te posse
Ullam reperire mulierem quæ careat culpa?

An quia non delinquunt viri?

Peccatores defendendi non sunt.

*Horat. li. 1. epist. ad Lollium.*

Fallimur, & quondam non dignum tradimus, ergo
Quem sua culpa premit deceptus, omitte tueri.

Peccatorum reprehensio severa.

*Horat. satyra 3. lib. 2.*

—Quisquis
Ambitione mala, aut argenti pallet amore,
Quisquis luxuria, tristive superstitione,
Aut alio mentis morbo calet, huc propius me,
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Danda est Hellebori multo pars maxima avaris.

Nullus est quem non pudeat peccasse, & qui se non purgare nitatur.

*Plautus in Asinaria.*

Qui homo culpam admisit in se, nullus est tam parvi pretii,
Quin pudeat, qui purget sese.

Peccantem qui non vetat, quum possit, jubet peccare.

*Seneca in Troade.*

Qui non vetat peccare, quum possit, jubet.

---

## DE POENA.

De pœna inferni superius, tit. de Inferno. ad longum dictum est.

Pœna inferenda secundum peccati exigentiam.

*Horatius satyra 3. lib. 1.*

—Adsit
Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas,
Nec scutica dignum horribili sectere flagello.

Pœna non debet excedere modum.

*Claud. in Epig satisfactionis apud Hadrianum.*

Me dolor incautus, me lubrica duxerit ætas,
Me timor impulerit, me devius egerit ardor,
Te tamen haud decuit paribus concurrere telis.

Pœna justa æquanimiter est toleranda: nam injusta difficillime toleratur.

*Ovid. epist. 5.*

Leniter ex merito quicquid patiare ferendum est,
Quæ venit indigne pœna dolenda venit.

Pœna qui fruitur, ferus esse dicitur.

*Claud in Consulat. Manilii.*

Qui fruitur pœna ferus est, legumque videtur
Vindictam præstare sibi, quum viscera felle
Canduerint, ardet stimulis fertúrque nocendi
Prodigus, ignarus caussæ.

Pœna maxima nobili viro est in servitutem cadere.

*Seneca in Troade.*

Si pœna petitur, quæ pati gravior potest?
Famulare collo nobili subeat jugum.

---

## DE POENITENTIA.

Pœnitentes vere scelerum ac vitiorum alimenta eradicare debent.

*Horatius Oda 24. lib. 3.*

—Scelerum si bene pœnitet,
Eradenda cupidinis
Pravi sunt alimenta.

Reliqua de pœnitentia ex tit. de Peccato, & tit. de Confessione pete.

---

## DE PERFIDIA.

Perfidiæ seu infidelitatis reprehensio, atque expressio vehemens.

*Ovid. lib. 1. de Tristib.*

Illud amicitiæ sanctum & venerabile nomen,
Nunc tibi pro vili sub pedibúsque jacet.

*Idem lib. 5. de Tristibus.*

Tu quoque nostrarum quondam fiducia rerum
Qui mihi confugium, qui mihi portus eras,
Tu quoque suscepti curam dimittis amici,
Officiique pium tam cito ponis onus,
Sarcina sum, fateor, quam si tu tempore duro
Depositurus eras, non subeunda fuit.
Fluctibus in mediis navem, Palinure, relinquis,
Ne fuge, neve tua sit minor arte fides.

Nunquid Achilleos inter feia prælia fidi
Deseruit levitas Automedontis equos ?
*Terentius in Adelph.*
Satis diu dedisti verba nobis, satis adhuc tua nos frustrata est fides.
*Propert. lib. 3. Eleg.*
Et scelus accepto Thracis Polymestoris auro,
Nutrit in hospitio non Polydore pio.
*Ovid. lib. 1. de Tristibus.*
In caput alta suum labenter ab æquore retro
Flumina, conversis solque recurret equis,
Terra feret stellas, cœlum scindetur aratro,
Unda dabit flammas, & dabit ignis aquas:
Omnia naturæ præpostera legibus ibunt,
Parsque suum mundi nulla tenebit iter.
Omnia jam fient, fieri quæ posse negabam,
Et nihil est de quo non sit habenda fides.
Hæc ego vaticinor, quia sum deceptus ab illo,
Laturum misero quem mihi rebar opem.
Perfidos & proditores Romani olim spreverunt.
*Claudianus de bello Gildon.*
Romani scelerum semper sprevere ministros,
Noxia pollicitum domino miscere venena
Fabricius regi nudata fraude remisit,
Infesto quem Marte petit, bellumque negavit
Per famuli patrare nefas, ductosque Camillus
Trans murum pueros obsessæ reddidit urbi.

---

## DE PERJURIIS.

Perjuria vitanda sunt, & ad hoc exhortatio utilis.
*Ovid. Epist. 19. Heroid.*
Ut valeant, aliæ ferrum patiuntur, & ignes,
Fert aliis tristem succus amarus opem.
Nil opus est istis, tantum perjuria vita,
Teque simul serva, meque datamque fidem.
Perjuri hac in vita, si primo non puniuntur, tamen impuniti diu non sunt.
*Tibullus eleg 9. lib. 1.*
Ah miser, & si quis primo perjuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.
*Claud. in Curetium.*

In prolem dilata ruunt perjuria patris,
Et pœnam merito filius ore luit:
Et quas fallacis collegit lingua parentis,
Has eadem nati lingua refudit opes.

Perjuria viri nihil curant, modo libidinem explere possunt.

*Tibullus.*

Sed jam nulla viro juranti fœmina credat,
Nulla viri speret sermones esse fideles.
Qui dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt:
Sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.

Jurant intrepide, qui putant omnia sub fortunæ imperio esse.

*Juvenalis satyra* 23.

Sunt qui in fortunæ jam casibus omnia ponant,
Et nullo credant mundum rectore moveri,
Natura voluente vices & lucis, & anni,
Atque ideo intrepidi quæcunque altaria tangunt.

## DE PERSEVERANTIA.

Perseverandi exhortatio notabilis in bonum; quia sola perseverantia bravium accipit.

*Plautus in Rudente.*

Idcirco moneo ego vos hæc, qui estis boni,
Quique ætatem agitis cum pietate, & cum fide,
Retineto porro post factum, ut lætimini.

Perseverandum est in adversis atque obdurandum.

*Ovid. lib.* 3. *Elegia.*

Perfer, & obdura: dolor hic tibi proderit olim;
Sepe tulit lessis succus amarus opem.

## DE PETITIONE.

Petitio justa facilisque esse debet.

*Plautus in Amphitr*

Justam rem & facilem esse oratum à vobis volo.
Nam juste à justis justus sum orator datus.

Petitiones nostræ secundum Dei voluntatem ordinandæ sunt, de quo vide titulum de Deo, Deus diligit, *&c.*

Petitio, sive imprecatio, ne quis male parta diu retineat, sed male consumat omnia.

*Ovid. Heroid. Epist. 6.*

Nec malè parta diu teneat, pejúsque relinquat,
Exulet, & toto quærat in orbe fugam.
Quum mare, quum terras consumpserit, aëra tentet,
Erret inops, exspes, cæde cruenta sua.

Petitiones hominum omnes ferè vanæ sunt.

*Plautus in Pseudolo.*

Stulti haud scimus, frustraque scimus, quum quod cupienter dari
Petimus nobis, quasi quid in rem sit possimus noscere,
Certa amittimus dum incerta petimus, atque hinc venit
In labore atque dolore ut mors obrepat interim.

Petitionis inhonestæ amica reprehensio.

*Ovid lib. 1. de Ponto.*

Ah nimium est, quod amice petis, moderatius opta,
Et voti quæso contrahe vela tui.

Petita negare durum est, durius autem ante petitionem negare.

*Martialis lib. 2. Epigr.*

Durum est, Sexte, negare quum rogeris;
Quanto durius antequam rogeris?

Timide petens negare docet,

*Seneca in Hippolyto.*

—Qui timide rogat,
Docet negare.

Petitionem statim denegare est dare beneficium.

*Owen.*

Qui cito, vel bellè negat, is tribuisse videtur
Munera: nam semper est odiosa mora.

Ejusdem est & petentibus facilem esse, & sontibus difficilem.

*Ovid. lib. 4. de Ponto.*

Scilicet ejusdem est, quamvis pugnare videtur,

Sup-

Supplicibus facilem, sontibus esse trucem.

Petitio assidua rei unius, tædium causat.

*Ovid. lib. 4. de Ponto.*

Et pudet & merito, semperque eademque precari,
Ne subeant animo tædia justa tuo.
Verum quid faciam ? res immoderata cupido est,
Da veniam vitio, mitis amice, meo.

Petenti cito dans bis dat.

*Ausonius in Epigr.*

Si bene quid facias, facias cito : nam cito factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

---

## DE PHILAUTIA.

Philautia, scilicet amor sui, cæca est, eo quod excœcat ipsos φιλαύτυς.

*Horat. lib. 1. Oda 8.*

Subsequitur cæcus amor sui,
Attollens vacuum plus nimio gloria verticem.

Idem hunc amorem improbum & stultum vocat lib. 1. *Ser. satyra* 3.

—Egomet mi ignosco. Mævius inquit,
Stultus & improbus hic amor est, dignusque notari.

Hanc ob causam male Scholastici Theologi diffiniunt, ordinatam charitatem à seipso debere incipere.

Philautia tantum bene vult, suaque tantum prædicat.

*Terentius in Andria.*

Verum illud verbum est quod dici solet;
Omnes sibi melius malle, quam alteri.

*Idem in Adelph.*

Quemquam hominum in animo instituere, aut
Parare quod sit charius quam ipse sibi ?

*Ibidem.*

Homine imperito nunquam quicquam injustius;
Qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

*Alciat Embl. 67.*

Ingenii est marcor, cladesque φιλαύτια, doctos
Quæ pessum plures datque, deditque viros ;
Qui veterum abjecta methodo nova dogmata quærunt

Nilque

Nilque suas præter tradere phantasias.

## DE PHILOSOPHIA.

Philosophia colentibus se prodest, negligentibus vero obest. Igitur ad illam confugiendum est, idque Hor tii exemplo.

*Horatius lib. 1. epist. ad Mæce.*

Ut nox longa quibus mentitur amica, diesque
Longa videtur opus debentibus, ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt, ingrataque tempora quæ spem
Consiliumque morantur agenti gnaviter, id quod
Æque pauperibus prodest, locupletibus atque,
Æque neglectum pueris senibusque nocebit.
Restat, ut his ego me ipse regam, solerque elementis
Non possis oculo quantum contendere Lynceus.
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi:
Nec quia desperet invicti membra Gliconis,
Nodosa corpus noli prohibere chiragra.

Philosophiæ incumbens, vitam quietam & tranquillam traducere valebit: quia philosophiæ studium cupiditatum vitiorumque refrænatio est, igitur illi sedulo incumbendum est.

*Horat. lib. 1. epist. ad Mæce.*

Est quoddam prodire tenus, si non datur ultra.
Fervet avaritia miseraque cupidine pectus,
Sunt verbis & voces quibus hanc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem:
Laudis amore tumes? sunt certa piacula quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.

*Juvenalis satyra 13.*

—Plurima fœlix
Paulatim vitia atque errores exuit omneis.

*Seneca in Octavia.*

Melius latebam, procul ab invidiæ malis
Remotus inter corusci rupes maris,
Ubi liber animus, & sui juris mihi
Semper vacabat studia recoleati mea.

*Horat. lib. 1. Epist. ad Lollium.*

Inter cuncta leges, & percunctabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter ævum.

Persius

*Persius satyra 5.*

—Petite hinc juvenesque senesque
Finem animo certum, miserisque viatica canis.

Philosophiæ speculatio homini non parva consolatio est.

*Seneca in Octavia.*

O quam juvabat, quo nihil majus parens
Natura genuit, operis immensi artifex
Cœlum intueri solis & currus sacros,
Mundique motus, solis alternas vices,
Orbemque Phœbes, astra quem cingunt vaga,
Lateque fulgens ætheris magni decus.

Philosophi à vitiis sejuncti fuere, ideo fœlices dicuntur.

*Ovid. lib 1. Fastorum.*

Quis vetat & stellas, ut quæque oriturque caditque
Dicere? promissi pars fuit illa mei.
Fœlices animæ, quibus hæc cognoscere primum,
Inque domos superas scandere cura fuit.
Credibile est illos pariter vitiisque jocisque
Altius humanis exeruisse caput.
Non Venus & vinum sublimia pectora fregit,
Officiumque fori, militiæque labor,
Nec levis ambitio, perfusaque gloria fuco,
Magnarumve fames solicitavit opum:
Admovere oculis distantia sydera nostris,
Æthereaque ingenio supposuere suo.
Sic petitur cœlum, non ut ferat Ossan Olympus,
Summaque Peliacus sydera tangat apex.

---

## DE PIETATE.

Pietate vera nulla vis major esse dicitur.

*Seneca in Thyeste.*

Nulla vis major pietate vera est.

Pietas homini tutissima virtus est.

*Vergil. in Æthna.*

Et merito pietas homini tutissima virtus.

Pietas abesse Christiano non potest.

*Paulinus.*

Pietas abesse Christiano quî potest;

Namque

Namque argumentum mutuum est
Pietatis esse Christianum, & impii
Non esse Christo subditum.

Tam spectatæ pietatis Æneas fuisse perhibetur, ut illæsus per ignem incederet.

*Vergil. lib. 2. Æneid.*

Descendo, ac ducente Deo flammam inter, & hostes
Expedior: dant tela locum, flammæque recedunt.

*Ovid. lib. 4. Fastor.*

Hinc satus Æneas, pietas spectata per ignes,
Sacra patremque humeris, altera sacra tulit.

*Ibidem.*

An magis hunc morem pietas Æneia fecit,
Innocuum victo cui dedit ignis iter?

*Idem lib. 1. de Ponto.*

Quum foret Æneæ cervix subjecta parenti,
Dicitur ipsa viro flamma dedisse viam.

*Idem lib. 13. Metamorph.*

Non tamen eversam Trojæ cum mœnibus esse
Spem quoque fata sinunt, sacra & sacra altera patrem
Fert humeris, venerabile onus Cithereius heros.
De tantis opibus prædam pius eligit illam,
Ascaniumque suum.

Quanta pietas in Honorio fuerit.

*Claud in Paneg de 3. Honorii. Consu.*

Tantaque se pietas rudibus demonstrat in armis
Sic ætas animo cessit, quererentur ut omnes
Imperium tibi sero datum.

Nusquam hodie pietas.

*Stat. Theb. 3.*

Nusquam pietas non gentibus æquum
Fas, aut cura Jovis.

---

## DE PIGRITIA.

Pigri cavent ne eis invideatur.

*Plaut in Bacchid.*

Sibi ne invideatur ipsi ignavi recte cavent.

Qui piger est, nihil est.

*Plautus in rudente.*

—Opera

Haud

Haud fui parcus mea, nimis homo nihil'st, qui piger est.
Nimisque id genus odi ego malè.

Pigri indies actiones suas elongant, qui haud exigua, ut digni sunt, castigatione reprehenduntur.

*Persius satyra 5.*

Cras hoc fiet, idem cras fiet? quid, quasi magnum
Nempe diem donas? sed quum lux altera venit,
Jam cras hesternum consumpsimus, ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paulum erit ultra:
Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese frustra sectabere canthum,
Quum rota posterior curras, & in axe secundo.

*Martial. lib. 5. Epigr.*

Cras te victurum, cras dicis, Posthume, semper:
Dic mihi cras istud, Posthume, quando venit?
Quum longe cras istuc ubi est? aut unde petendum?
Nunquid apud Parthos Armeniosque latet?
Jam cras istuc habet Priami, vel Nestoris annos,
Cras istuc quanti dic mihi posset emi?
Cras vives, hodie jam vivere, Posthume, serum est,
Ille sapit quisquis, Posthume, vixit heri.

# DE POESI, AC POETIS.

Poesis picturæ similis esse dicitur.

*Horat. in Arte Poetica.*

Ut pictura poesis erit, si propius stes,
Te capiet magis, & quædam si longius obstes.
Hæc amat obscurum, volet hæc sub luce videri,
Judicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.

Poesis ad bonos mores facit.

*Ovid. lib 3. de arte amandi.*

Adde quod insidiæ sacris a vatibus absunt,
Et facit ad mores ars quoque nostra bonos.
Nec nos ambitio, nec nos amor urget habendi,
Contempto colitur lectus & umbra foro.

*Ibidem.*

Dicet ingenium placida mollitur ab arte,
Et studio mores convenienter eunt.

Poetis

Poetis pictoribusque æqua potestas semper fuit.

*Horatius in arte Poetica.*

——Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Poeta consummatus quandoque etiam errat.

*Horat. in arte Poetica.*

Sunt delicta tamen quibus ignovisse velimus;
Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus mens,
Poscentique gravem persæpe remittit acutum:
Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.

*Ibidem.*

——Quandoque bonus dormitat Homerus.

Poeta delectare aut prodesse debet, vel ambo simul perficere: nam sic faciens omnem favorem obtinebit.

*Horat in Arte Poetica.*

Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ:
Aut simul & jucunda, & idonea dicere vitæ.

*Ibidem.*

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando pariterque monendo.

Quod Dei spiritus in Poetis sit supra tit. de Deo ostensum est, Dei spiritus, *&c.*

Poetæ effectus, seu intimatio lepidissima eorum circa quæ versari debet.

*Horat. in arte Poetica.*

Ille bonis faveatque, e concilietur amice,
Et regat iratos, & amet peccare timentes.
Ille dapes laudet mensæ brevis, ille salubrem
Justitiam, legesque & apertis otia portis.
Ille tegat commissa, ideoque precetur, & oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Poetarum dicta obscœna fugienda sunt.

*Ovid lib. 2. de remed amor.*

Eloquar, invitus teneros ne tange Poetas:
Submoveo dotes impius ipse meas.

Poetæ sacra inter se communia habere dicuntur, li diversimode ei utantur.

*Ovid. lib 2. de Ponto.*

Sunt tamen inter se communia sacra Poetis,
Diversum quamvis quisque sequamur iter.

Poeta consummatus & artem & naturam ad carmen appositum habere debet.

*Horat. de arte Poetica.*

Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quæsitum est, ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amice.

Poetæ multa mentiuntur.

*Ovid. lib. 3. eleg.*

Exit in immensum fœcunda licentia vatum,
Obligat historica nec sua verba fide.

*Cat. lib. 3.*

Multa legas facito: perlectis selege multa;
Nam miranda canunt, sed non credenda poetæ.

Poetæ student famæ.

*Ovid. lib. 3. de Arte amand.*

Quid petitur sacris nisi tantum fama Poetis?
Hoc votum nostri summa laboris habet.
Cur ducum fuerant olim regumque poetæ,
Præmiaque antiqui magna tulere chori?
Sanctáque majestas, & erat venerabile nomen
Vatibus, & largæ sæpe dabantur opes?
Ennius emeruit Calabris in montibus hortos
Contiguos pene Scipio magne tibi,
Nunc hederæ sine honore jacent, operataque doctis
Cura nihil Musis, nomen inertis habet.
Sed famam vigilare juvat, quis nosset Homerum,
Ilias æternum si latuisset opus?

Poetarum est ficta pertractare, quæ tamen veritati consona esse debent.

*Horatius de arte Poetica.*

Ficta voluptatis causa sint proxima veris.

Poetarum utilitas magna est, eo quod nos innumera docent bona.

*Horat. lib. 2. epist ad August.*

Scribimus indocti, doctique poemata passim;
Hic error tamen, & levis hæc insania quantas
Virtutes habeat sic collige, *&c.*

Reliqua quære tit. de Carminibus.

## DE POTENTIA.

Quanto potens major est, tanto miserior esse dicitur, quia assiduo timore angitur.

*Seneca in Thyeste.*

Anxius sceptrum tenet, & moventes
Cuncta dynastas, metuitque casus
Mobiles rerum, dubiumque tempus.

*Idem in Agamemnone.*

Regnorum magis fallax
Fortuna bonis in præcipiti,
Dubioque nimis excelsa loco.
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certamve sui tenuere diem.
Alia ex aliis cura fatigat,
Vexatque animos nova tempestas.
Non sit Libycis syrtibus æquor
Furit alternos volvere fluctus.

*Idem in Hercule Oeteo.*

Tu quicunque es, qui sceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in aula
Centum pariter limina pulset,
Quum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix una fides.
Tenet auratum limen Erynnis,
Et quum magnæ patuere fores,
Intrat fraudes, cautique doli.

*Ibidem.*

Cæspes Tyrio mollior ostro
Solet impavidos ducere somnos:
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesque trahit purpura noctes.
O si pateant pectora ditum,
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus? Brutia Coro
Pulsante fretum mitior unda est.

*Lucret. lib. 5. de nat. rerum.*

—Nunc aurum & purpura curis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant,
Potentia humana brevis est.

*Vergil. lib. 10. Æneid.*

-- Violataque

--Violataque pectora Turni
Edocet humanis quæ sit fiducia rebus.

*Ovid. lib. 2 Metamorph.*

--Nulla potentia longa est.

*Claud de sepulcro spec.*

Magna repente ruunt summa cadunt subito.
Quanto potens major est, tanto humilior esse debet, & ad hoc admonitio notabilis.

*Seneca in Thyeste.*

Vos quibus rector maris, atque terræ
Jus dedit magnum necis, atque vitæ,
Ponite inflatos, tumidosque vultus.
Quicquid à nobis minor extimescit,
Major hoc vobis Dominus minatur.
Omne sub regno graviore regnum est,
Quem dies videt veniens superbum,
Hunc dies videt fugiens jacentem.

*Idem in Troade.*

--Quóque fortuna altius
Evexit, atque levavit humanas opes,
Hoc se magis supprimere felicem decet,
Variosque casus tremere, metuentem deos
Nimium faventes, magna memento obrui
Vincendo didici,

*Ibidem.*

Minimum decet libere, cui multum licet.

*Terentius in Adelph.*

Ah Demea hoc tu facito: ut tecum animo cogites
Quam vos facilime agitis, quam estis maxime
Potentes, dites, fortunati nobiles,
Tam maxime vos æquo animo æqua noscere
Oportet, si vos vultis perhiberi probos.

*Claud. lib. 2. in Ruffin.*

Desinat elatis quisquam confidere rebus,
Instabilesque deos ac lubrica numina discat.
Illa manus, quæ sceptra sibi gestanda parabat,
Cujus se toties submisit ad oscula supplex
Nobilitas, inhumata diu miseroque revulsa
Corpore feralem quæstum post fata poposcit.
Aspiciat, ne quis nimium sublata secundis
Colla gerat, triviis calcandus spargitur ecce
Qui sibi Pyramidas, qui non cedentia templis

Ornatu-

Ornatura suos, extruxit culmina, manes.
Et qui Sydonio velari credidit ostro,
Nudus pascit aves: jacet en qui possidet orbem
Exiguæ telluris inops, & pulvere raro
Per partes tegitur, nusquam, totiesque sepultus.
Senserunt convexa necem, tellusque nefandum
Emolitur onus.

*Idem in Epigram. satisfactionis ad Hadria.*

Jam jam suppliciis fessos, humilesque serenus
Dispice, quid tanta dignaris morte clientem?
In brevibus nunquam sese probat Æolus undis,
Nec capit angustus Boreæ certamina collis,
Alpes ille quatit, Rodopæaque culmina quassat.
Incubuit nunquam cœlestis flamma salictis,
Nec parvi frutices iram meruere tonantis.
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.

*Ausonius in Cleobuli sententiis.*

Quanto plus liceat, tanto libeat minus.
Vere potens est, qui cupiditates subjicit rationi, ut virum decet: nam è contra facere impotentia est.

*Boetius metro. 5. lib. 3.*

Qui se volet esse potentem
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdis submittat habenis,
Etenim licet Indica longe
Tellus tua jura tremiscat,
Et serviat ultima Thule:
Tamen atras pellere curas,
Miserasque fugare querelas
Non posse potentia non est.

Potentia in exaudiendis precibus optime spectatur.

*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

Conspicitur nunquam meliore potentia causa,
Quam quoties vanas non sinit esse preces.
Hoc nitor iste tui generis desiderat, hoc est
A superis ortæ nobilitatis opus,
Hoc tecum commune deis, quod utrinque rogati
Supplicibus vestris ferre soletis opem.

Potens

Potens sui est ille, cui licet in diem dicere, vixi, id est, qui absque animi perturbatione est, ut omnes decet.

*Horatius Oda. 29. lib. 3.*

—Ille potens sui
Lætusque deget, cui licet in diem
Dixisse vixi.

Potentes aggredi nemo tuto potest.

*Seneca in Medea.*

Nemo potentes aggredi tutus potest.

Potentum aditum multi colunt, auri seu divitiarum cupiditate ducti, alii gloria & ambitione tracti, ut supra tit. de Ambitione dictum est.

*Seneca in Hercule furente.*

Ille superbos aditus regum,
Durasque fores expers somni
Colit, ac nullo fine beatas
Componit opes, gazis inhians,
Et congesto pauper in auro.

Potentum consuetudo summopere vitanda est.

*Ovid. 3. de Tristib.*

Usibus edocto, si quicquam credis amico,
Vive tibi, & longe nomina magna fuge.
Viue tibi, quantumque potes prælustria vita:
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.
Nam quamquam soli possunt prodesse potentes,
Non prosunt, potius plurimum obesse solent.
Effugit hybernas demissa antenna procellas,
Lataque plus parvis vela tumoris habent.

*Ibidem.*

Crede mihi, bene qui latuit bene vixit, & intra
Fortunam debet quisque manere suam.
Non foret Eumenides orbus, si filius ejus
Stultus Achilleos non adamasset equos,
Nec natum in flamma vidisset, in arbore natas,
Cepisset genitor si Phaetonta Merops.
Tu quoque formida nimium sublimia semper,
Propositique memor contrahe vela tui.
Vive sine invidia, mollesque inglorius annos
Exige, amicitias & tibi junge pares.

*Horat. lib. 1. epist. ad Fuscum.*

—Si quid mirabere pones

Invitus,

Invitus, fuge magna, licet ſub paupere tecto
Reges, & regum vita præcurrere amicos.

Potentum opera ſecreta haud eſſe poſſunt.

*Juvenalis ſatyra 9.*

O Corydon, Corydon, ſecretum divitis ullum
Eſſe putas? ſervi ut taceant, jumenta loquentur.

Terren apoteſtas verum bonum non eſt,
quia à malis habetur.

*Boetius Metro 6. lib. 2.*

Hic tamen ſceptro populos regebat,
Quos videt condens radios ſub undas
Phœbus extremo veniens ab ortu,
Quos premunt ſeptem gelidi triones,
Quos notus ſicco violentus æſtu
Torret ardentes recoquens arenas.
Celſa non tandem valuit poteſtas
Vertere pravi rabiem Neronis?
Heu gravem ſortem, quoties iniquus
Additur ſævo gladius veneno!

Poteſtas omnis eſt impatiens conſortis.

*Lucanus lib. 1. bel. civil.*

O male concordes, nimeaque cupidine cæci,
Quid miſerere juvat vires, orbemque tenere
In medio dum terra fretum, terramque levabit
Aer, & longi volvent Titana labores,
Noxque diem cœlo totidem per ſigna ſequetur,
Nulla fides regni ſociis, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit, nec gentibus ullis
Credite, nec longe fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

*Ibidem.*

—Miſerando funere Craſſus
Aſſyrias Latio maculavit ſanguine Carras.

*Ibidem.*

—Stimulos dedit æmula virtus,
Nec quemquam jam fere poteſt Cæſarve priorem,
Pompeiuſve parem.

Poteſtas ſola virtute emitur.

*Claud. in Paneg. de 3. Hono. conſ.*

Luget avarities Stygiis innexa catenis,
Cumque ſuo demens expellitur ambitus auro.
Non dominantur opes, non corrumpentia ſenſus

Dona valent, emitur sola virtute potestas.

## DE PRÆLATIONE.

Prælatio appetenda non est, nec rejicienda, quia à Deo.

*Seneca in Thyeste.*

Nec abnuendum si dat imperium Deus,
Nec appetendum: fratre ut regnes rogat.

Prælatione vix unus est dignus.

*Juvenalis satyra 15.*

—Quis enim bonus, & face dignus
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,
Ulla aliena sibi credat mala?

Prælatus clementissimus esse amarique ab omnibus summopere studere debet, & ad hoc exhortatio perpulchra.

*Claud. de 4. Hono. cons.*

Sis pius in primis, nam quum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.
Neu dubie suspectus agas, neu falsus amicis,
Rumorumve avidus; qui talia curat, inanes
Horrebit strepitus nulla non anxius hora.
Non sint excubiæ, nec circumstantia pila,
Quam tutâtur amor: non extorquebis amaris
Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.

Prælatus observare debet quæ aliis jubet, eo quod ipsius opera & exempla in vulgus manant.

*Claud. lib. 1. in Stilic. Laud.*

Scilicet in vulgus manant exempla regentum:
Utque ducum lituos sic mores castra sequuntur.

Prælatus speculum est omnibus, in quo occultum vitium haud esse potest, igitur bene vivere debet, & ad hoc exhortatio utilis.

*Claud. de 4. Honorii cons.*

Hoc te prætèrea crebro sermone monebo,
Ut te totius medio telluris in orbe
Vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palam, nec posse dari regalibus usquam
Secretum vitiis, nam lux altissima fati
Occultum nil esse sinit, latebrasque per omnes
Intrat, & abstrusos implorat fama recessus.

Prælatus

Prælatus in se omnes virtutes habebit.

*Juvenalis satyra 8.*

Expectata diu tandem provincia quum te
Rectorem accipiet, pone iræ fræna, modumque
Pone & avaritiæ, miserere inopum sociorum
Ossa vides regum vacuis exhausta medullis.
Respice quid moneant leges, quid curia mandet,
Præmia quanta bonos maneant: quam fulmine justo
Et Capito, & Tutor ruerint damnante senatu
Piratæ Cilicum.

Prælatorum castigatio perutilis, de eorum auri infructuosa accumulatione, quæ Deo grata non est, sed mens bona, & vita virtuosa.

*Persius satyra 2.*

—At vos
Dicite Pontifices in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ.
Quin damus id superis de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago,
Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & indoctum generoso pectus honesto,
Hoc cedo ut admoveam templis, & farre litabo.

---

## DE PRINCIPIBUS.

Principis virtus summa qua cœlum petitur, quæ sit.

*Seneca in Octavia.*

Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo,
Hæc summa virtus, petitur hac cœlum via.

*Vergil. lib. 9. Ænid.*

Parcere subjectis & debellare superbos.

*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis.

*Idem lib. 1. de Ponto.*

Est piger ad pœnas princeps, ad præmia velox,
Quique dolet, quoties cogitur esse ferox.

Principis virtus non parva est, subditos suos noscere.

*Martialis lib. 8. Epigram.*

Principis est virtus maxima nosse suos.

Princeps subditos suos fastidire haud debet.

*Claud. de 4. Hono cons.*

His tamen effectis ne fastidire minores,
Neu pete præscriptos homini transcendere fines.

Principes publica potius, quam privata curare debent, & non è contra, ut fit.

*Claud. de 4. Honorii consu.*

Tu civem patremque geras, tu consule cunctis,
Nec tibi nec tua te moveant, sed publica vota.

*Plautus in Trinummo.*

Hic pluris paucorum gratiam faciunt pars hominum
Quam id, quod prosit pluribus.

Principibus viris placuisse, non est laus contemnenda.

*Horat. lib. 1. epist. ad Sævam.*

Principibus placuisse viris non ultima laus est.

Principes deo curæ sunt.

*Sidon. carm. 13.*

Est princeps magni maxima cura Dei.

## DE PRINCIPIO.

Principium omne difficile videtur esse.

*Ovid. lib. 1. de remed. amoris.*

Sed tamem est artis tristissima janua nostræ,
Et labor est unus tempora prima pati.
Aspicis ut prensos urant juga prima juvencos?
Ut nova velocem cingula lædat equum?

*Terentius in Heauton.*

Omnia hæc dum incipias gravia sunt, dumque ignores: ubi cognoveris, facilia.

Principium dimidium totius esse dicitur.

*Horat. lib. 1 epist. ad Lollium.*

Dimidium facti, qui cœpit, habet, sapere, aude,
Incipe.

*Ausonius in Epigram.*

Incipe, dimidium facti est cœpisse: supersit
Dimidium, rursum hoc incipe, & efficies.

*Idem in Monosyl.*

Incipe quicquid agas, pro toto est prima operis pars.

Principium habens bonum, & sequentia bona habere dicitur.

*Plautus in Persia.*

Si quam rem accures, sobrie aut frugaliter,
Solet illa recte sub manus succedere.
Atque Ædepol firme ut quisque rem accurat suam,
Sic ei procedit post principia, denique si malus
Aut nequam'st, male res vertunt quas agit:
Sin autem frugi'st, eveniunt frugaliter.
Hanc rem exorsus sum facete & callide.
Igitur proventuram bene confido mihi.

Principia negata si sint, sequentium rationem reddere non est.

*Lucret. lib. 1. de nat. rerum.*

-- Cui nisi prima fides fundata valebit,
Haud erit occultis de rebus, quo referentes
Confirmare animos quicquam ratione queamus.

---

## DE PROBITTE.

Probitas parvi hodie penditur.

*Owen.*

Improbitas tanti, probitas tam denique parvi
Penditur, ut probrum pene sit esse probum.

Probitas in omne ævum durat.

*Ovid. de faciei medicam.*

Sufficit, & longum probitas perdurat in ævum,
Perque suos annos hinc bene pendet amor.

Probus homo est, quem non pœnitet quam sit probus.

*Plautus in Trinummo.*

Is probus est, quem non pœnitet quam probus sit, & frugi bonæ.

Proborum pretium quod sit, & cur illorum societas eligenda.

*Plautus in Trinummo.*

Boni sibi hæc expetunt, rem, fidem, honorem,
Gloriam & gratiam, hoc probis pretium'st, eo mihi magis lubet
Cum probis potius, quam cum improbis vivere vanidicis.

Probo viro placuisse non ultima laus est

*Horat. satyra 6. lib. 1.*

--Magnum hoc ego duco,
Quod placuit tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre præclaro, sed vita & pectore puro.

## DE PRODITIONE.

Proditor perdit uno tempore, quæ longo parta servataque extitere, ut de Ruffino dicitur.

*Claud. lib. 2. in Ruffinum.*

Heu, heu, quam brevibus pereunt ingentia causis,
Imperium tanto quæsitum sanguine, tanto
Servatum, quod mille ducum peperere labores,
Quod tantis Romana manus contexuit annis,
Proditor unus iners angusto tempore vertit.

Ob proditionem Capitolii, acerrime Tarpeia est punita.

*Ovid. lib. 14. Metamorph.*

--Tatiusque patresque Sabini
Bella gerunt, arcisque via Tarpeia reclusa
Dignam animam pœna congestis exuit armis.

*Idem lib. 2. de fine tit.*

Non fuit armillas tanti tetigisse Sabinas,
Ut premerent sacræ virginis arma caput.

Ob proditionem Capitolii Tarpeia in inferno sepulta, amarissimas pœnas sentit.

*Silius Italicus lib. 13. bel Pun.*

Illa autem, quæ tondetur præcordia rostro
Alitis, in quantum resonat plangentibus alis
Armiger ad pastus rediens Jovis hostibus arcem
Virgo, immane nefas, adamato prodidit auro
Tarpeia, & pactis reseravit claustra Sabinis.

## DE PROMISSIONIBUS.

Promissionibus dives quilibet esse potest.

*Ovid lib. 1. de arte amandi.*

Pollicitis dives quilibet esse potest.

Promissa servanda sunt, & ad hoc exhortatio dignissima.

*Terentius in Andria.*

Imo enim nunc maxime abs te oro atque postulo,
 Chremes,
Ut beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes.

Promissa multa fidem elevant.

*Ovid lib 2. epist ad Florum.*

Multa fidem promissa levant, ubi plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere merces.

Promissa denegare homines non verentur.

*Terentius in Andria.*

In denegando modo, quis pudor paululum adest,
Post ubi tempus est promissa jam perfici,
Tum coacti necessario se aperiunt,
Et timent, & tamen res eos premit denegare:
Ibi tum eorum impudentissima oratio est:
Quis es tu? quid mihi es? cur mea tibi?
Heus proximus sum egomet mihi. Attamen ubi
 fides
Si roges, nihil illos pudet, hic ubi opus est non verentur:
Illic ubi opus non est ibi verentur.

Promissa non servans aura verna est inconstantior.

*Ovid. Epist. 6.*

Mobilis Æsonide, vernaque incertior aura,
 Cur tua polliciti pondere verba carent?

Promissio iterata molesta est.

*Cat. lib. 1.*

Quod præstare potes ne bis promiseris ulli,
Ne sis ventosus, dum vis urbanus haberi.

---

## DE PROSPERITATE.

Prosperitas amcios cumulat atque retinet, adversitas vero disperdit.

*Ovid. lib 1. de Trist lib.*

Dum juvat, & vultu ridet fortuna sereno,
 Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur ulli
 Agminibs comitum qui modo cinctus erat:
Atque hæc exemplis quondam collecta priorum,
 Nunc mihi sunt propriis cognita vera malis:

Vix duo, tresve mihi de tot superestis amici,
Cætera fortunæ, non mea turba fuit.

*Ibidem.*

Donec eris felix multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila solus eris.
Aspicis ut veniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas sordida turris aves.
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam,
Nullus ad amissas ibit amicus opes.
Utque comes radios per solis euntibus umbra est,
Quum latet hic pressus nubibus, illa fugit:
Mobile sic sequitur fortunæ lumina vulgus,
Quæ simul inducta nube teguntur, abit.

*Ausonius in Pittaci sentent.*

Paucos amicos rebus adversis proba.

Prosperitas nocet magis quam adversitas.

*Vergil. lib. 10. Æneid.*

Nescia mens hominum fati sortisque futuræ,
Et servare modum rebus sublata secundis.

*Ovid. lib. 1. de Arte amandi.*

Mens erit apta capi tunc, quum lætissima rerum,
Ut seges in pingui luxuriabit humo.
Pectora dum gaudent, nec sunt adstricta dolore,
Ipsa patent, blanda tum subit arte Venus.
Tunc quum tristis erat defensa est Ilion armis,
Militibus gravidum læta recepit equum.

*Idem lib. 1. de arte amandi.*

Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
Nec facile est æqua commoda mente pati.

Prosperitas elatum hominem reddit.

*Seneca in Oedipo.*

Res secundæ non habent unquam modum.

*Idem in Troade.*

O tumide, rerum dum secundarum status
Extollit animos.

*Idem in Agamemnone.*

Prospera animos efferunt

*Silius Italicus lib. 1. bel. Pun. sec.*

Heu cæcæ mentes tumefactaque corda secundis.

*Idem lib. 7. bel. Pun.*

Arrecta spes Sidoniæ, fervetque secundis
Fortunæ juvenis.

Prosperitate, Dei evanescit religio.

*Silius Italicus lib. 7. bel. Pun.*

--Et raræ fumant felicibus aræ.

*Statius lib. 12. Theb.*

--Ignotæ tantum felicibus aræ.

Quod prosperitate extollendum non sit, neque adversitate desperandum, exhortatio.

*Seneca in Thyeste.*

Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsus,
Miscet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam, rotat omne fatum.

*Ausonius in Periandri sentent.*

Si fortuna juvat, caveto tolli:
Si fortuna tonat, caveto mergi.

In prosperitate positum meditare oportet, quo pacto adversitas ferenda sit, si accidat.

*Terent. in Phormione.*

Quamobrem omnes quum secundæ res sunt, tum maxime.
Meditari secum oportet, quo pacto adversam ærumnam ferant,
Pericla, damna, exilia: peregre rediens semper cogitet
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ,
Communia hæc esse & fieri posse, ut ne quid animo sit novum.
Quicquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.

*Ovid. lib. 4. de Ponto.*

Tu quoque fac timeas, & quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris, fieri tristia posse puta.

Prospera quanto magis delectabiliora sunt, tanto magis angunt, si mutentur.

*Horat lib. 1. epist. ad Fuscum.*

Quum res plus nimio delectavere secundæ,
Mutatæ quatient.

# DE PROVIDENTIA.

Providentiam multi negant, ex casibus & mala morte bonorum, & prosperitate malorum.

*Ovid. lib. 3. Elegia.*

Quum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitos nullos esse putate deos.
Vive tamen moriture pius, cole sacra, colentem
Mors gravis à templis in cava busta trahet.

*Verg. eclog. 8.*

Nec curare Deum credis mortalia quemquam.

*Claudianus lib. 1. in Ruffinum.*

Sed quum res hominum tanta caligine volvi
Aspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Religio, caussæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ semina currere motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna non arte regi, quæ numina sensu
Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.

Quod autem providentia sit, qua Deus inferiora omnia regit & administrat, quodque mali impuniti non manent, etsi diu floreant, illud supra tit. de Deo, Deus gubernat, & hoc tit. de Peccato ostensum est.

Superior autem error ab ipso Claudiano statim è medio his verbis eodem libro tollitur.

Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Absolvitque deos: jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror: tolluntur in altum,
Ut lapsu majore ruant.

# DE PRUDENTIA.

Prudentia hominem instruit, ne quid agat inconsulto.

*Claud. 2. Paneg. in laud. Stilic.*

—Prudentia ne quid
Inconsultus agas.

Prudentia sensus, & consilium miseros cum re destituunt.

*Ovid. lib. 4. de Ponto.*

Crede mihi miseros prudentia prima relinquit,
Et sensus cum re, consiliumque fugit.

Prudentia fortitudine dignior est.

*Valer. Flac. lib. 4. Argon.*

Sed te non animis, nec solis viribus æquum
Credere, sæpe acri potior prudentia dextra.

*Ansh. Mon.*

Vir prudens animo est melior quam fortis in armis.

*Idem.*

Corporis exuperat vires prudentia mentis.

Prudentiam habens numen habere dicitur.

*Juvenalis satyra 10.*

Nullum numen abest, si sit prudentia.

Prudentis est nolle nocere quum possit, stulti vero è contra.

*Ausonius in Bia sententiis.*

Quid prudentis opus? Quum possit nolle nocere.
Quid stulti proprium? Non posse, & velle nocere.

---

## DE PUDICITIA.

Pudicitiæ commendatio.

*Propert. lib. 2. eleg ad Cynthiam.*

Felix Admeti conjunx & lectus Ulissis,
Et quæcunquæ viri fœmina limen amat.

Pudicitia non est auro vendenda.

*Tibullus lib. 2. Eleg 9.*

Admovi quoties, auro ne pollue formam,
Sæpe solent auro multa subesse mala.

Penelope pudicitiæ conjugalis exemplum singulare.

*Ovid Epist. 1. Heroid.*

Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit, & immensas increpat usque moras.
Increpet usque licet, tua sim, tua dicar oportet,
Penelope conjux semper Ulyssis ero.

*Idem lib. 3. Eleg.*

Penelope mansit quamvis custode careret,
Inter tam multos intimerata procos.

*Propert. lib. 2. Eleg ad Amicam.*

Penelope poteras bis denos salva per annos
Vivere, tam multis fœmina digna procis.

Conjugium

Conjugium falsa poterat differre Minerva
Nocturno solvens texta diurna dolo,
Visura & quamvis nunquam speraret Ulyssem,
Illum expectando facta remansit anus.

Claudia pudicitiæ suspectæ purgatrix miraculosè.

*Ovid. lib. 4. Fastor.*

Supplicis alma tuæ genitrix fœcunda deorum
Accipe sub certa conditione preces:
Casta negor, si tu damnas, meruisse fatebor.
Morte luam pœnas judice victa dea.
Sed si crimen abest, tu nostræ pignora vitæ
Te dabis, & castas casta sequere manus.
Dixit, & exiguo funem conamine traxit:
Mira, sed è scena testificata loquar.
Mota dea est, sequiturque ducem, laudatque sequendo,
Index lætitiæ fertur ad astra sonus.
Claudia procedit læto celeberrima vultu,
Perdita vix tandem teste pudica dea.

*Silius Italicus lib. 17. bel. Pun.*

Hic prisca ducens Clausorum ab origine nomen,
Claudia non æqua populi male credita fama
In puppim versis palmisque oculisque profatur:
Cœlicolum genitrix, numen quod numina nobis
Cuncta creas, cujus proles terramque fretumque,
Syderaque & manes regnorum sorte gubernat,
Si nostrum nullo violatum est crimine corpus,
Testis diva veni, & facili me absolve carina,
Tum secura capit funem, fremitusque leonum
Audiri visus subito, & graviora per auras
Nulla pulsa manu sonuerunt tympana divæ,
Fertur prona rates, ventos impellere credas,
Contraque adversas ducentem prævenit undas.

Matronæ pudicæ raræ sunt.

*Ovid. lib. Epist. 16. Heroid.*

Ac peccant aliæ, matronaque rara pudica est,
Quis prohibet raris nomen inesse meum.

*Juvenalis satyra 6.*

—Tarpeum limen adora
Pronus, & auratam Junoni cæde juvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici:
Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ,

Pudicitia dos maxima juvenculæ est.

*Plautus in Amphit.*

Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur,
Sed pudicitiam, & pudorem, & sedatum cupidinem.

Pudicitia lascivo sermone amittitur.

*Mant. cont. Impud.*

Verba movent animos, oris lascivia pectus
Pulsat, & in venas semina mortis agit.

Pudicitia semel amissa, nulla arte est reparabilis.

*Ovid. Epist. 5. Heroid.*

Tu quoque clamabis, nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est, deperit il'. semel.

## DE PUODRE.

Pudor mulieres decet, magis quam purpura.

*Plautus in Pœnula.*

Meretricem pudorem gerere magis decet, quam purpuram.

Magis quidem meretricem pudorem, quam aurum gerere condecet.

Pudor mentem viresque accendit.

*Vergil lib. 5. Æneid.*

Tum pudor incendit vires, & conscia virtus.

*Silius Italicus lib. 1. bel. Pun.*

Tum pudor accendit mentem, nec conscia fallit
Virtus pressa loco.

Pudor arctis, necessariisve in rebus absit.

*Valerius Flac. lib. 5. Argon.*

—Rebus semper pudor absit in arctis.

Pudor peccati secundum in homine bonum est, eo quod tutum hominem reddit.

*Seneca in Hippolyto.*

Obstare primum est velle, nec labi via,
Pudor est secundus.

*Propertius lib. 2. ad Cynthiam.*

Nam nihil invitæ tristis custodia prodest,
Quam peccare pudet, Cynthia tuta sat est.

Pudor olim populum regebat.

*Ovid. lib. 1. Fastorum.*

Proque

Proque metu populum sine vi pudor ipse regebat;
Nullus erat justis reddere Jura labor.

Pudor semel quum perierit, iterum redire nescit.

*Seneca in Agamem.*

Periere mores, Jus, decus, pietas, fides,
Et qui redire nescit, quum perit, pudor.

*Valer. Flac. lib. 7. Argon.*

-- Et non revocabilis unquam
Cessit ab ore pudor, propior implevit Erynnis.

Pudorem qui amisit periit.

*Plautus in Bacchid.*

Nam ego illum periisse duco, cui quidem periit pudor.

---

## DE PUERITIA.

Pueritiæ proprietas quæ sit.

*Horat de Arte Poetica.*

Ætatis cujusve notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus & annis.
Reddere qui voces jam scit puer, et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit, & ponit temere, & mutatur in horas:

*Cornelius Gallus.*

Diversos diversa juvant, non omnibus annis
Omnia conveniunt, res prius apta nocet.
Exultat levitate puer, gravitate senectus,
Inter utrumque manens stat juvenile decus:
Hunc tacitum, tristemque decet, fit clarior ille
Lætitia, & linguæ garrulitate suæ.

Pueri discordias ex levibus causis ut gerunt, ita et mulieres.

*Terent. in Hecyra.*

Pueri inter se, quam pro levibus noxis iras gerunt.
Quapropter? quia enim qui eos gubernant animum infirmum gerunt.
Itidem illæ mulieres sunt ferme, ut pueri, levi sententia.
Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit.

Pueri celant nihil, igitur nulla secreta eis committenda sunt.

*Seneca in Thyeste.*

Tacita tam rudibus fides
Non est in annis, detegent forsan dolos.

Puero tanta debetur reverentia, ut nihil dictu visuque fœdum limina ædium, in quibus educatur, tangere debeat.

*Juvenalis satyra 14.*

Nil dictu fœdum visuque hæc limina tangat
Intra quæ puer est: procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos.

---

## DE PULCHRITUDINE.

Pulchritudo bonum fragile est.

*Vergilius Eclog. 2.*

O formose puer nimium ne crede colori,
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

*Mapheus Vegius lib. 13. Verg. addito.*

At nunc, Turne, jaces, ubinam generosa juventæ
Gloria, & excellens animus? quo splendidus altæ
Frontis honos? quonam illa decens tibi frontis imago?

*Ovid. lib 3. de Tristibus.*

Ista decens facies longis vitiabitur annis,
Rugaque in antiqua fronte senilis erit:
Injicietque manus formæ damnosa senectus,
Quæ strepitum passu non faciente venit.

*Horat. lib. Epodon.*

Fugit juventus, & verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida.
Tuis capillus albus est odoribus.

*Seneca in Octavia.*

Florem decoris singuli carpunt dies.

*Statius lib. 5. sylvarum.*

Carpitur eximium fato Priscilla decorem,
Qualiter alta comam sylvarum gloria pinus,
Seu Jovis igne malo, seu jam radice soluta
Deficit, & nulli spoliata remurmurat auræ.

Pulchri-

Pulchritudo amissa dum fuerit, dolorem non mediocrem causat.

*Ovid. lib. 3. de Tristibus.*

Quumque aliquis dicet, fuit hæc formosa, dolebis,
Et speculum mendax esse querere tuum.

*Horat Oda 10. lib. 4.*

O crudelis adhuc, & Veneris muneribus potens
Insperata tuæ quum veniet pluma superbiæ,
Et quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ
Nunc & qui color est puniceæ flore prior rosæ,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam,
Dices: heu quoties te speculo videris alterum)
Quæ mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ?

*Ovid. lib. 15. Metamorph. de Helena.*

Flet quoque ut in speculo rugas aspexit aniles
Tyndaris, & secum cur sit bis rapta requirit.

Pulchritudo appetenda non est, quia multis obfuit. de quo, & aliis de pulchritudine locis leg. tit. de Forma.

Pulchritudo mentalis durabilis est ideo quærenda.

*Ovid. lib. 3. de Arte amand.*

Jam molire animum, qui duret, & astrue formam
Solus ad extremos permanet ille rogos.

Pulchritudinis defectus ingenio quandoque compensatur.

*Ovid.*

Si mihi difficilis formam natura negavit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.



R

## DE RATIONE.

Rationis sedes in capite.

*Claud de. 4 Honorii Consul.*

—Hanc alta capitis fundavit in arce
Mandatricem operum, prospecturamque labori.

Ratio

Ratio nec decipit, nec decipitur.

*Manilius lib. 2. Astron.*

Nam neque decipitur ratio, nec decipit unquam.

Qui non ira, sed ratione movetur, ille diis proximus esse perhibetur.

*Claudianus in Consulat. Manilii.*

--Diis proximus ille est,
Quem ratio non ira movet, qui facta rependens
Consilio punire potest mucrone cruento

Quod ratio dictat, sequendum est.

*Persius satyra 5.*

Stat contra ratio, & secretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo.

Ratio sive causa nulla est tam bona, quin pereat, si non defendatur in judicio.

*Ovid. Epist. 19.*

Cur reus infœlix absens agor? & mea quum sit
Optima, non ullo causa tuente perit?

Ratio prævalet vi.

*Corn Gall.*

Plus ratio quam vis cœca valere solet.

---

## DE RAPINA.

Rapina è multis facilior ac tolerabilior.

*Ovid. lib. 1. eleg sive amo.*

Celsior è multis, nec tam invidiosa rapina est,
Præda venit canis de grege plena lupis.

*Idem Eleg. 10.*

Carpite de plenis pendentes vitibus uvas,
Præbeat Alcinoi poma benignus ager.

*Tibullus lib. 1. Eleg. 1.*

At vos exiguo pecori furesque lupique
Parcite, de magno præda petenda grege.

---

## DE RECREATIONE.

Recreatio corporis quandoque sumenda est.

*Ovid ad Pisonem.*

——Nec enim facundia semper
Adducta cum fronte placet, non semper in armis
Bellica turba manet, nec tota classicus horror

No&

Nocte dieque gemit, non semper Gnosius arcus
Destinat, exempto sed laxat cornua nervo,
Et galea miles caput, & latus ense resolvit.

*Ibidem.*

Ignea quinetiam superum pater arma recondit,
Et Ganlmedeæ repetens convivia mensæ
Poculo sumit ea, qua gessit fulmina, dextra.

*Horat. satyra 6. lib. 2.*

—Quo bene circa
Dum licet in rebus Jucundis vive beatus.

*Persius satyra 5.*

Indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est
Quod vivis, cinis & manes & fabula fies.

*Martialis lib. 7. Epigram.*

Vive velut rapto, fugitivaque gaudia carpe,
Perdiderit nullum vita reversa diem.

*Idem lib. 10 Epigr.*

Gaudia tu differs, at non & stamina differt
Atropos, atque omnis scribitur hora tibi.

*Tibullus eleg. 8. lib. 1.*

At tu, dum primi floret tibi temporis ætas,
Utere, nam tardo labitur illa pede.

Virtutis studiosi se aliquando recreare solent.

*Seneca in Hercule furente.*

Post multa virtus opera laxari solet.

Virtute præditi se debent aliquando recreare, sed moderate: quia tunc ad labores agiliores atque fortiores redduntur.

*Statius lib. 4. Sylvarum.*

—Nostra fatiscit,
Laxaturque chelys, vires instigat, alitque
Tempestiva quies, major post otia virtus.
Talis cantata Briseide venit Achilles
Actior, & positis erupit in Hectora plectris.

Vide de his tit. de Otio ad longum.

---

## DE REGNO.

Regnum instabile est, ubi pudor, jurisque cura, fides, pietas, sanctitasque abest.

*Seneca in Thyeste.*

Ubi non est pudor,

Nec cura juris, sanctitas, pietas fides,
Instabile regnum est.

Regna quo majora sunt, eo ad graviorem casum sunt proniora.

*Juvenalis satyra* 10.

Ergo quid optandum foret ignorasse fateris
Sejanum, nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ,
Quid Crassos? quid Pompeios evertit? & illum
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus,
Magnaque numinibus vota exaudita malignis.

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Simul profecto premere felices Deus
Quum cœpit, urget, hos habent magna exitus.

Regna violenta, id est, per tyrannidem acquisita, longa durabiliaque non sunt.

*Seneca in Hercule furente.*

Rapta, sed trepida manu
Sceptra obtinentur; omnis in ferro est salus,
Quod civibus tenetur invitis, scias,
Strictus tuetur ensis, alieno in loco
Haud stabile regnum est.

*Idem in Troade.*

Violenta nemo imperia continuit diu.

*Idem in Medea.*

Iniqua nunquam regna perpetuo manent.

Regnare diu nemo potest qui timetur tantum.

*Seneca in Thebaid.*

Qui vult amari, languida regnet manu.
Invisa nunquam imperia retinentur diu.

Regnum atque odium à Deo simul conjuncta sunt, adeo, ut qui odium metuit, nec regnet quidem.

*Seneca in Thebaid.*

Regnare non vult, esse qui invisus timet,
Simul ista mundi conditor posuit Deus,
Odium, atque regnum.

*Idem in Oedipo.*

——Odium qui nimium timet,

Regnare

Regnare nescit, regna custodit metus.

*Lucanus lib. 8. bel. civil. Ptolemæi rationem adducens.*

Jus, & fas multos faciunt, Ptolemæe, nocentes:
Dat pœnas laudata fides, quum sustinet, inquit.
Quos fortuna premit fatis accede, deisque,
Et cole felices, miseros fuge, sydera terra
Ut distant, & flamma mari sic utile recto,
Sceptrorum vis tota perit, si pendere justa
Incipit, evertitque arces respectus honesti.
Libertas scelerum est quæ regna invisa tuetur.

Regnare dicitur esse pœna.

*Seneca in Thebaid.*

JOCAS. *P*œnas quidem solvet graves,
Regnabit. Est hæc pœna.

Regnum fraudes regnandi docet, atque sceleris viam.

*Seneca in Thyeste.*

Ut nemo doceat fraudes, & sceleris viam,
Regnum docebit.

Regnum unà non capit duos.

*Lucanus lib. 1. bel. civil.*

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

*Seneca in Thyeste.*

Non capit regnum duos.

*Idem in Agamemnone.*

Quas non arces scelus alternum
Dedit in præceps? impia quas non
Arma fatigant?

*Statius lib. 1. Thebaid.*

Protinus attoniti fratrum sub pectore motus,
Gentilesque animos subiit furor; ægraque lætis
Invidia, atque parens odii metus, inde regendi
Sævus amor, ruptæque vices, jurisque secundi
Ambitus impatiens & summo dulcius unum
Stare loco, sociisque comes discordia regnis.
Sic ubi delectos per torva armenta juvencos
Agricola imposito sauciare affectat aratro,
Illi indignantes queis nondum vomere multo
Ardua nodosos cervix descendit in armos,
In diversa trahunt, atque æquis vincula laxant

Viribus

Viribus, & vario confundunt limite ſulcos:
Haud ſecus indomitos præceps diſcordia fratres
Aſperat, alterni placuit ſub legibus anni
Exilio mutare ducem, ſic jure maligno
Fortunam tranſire jubent, ut ſceptra tenentē
Fœdere præcipiti ſemper novus angeret hæres.
Hæc inter fratres pietas erat, hæc mora pugnæ
Sola, nec in regem perduratura ſecundum.
Et nondum craſſo laquearia fulta metallo
Montibus, aut late Graiis effulta nitebant
Atria, congeſtos ſatis explicitura clientes.
Non impacatis regum advigilantia ſomnis
Pila, nec alterna ferri ſtatione gementes
Excubiæ, nec cura mero committere gemmas,
Atque aurum violare cibis, ſed nuda poteſtas
Armavit fratres, pugna eſt de paupere regno.

Regale bonum inſtabile eſt.

*Seneca in Troade.*

Quicunque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leves metuit deos,
Animumque rebus credulum lætis dedit,
Me videat, & te, Troja, non unquam tulit
Documenta fors majora, quam fragili loco
Starent ſuperbi, columen everſum cecidit
Pollentis Aſiæ, cælitum egregius labor.

*Manilius lib. 1. Aſtrono.*

Quot poſt excidium Trojæ ſunt eruta regna?
Quot capti populi? Quoties fortuna per orbem
Servitium imperiumque tulit, varieque revertit?
Trojanos cineres in quantum oblita refovit
Imperium? fatis Aſiæ jam Græcia preſſa eſt.
Secula dinumerare piget, quotieſque recurrens
Luſtraret mundum vario ſol igneus orbe,
Omnia mortali mutantur lege creata,
Nec ſe cognoſcunt terræ vertentibus annis,
Exutas variam faciem per ſecula gentes.

Regum pericula immenſa ſunt.

*Seneca in Oedipo.*

Quiſquam ne regno gaudet? ô fallax bonum,
Quantum malorum, quam fronte blanda tegis?
Ut alta ventos ſemper excipiunt juga
Rupemque ſaxis vaſta dirimentem freta,

Quam

Quamvis quieti verberant fluctus maris:
Imperia sic excelsa fortunæ subjacent.

Regnum perdere atque in servitutem cadere grave est.

*Seneca in Thebaid.*

In servitutem cadere de regno, grave est.

Regna cum scelere sunt omnibus exiliis graviora.

*Seneca in Theabid.*

Regna cum scelere, omnibus
Sunt exiliis graviora

Regnans à sanguine humano ut se abstineat (servato tamen æquitatis jure) exhortatio notabilis.

*Seneca in Hercule furente.*

—Sanguine humano abstine
Quicunque regnas; scelera taxantur modo
Majore nostra.

Regium est lapsis ac miseris succurrere.

*Ovid. lib 2. de Ponto.*

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.
Convenit & tanto, quantus es ipse, viro.

*Seneca in Medea.*

—Hoc reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiet dies,
Prodesse miseris, supplices fido lare
Protegere.

Regiæ jussioni parere necesse esse, sive æqua sive iniqua sit, tyrannice, & inique dictum est. Nam regem non nisi justa & honesta imperare decet.

*Seneca in Octavia.*

NERO. Jussisque nostris pareant.
SENECA. Justa impera.

*Idem in Medea.*

Æquum atque iniquum regis imperium feras.
MED. Iniqua nunquam regna perpetuo manent.

Quod si rex honesta à suis subditis exigat, habebit omnes obsequentissimos.

*Seneca in Thyeste.*

Rex velit honesta, nemo non eadem volet.

Rex est qui juste agit, & cujus animus culpa vacat.

*Horat lib. 1. Epist. ad Mæcenatem.*

—At pueri ludentes, rex eris, aiunt,
Si recte facies: hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia dic sodes melior lex an puerorum
Nænia? Quæ regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curiis, & decantata Camillis?

*Ausonius in Monosyl.*

Qui recte faciet, non qui dominatur erit rex.

Sui rex esse qui potest omnia jura in se retinet.

*Claud. de 4. Hono. cons.*

—Tunc omnia jura tenebis
Quum poteris rex esse tui.

Rex, animum suum qui potest domare, major est, quam si totum possideret orbem.

*Horat. Oda 2. lib. 2.*

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni.

Regem opes non faciunt, sed animi tantum tranquillitas, & ille rex nihil metuit.

*Seneca in Thyeste.*

Quis vos exagitat furor
Alternis dare sanguinem,
Et sceptrum scelere aggredi?
Nescitis cupidi artium,
Regnum quo jaceat loco.
Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis, nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes.
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris,
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis favor
Vulgi præcipitis movet:
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia,
Occurritque suo bibens
Fato, nec queritur mori.
Mens regnum bona possidet.

Rex

Rex est, qui metuit nihil,
Hoc regnum quisque sibi dat.

Regis proprium est, adversa æquanimiter tolerare.

*Seneca in Oedipo.*

Quod juvat conjux mala
Gravare questu ; Regium hoc ipsum reor
Adversa capere, quoque dubius magis
Status & candentis imperii moles labat,
Hoc stare certo pressius fortem gradu.
Haud est virile terga fortunæ dare.

Regis est invidiam pati posse.

*Seneca in Herc. furent.*

Ars prima regni est, posse invidiam pati.

Regis magnanimi est alteri regi vitam donare.

*Seneca in Troade.*

Est regis alti, spiritum dare regi.

Rex amari qui cupit remissa regnet manu.

*Seneca in Thebaid.*

Qui vult amari, languida regnet manu.

Regem amari magis decet quam timeri.

*Seneca in Octavia.*

NERO. Decet timeri Cæsarem.
SENECA. At plus diligi.

Regnare cupienti via certissima est modica ut laudet.

*Seneca in Oedipo.*

Certissima est regnare cupienti via,
Laudare modica.

Ad regis exemplum subditi vivunt: ideo illi speculum virtutum, morum, ac patientiæ esse debent.

*Claud. de 4 Honor. cons.*

—Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

*Ovid. epist. consol. ad Liviam de mor. fil.*

Posuit te alto fortuna, locumque tenere
Jussit honoratum, Livia, perfer onus.

Ad te oculos aureſque trahis, tua ſata notamus,
Nec vox miſſa poteſt principis ore tegi:
Alta mane, ſupraque tuos exurge dolores.
Infragilemque animum quo potes, uſque tene,
An melius per te virtutem exempla petemus,
Quam ſi Romanæ principis edis opus?

Regem decet patriam liberis ſuis præferre.

*Seneca in Troade.*

Præferre patriam liberis regem decet.

Regem fides magis tuetur quam ferrum.

*Seneca in Octavia.*

NERO. Ferrum tuetur principem.
SENECA. Melius fides.

Regem inviſum magis opprimit vulgus, quam jacentem, id eſt humilem calcat.

*Seneca in Octavia.*

NERO. Calcat jacentem vulgus.
SENECA. Inviſum opprimit.

Regem impium interimere ſacrificium Deo gratiſſimum eſſe dicitur.

*Seneca in Herculefurente.*

Victima haud ulla amplior
Poteſt, magiſque opima mactari Jovi,
Quam rex iniquus.

Rex ut regi, ſic reges omnes Deo ſubjiciuntur:

*Horat. lib. 2. Oda 1.*

Regum timendorum in proprios reges,
Reges in ipſos imperium eſt Jovis
Clari, giganteo triumpho,
Cuncta ſupercilio moventis.

*Seneca in Thyeſte.*

Omne ſub regno graviore regnum eſt.

*Statius lib. 3. Silvar.*

——Quid enim terriſque poloque
Parendi ſine lege manet? vice cuncta geruntur,
Alterniſque premunt propriis ſub regibus, omnis
Terra premit felix regum diademata Roma.
Hanc ducibus frænare datum, mox creſcit in illos
Imperium ſuperis.

*Sidon Carm. 2.*

Regna ſuperſtat
Qui regnare jubet.

Reliqua quære in tit. de Deo, Deo subjiciuntur, &c. & tit. de Potentiā.

Vi extortus à rege metus, gravis est.

*Seneca in Octavia.*

NERO Metuant necesse est.
SENECA. Quicquid exprimitur grave est.

Reges omnia quæ libent audent, adeo ut nullum hodie scelus reliquum sit, quod in regno non deprehendatur.

*Silius Italicus lib. 16. bel. Pun.*

—Quid jam non regibus ausum ?
Aut quod jam regni restat scelus ?

*Seneca in Octavia.*

NERO. Fortuna nostra cuncta permittit mihi.

*Ibidem.*

NERO. Inertis est, nescire quod liceat sibi.

Regibus servire qui vult, justa atque honesta omnia deponat necesse est Nam aula regum fraudis est plena.

*Seneca in Hippolyto.*

Verum justa, qui reges timet,
Deponat, omne pellat ex animo decus:
Malus est minister regii imperii pudor.

*Ibidem.*

Fraus sublimi regnat in aula.

*Lucanus lib. 8. bel. civil.*

—Exeat aula
Qui volet esse pius: virtus & summa potestas
Non coeunt: semper metuent, quem sæva pudebunt.

*Seneca in Agamemnone.*

—Jura pudorque,
Et conjugii sancta fides
Fugiunt aulas.

Reges multi colunt, ut regio vallati favore, alios opprimere liceat.

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Colit hic reges, calcet ut omnes,
Perdatque alios, nullumque levet.
Tantum ut noceat cupit esse potens.

Reliqua pete ex tit. de Potentia, potentum aditus, &c. & ex tit. de Ambitione.

Reges dubia pro certis timere solent.

Seneca

*Seneca in Oedipo.*

Dubia pro certis ſolent timere reges.

CRE. Qui pavit vanos metus, veros fatetur.

Regum manus longæ eſſe dicuntur.

*Ovid, Epiſt. 16. Heroid.*

An neſcis longas regibus eſſe manus?

Regum ira gravis eſſe dicitur.

*Seneca in Medea.*

Gravis ira regum eſt ſemper.

---

## DE RELIGIONE.

Religione neglecta multa atque innumera mala Italiæ Deus immiſit.

*Horat. Oda 6. lib. 3.*

Dii multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſæ.

Feſtivis diebus homines divinis tantum vacare debent, & ad hoc exhortatio lepidiſſima.

*Ovid. lib. 1. Faſto.*

Proſpera lux oritur, linguis animiſque favete:
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.
Lite vacent aures, inſanaque protinus abſint
Jurgia, differ opus livida turba tuum.

*Tibullus lib. 2 eleg. 1.*

Luce ſacra requieſcet humus, requieſcat arator,
Et grave ſuſpenſo vomere ceſſet opus.
Solvite vincla jugis, nunc ad præſepia debent
Plena coronato ſtare boves capite.
Omnia ſint operata Deo, non audeat ullæ
Lanificam penſis impoſuiſſe manum.

Hilaritas Deo grata eſt, præcipue in feſtis.

*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

Dii quoque ut à cunctis hilari pietate colantur,
Triſtitiam poni per ſua feſta jubent.

*Seneca in Octavia.*

Parcite lacrymis urbis feſto
Lætoque die.

Divinis in rebus id ſumptus, quod inſumitur, in lucro eſt.

*Plautus in Milite.*

Quod

Quod in divinis rebus ſumas ſumptus, ſapienti lucro eſt.

Mens bona Deo offerenda eſt, non aurum.

*Perſius ſatyra 2.*

—At vos
Dicite Pontifices in ſacro quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ.
Quin damus id ſuperis, de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago,
Compoſitum jus, faſque animi, ſanctoſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.
Hoc cedo ut admoveam templis, & farre litabo.

*Tibullus eleg. 1. lib. 2.*

Caſta placent ſuperis, pura cum mente venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Sacra peccatores contingere religio eſt, igitur ab illis abſtinebunt.

*Vergil. lib. 2. Æneid.*

Tu genitor cape ſacra manu, patrioſque penates.
Me bello ex tanto digreſſum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

*Ovid. lib. 2. Faſtor.*

Innocui veniant: procul hinc, procul impius eſto
Frater, & in partus mater acerba ſuos,
Cui pater eſt vivax, qui matris digerit annos,
Quæ premit inviſam ſocrus iniqua nurum:
Tantalidæ fratres abſint, & Jaſonis uxor,
Et quæ ruricolis ſemina toſta dedit,
Et ſoror, et Progne, Teucruſque duabus iniquus,
Et quicunque ſuas per ſcelus auget opes.

*Idem. epiſt. 7. Heroid.*

Pone deos, & qui tangendo ſacra profanas,
Non bene cœleſtes impia dextra colit.

*Silius Italicus lib. 7. bel. Pun.*

Tum puppe è media magno clamore, ſacerdos,
Parcite pollutis contingere vincula palmis,
Et procul hinc moneo, procul hinc quæcunque profanæ:
Ferte gradus, nec vos caſto miſcete labori
Dum ſatis eſt monuiſſe deæ, quod ſi qua pudica
Mente valet, ſi qua illæſi ſibi corporis adſtat

Conſcia, vel ſola ſubeat pia munera dextra.

## DE REIS.

Reus abſens peragi non debet, quo ſe purgare poſſit.

*Ovid. Epiſt. 19. Heroid.*

Cur reus infœlix abſens agor? & mea quum ſit
Optima, non ullo cauſa tuente perit?

Reos defendere ob lucrum turpe eſt.

*Ovid. lib. 1. Eleg. ſive amo.*

Turpe reos empta miſeros defendere lingua,
Quod faciat magnas turpe tribunal opes.

Reus vanos metus timens accuſationem veram eſſe oſtendit.

*Seneca in Oedipo.*

Qui pavet vanos metus, veros fatetur.

## DE REPREHENSIONE.

Reprehenſio mitis potius eſſe debet quam ſevera.

*Plautus in Bacchid.*

Eia, Lyde, leniter qui ſæviunt, ſapiunt magis.
Minus mirandum eſt illic ætas ſi quid illorum facit,
Quam ſi non facit: feci ego iſthæc itidem in adoleſcentia.

Reprehenſor aliorum abſque vitio eſſe debet.

*Plautus in Truculento*

—Rationem dicam, quia qui
Alterum incuſat probri, ipſum ſe intueri oportet.

Reprehenſor ſive caſtigator morum, opere adimplere debet, quod ore docet, & tunc populus ejus præceptis facilime obſecundabit, quod ſi non fecerit illud, tunc à populo ſubſanabitur & exibilabitur.

*Ovid. lib 6. Faſtor.*

Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur,
Quum judex, alios quod monet, ipſe facit.

*Claud. de 4. Hono. conſ.*

In commune jubes ſi quid, censéſque tenendum,
Primus juſſa ſubi, tunc obſervantior æqui
Fit populus: nec ferre vetat quum viderit ipſum

Auto-

Autorem parere sibi.

*Et infra.*

—Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

*Horat. lib. 2. satyra 1.*

—Si quis
Opprobriis dignum latraverit, integer ipse
Solvetur risu tabulæ, tu missus abibis.

*Juvenalis satyra 2.*

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo
Si fur displiceat Verri, hommicida Miloni?
Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum?
In tabulam Syllæ si dicant discipuli tres.

Reprehendens aliquem vere, ille non debet desistere.

*Ausonius in Thaletis sentent.*

Quum vere objurges, sic inimice vivas.

Reprehendens obstinatum, verba facere mortuo dicitur.

*Terentius in Phormione.*

Verba fiunt mortuo.

*Plautus.*

Nihilo plus refert, quam si ad sepulchrum mortuo dicat jocum.

---

## DE REPUBLICA.

Respublica sive civitas illa bene munita est, si à decem vitiis immunis sit, alioqui centuplex murus ad res servandas exiguus erit & nihili.

*Plautus in Persa.*

Quid id quod vidisti, ut munitum muro tibi visu'st oppidum?
PERS. Si incolæ bene morati, pulchre munitum arbitror.
Perfidia & peculatus ex urbe, & avaritia si exulant
Quarta, invidia: quinta ambitio: sexta obtrectatio:

Septimum perjurium. TOX. Euge. PERS. Octavo indiligentia:
Nona injuria: decuma, quod pessimum adgressu, scelus.
Hæc nisi inde aberunt, centuplex murus rebus servandis parv'st.

Civium facinora quæ sint quos scurras vocant.

*Plautus in Trinummo.*

—Nihil est profecto stultius,
Neque stolidius, neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque perjurius, quam urbani assidui
Cives, quos scurras vocant,
Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt.
Quod quique in animo habent aut habituri sunt:
Sciunt, id quod in aurem rex reginæ dixerit, sciunt quod
Juno fabulata sit cum Jove: quæ neque futura neque facta sunt,
Tamen illi sciunt: falsone aut vere laudent, culpent quem velint,
Non flocci faciunt, dum illud, quod lubeat sciant.

Civitates præclaras ideo destructas esse plerasque, ut nihil ex illis præter nudum nomen remanserit.

*Ovid. lib. 13. Metamorph.*

—Sic magna fuit censuque virisque,
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
Clara fuit Sparte, magnæ viguere Mycenæ,
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces,
Vile solum Spartæ est altæ, cecidere Mycenæ.
Oedipodioniæ quid sunt, nisi nomina, Thebæ?
Quid Pandioniæ restant, nisi nomen Athenæ?

DE

## DE REQUIE.

Requie carens durabile non est. Igitur ab opere subinde cessandum est.

*Ovid. Epist. 4. Heroid.*

Quod caret alterna requie, durabile non est:
Hæc reparat vires, fessaque membra novat.

*Seneca in Hercule furente.*

Detur aliquando otium,
Quiesque fessis.

Requies vires reparat ac fessa membra renovat.

*Ovid. epist. 4. Heroid.*

Arcus & arma tuæ tibi sunt imitanda Dianæ,
Si nunquam cesses tendere, mollis erit.

Plura si desideras, tit. de Otio, & tit. de Recreatione consulas.

## DE RESURRECTIONE.

Epicurei & Stoici resurrectionem negant. Nam corruptum semel idem numero resumi non potest naturaliter, sed supernaturaliter indubie Deus potest: qnod illos latuit.

*Horatius Oda 7. lib. 4.*

Damna tamen celeres reparant cœlestia Lunæ.
Nos ubi decidimus
Quo pius Æneas, quo Tullus dives, & ancus,
Pulvis, & umbra sumus.

*Et post pauca.*

Quum semel occideris, & de te splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non te, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum.
Non lethæa valet Theseus abrumpere charo,
Vincula Pirithoo.

*Lucan. lib. 6. bel. civil.*

—Nequeunt animam sibi reddere fata
Consumpto jam jure semel.

*Seneca in* Hippolyto.

Nonunquam amplius
Convexa tetiget supra, qui mersus semel
Adiit silentem nocte perpetua domum.

Reliqua pete e tit. de Inferno. Inferni regressus non est.

Quod autem corruptum semel, idem denuo permissione Dei resumi possit. *Ovid.* lib. 3. de Ponto claie docet his verbis, ubi Cæsari deificato hanc potestatem attribuit,

Adde quod extinctos vel aqua, vel morte, vel igne,
Nulla potest iterum restituisse dies.
Restituit multos aut pœnæ parte levavit
Cæsar, & in multis me precor esse velit.

Resurrectio mortuorum datur secundum Platonicos, si intellexerint supernaturaliter, si vero naturaliter, ut videtur, falsa est, ut supra dictum est.

*Vergilius Eclog.* 4.

Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,
Quæ tentare Tethyn ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit dum Typhis, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas, erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

*Valerius Flac. lib.* 3. *Argon.*

—Patet ollis janua Lethi,
Atque iterum remeare licet, comes una sororum
Additur, & pariter terras, & æquora lustrant.

Lethe fluvius apud inferos esse dicitur, cujus latices animæ gustantes quæque oblivione tradunt, & sic ad propria reverti volunt corpora secundum Platonicam sententiam. Ex qua hoc verum elicitur, quod resurrectio mortuorum datur.

*Vergil. lib.* 6. *Æneid.*

—Et pauci læta arva tenemus,
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque relinquit
Æthereum sensum, atque aurati simplicis ignem.
Has omnes ubi mille rotam voluere per annos

Lethæum

Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno,
Scilicet immemores supra ut convexa revisant
Rursus, & incipiant in corpora velle reverti.

*Seneca in Hercule furente.*

—Intus immenso sinu
Placido quieta labitur Lethe vado,
Demitque curas

*Claud. lib. 2. in Ruffinum.*

Quas ubi per varios annos, per mille figuras
Egit Lethæo purgatos flumine, tandem
Rursus ad humanæ revocat primordia formæ.

---

## DE RUINA.

Ruina sero veniens, solet esse major.

*Propertius lib. 2. eleg. 7. ad Cynthiam.*

Siqua venit sero, magna ruina venit.

Ruinæ maximæ comparatio, quæ moraliter signat sublimiora non appetenda esse ruinæ metu.

*Vergil. lib. 4. Æneid.*

Ac veluti annosam valido cum robore quercum
Alpini boreæ, nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant, & stridor & alte
Consternunt terram concusso stipite frondes,
Ipsa hæret scopulis, & quantum vertice ad horas
Æthereas, tantum radice in tartara tendit.

*Claudianus in Ruffin. lib. 1.*

—Tolluntur in altum
Ut lapsu majore ruant.

*Ovid. lib. 4. de Ponto.*

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quæ valuere, ruunt.

*Seneca in Octavia.*

Alte extulisti, gravius ut ruerem.

---

## DE RURE.

Ruris laus summa.

*Olympius Nemesianus Ecl. 2.*

Forsitan indignum ducis, quod rusticus Alcon
Te cupiam, qui mane boves in pascua ducam.
Dii pecorum pavere greges, formosus Appollo,

Pan doctus, Fauni vates, & pulcher Adonis.

*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

Tempus in agrorum cultu consumere dulce est.

Rustica vita tranquillior est civili.

*Horat. lib. Epodon.*

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni fœnore.
Neque excitatur classico miles truci,
Nec horret iratum mare,
Forumque vitat, & superba civium
Potentiorum limina.

*Seneca in Hippolyto.*

Non alia magis est libera, & vitio carens,
Ritusque melior vita, quæ priscos colat,
Quam quæ relictis mœnibus sylvas amat.
Non illam amaræ mentis inflammat furor,
Qui se dicavit montium insontem jugis,
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non pestilens invidia: non fragilis favor,
Non ille regno servit, ac regno invidet.
Vanos honores sequitur, aut fluxas opes,
Spei metusque liber, haud illum niger,
Edaxque livor dente degeneri petit.
Nec scelera populos, atque inter urbes sitæ
Novit, nec omnes conscius strepitus pavet.

Rusticæ ac ciuilis vitæ collatio.

*Claud lib. 1 in Ruffinum.*

Hæc mihi paupertas augustior, hæc mihi tecta
Culminibus majora tuis: tibi quærit inanes
Luxuries nocitura cibos, mihi donat inemptas
Terra dapes, rapiunt Tyrios tibi vellera succos,
Et picturatæ saturantur murice vestes,
Hic radiant flores, & prati viva voluptas
Ingenio variata suo, fulgentibus illic
Surgunt structa thoris, hic mollis panditur herba
Sollicitum curis non abruptura soporem,
Turba salutantum latas tibi perstrepit ædes,
Hic avium cantus labentis murmura rivi.

S

# DE SACERDOTIO.

Sacerdotes, seu sacris mancipati, summopere honorandi sunt.

*Ovid. lib. 1. de Ponto.*

Vaticinor, moneoque locum date sacra ferenti:
Non mihi, sed magno poscitur ille Deo.
Talia cœlestes fieri præconia gaudent,
Ut sua quid valeant numina teste probent.

Sacerdotum violatores graviter puniuntur.

*Plautus in Rudente.*

Quis homo est tanta confidentia,
Qui sacerdotem audeat violare?
At magno cum malo suo fecit herclæ.

Sacerdotes concubinarios & quovis scelere etiam fœdatos sacra tangere non licet.

*Tibullus eleg. 1. lib. 2.*

Vos quoque abesse procul jubeo discedite ab aris,
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis, pura cum mente venite,
Et manibus puris sumite fontis aqum.

*Statius lib. 3 sylvarum.*

——Procul hinc procul ite nocentes,
Si cui corde nefas tacitum, fessique senectus
Longa patris, si quis pulsatæ conscius unquam
Matris, & inferna rigidum timet Æacon urna,
Insontes castosque voco.

# DE SACIRFICIO.

Fides Deo magis placet, quam sacrificium.

*Ovid. Epist. 19. Heroid.*

Non bove mactato cœlestia numina gaudent,
Sed quæ præstanda est & sine teste, fide.

Sacrificium Deo esse summam hominis sanctimoniam supra ostendimus tit. de Prælatione: Prælatorum castigatio.

Sacrificia impiorum Deo abominabilia sunt.

*Persius satyra 2.*

O curvæ in terris animæ & cœlestium inanes,
Quid juvat hoc, templis nostros immittere mores,
Et bona diis ex hac scelerata ducere pulpa?

*Plautus in Rudente.*

Atque hoc in animum scelesti inducunt suum,
Jovem se placare posse omnibus hostiis.
Et operam, & sumptum perdunt: atque id ideo
Fit, quia nihil ei acceptum est à perjuriis.

Sacrificia immaculata, etiamsi exigua sint, Deo summe placent.

*Ovid. lib. 2. de Tristibus.*

Sed tamen ut fuso taurorum sanguine centum,
Sic capitur nimio thuris honore Deus.

*Horat. Oda 23. lib. 3.*

—Te nihil attinet
Tentare multa cæde bidentium,
Parvos coronantem marino
Rore Deos fragilique myrto,
Immunis aram si tetigit manus.
Non sumptuosa blandior hostia
Mollibit adversos penates
Farre pio, & saliente mica.

*Silius Italicus lib. 4.*

—Justa ite precari
Thure pio, cædumque feros avertite ritus,
Mite & cognatum est homini deus.

*Statius lib. 1. Sylva.*

—Qua nunc tibi pauper acerra
Digna litem, nec si vacuet Mevania valles,
Aut præstent niveos clitumna novalia tauros,
Sufficiant, sed sæpe Deis hos inter honores
Cespes, & exiguo placuerunt farra salino.

Sacrificantes Deus exaudit, sæpissime pœnam subtrahendo, si negligitur accerrime punit.

*Ovid. lib. 5. Fastor.*

Nos quoque tangit honos, festis gaudemus, & aris,
Turbaque cœlestes ambitiosa sumus.

Sæpe

Sæpe Deos aliquis peccando fecit iniquos,
Et pro delectis hostia blanda fuit.
Sæpe Jovem vidi quum jam sua mittere vellet
Fulmina, thure dato sustinuisse manum.
At si negligimur, magnis injuria pœnis
Solvitur, & justum præteret ira modnm.
Respice Thestiadem flammis absentibus arsit,
Causa est quod Phœbes ara sine igne fuit
Respice Tantalidem, eadem dea tela tenebat,
Virgo est. & spretos bis tamen ulta focos.
Hippolyte infelix velles coluisse Dionem
Quum consternatis di[illegible]ereris equis.

Sacrificandi [illegible]ortatio dignissima.

*Silius [illegible]alicus lib. 12. bel. Pun.*

—Dii vota precesque
Ferte modo, & tepidos aris libate cruores:
Neu date terga malis.
—Sed enim ante omnes altaria fument.

---

## DE SANITATE.

Sanitatis pars est, sanari velle.

*Seneca in Hippolyto.*

Precor furorem siste, teque ipse adjuva.
Pars sanitatis, velle sanari fuit.

Sani facillime ægrotis recta consilia præbent.

*Ovid. Epist. cons. ad Liviam de mor. filii.*

Heu mihi quam facile est, quamvis hoc contigit, omnes
Alterius luctu fortia verba loqui?

*Terentius in Heanton.*

Nonne flagitium est, te aliis consilium dare,
Foris sapere, tibi non posse auxiliarier?

*Idem in Andria*

Facile omnes quum valemus recta consilia ægrotis damus.
Tu si hic sis, aliter sentias.

Sanitate nihil melius, neque commodius in hac vita.

*Horat lib. 1.*

Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.

# DE SAPIENTIA.

Sapientia Deo proxima esse dicitur.

*Horat. Oda 12 lib. 1.*

Proximos illi tamen ocupavit
Pallas honores.

Sapientia, & virtus, duæ pennæ sunt, per quas ad Dei cognitionem pervenitur.

*Boetius Metro . lib. 4.*

Sunt & enim pennæ volucris mihi,
Quæ celsa conscendant poli,
Quas sibi quum velox mens induit,
Terras perosa despicit.

Sapientiæ initium stultitia caruisse.

*Horat. lib. 1. epist ad Mæcenat.*

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima
Stultitia caruisse.

Sapientia discendo augetur.

*Columban.*

Plurima discenti semper sapientia crescit,

Sapientia fortunæ victrix est, id est, sapiens fortunæ haud subjicitur, quia fortuita quæque sua subjicit sapientia.

*Juvenalis satyra 13.*

Magna quidem sacris, quæ dat præcepta libellis,
Victrix fortuna sapientia.

Sapientia rectum docet, paulatimque vitia, atque errores ab homine exuit.

*Juvenalis satyra 13.*

Paulatim vitia atque errores exuit omnes
Prima docens rectum sapientia plurima felix.

Sapientiæ adjutorium necessarium est, sine quo nihil bene fit atque dicitur.

*Horatius de Arte Poetica.*

Tu nihil invita dices facieſque Minerva.

Sapientiæ commendatio illustris.

*Lucret. de nat rerum. 1.*

Sed nihil dulcius est bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum, templa serena
Despicere, unde queas alios passimque videre
Errare, atque viam palantis quærere vitæ,

Certare

Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atque dies niti præstante labore,
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.

*Columban.*

Omnibus est mundi melior sapientia gazis.

Sapientiæ condimentum ætas est.

*Plautus in Trinummo.*

Sapientiæ ætas condimentum'st, sapiens ætati cibus est.

Sapientia non ætate, sed ingenio adipiscitur.

*Plautus in Trinummo.*

Non ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia.

Sapientiæ inventor Deus censendus est magis quam homo, ideo & cæterarum rerum inventoribus præponendus est.

*Lucretius lib. 5.*

Quis potis est dignum pollenti pectore carmen
Condere, pro rerum, majestatisque repertis?
Quisve valet verbis tantum, qui fingere laudes
Pro meritis ejus possit, qui talia nobis
Pectore parta suo, quæsitaque præmia liquit?
Nemo, ut opinor, erit mortali corpore cretus.
Nam (si ut ipsa petit majestas cognita rerum
Dicendum'st) Deus ille fuit, Deus, inclyte Memmi,
Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ
Nunc appellatur sapientia, quique per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantisque tenebris
In tam tranquillo, & tam clara luce locavit:
Namque Ceres fertur frugis, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus instituisse.
Quum tamen his posset sine rebus vita manere,
Ut fama est aliquas etiam nunc vivere gentes:
At bene non poterat sine puro pectore vivi.
Quo magis hic merito nobis Deus esse videtur,
Ex quo nunc etiam per magnas dedita genteis.
Dulcia permulcent animos solatia vitæ.
Herculis antestare autem si facta putabis,
Longius à vera multo ratione ferere.

Sapiens Deo minor esse, & in se omnia bona habere dicitur.

*Horatii lib. 1. Epist. ad Mæce.*

Ad summum sapiens uno minor est Jove, dives,

Liber

Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Nullus sapiens bono fragili fidet.

*Seneca in Hippolyto.*

—Quis sapiens bono
Confidit fragili ? dum licet utere.

Sapientis est animum flectere ubi opus est.

*Terentius in Phormione.*

Quam scitum est eiusmodi parare in animo cupiditates,
Quas quum adversæ res sient paulo mederi possis.

*Idem in Hecyra.*

Isthuc est sapere, qui ubicunque opus sit animum possis flectere.

Sapientis est bonis bonum esse, malis vero è contra.

*Plautus in Bacchid.*

Nullus frugi esse potest homo, nisi qui & bene & male facere tenet.
Frugi convenit esse hominem, pectus cui sapit.
Bonus sit bonis, malus sit malis : utcunque res sit, ita animum habeat.

Sapientis est non tantum præsentia scire, sed & futura.

*Terentius in Adelph.*

O Demea istuc est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre, sed etiam illa quæ futura sunt,
Prospicere.

Sapientis est malum præcavisse, non errati sero pœnituisse.

Non quæ contingunt, sed quæ contingere possunt
Evitanda docet sapiens incommoda. *Gulielm.*

*Idem Phil. lib. 6.*

Tutius expectare suos in littore ventos,
Quam rate jam fracta nautas errasse fateri.

*Et Claudian. Eutr. 2. 7.*

Nil juvat errores mersa jam puppe fateri.

Sapienti nuntiasse satis est.

*Terentius in Phormione.*

Ah dictum sapienti sat est.

Sapientem omnia consilio prius experiri decet, quam armis.

*Terentius in Eunucho.*

Omnia prius experiri consilio, quam armis sapientem decet.

Sapientes, sive superiorum rerum notitiam habentes, rari esse dicuntur.

*Manilius lib. 2. Astron.*

Hæc ego divino cupiam quum ad sydera flatu
Ferre, nec in turbam, nec turbæ carmina condam,
Sed solus vacuo veluti vectatus in orbe
Verbere agam currus non occursantibus ullis,
Nec per iter socios commune gerentibus actus,
Sed cœlo noscenda canam mirantibus astris,
Et gaudente sui mundo per carmina vatis,
Vel quibus illa sacros non invidere meatus,
Notitiamque sui, minima est quæ turba per orbem.

Sapientia omes divitias superat.

*Owen.*

Si fueris sapiens Cræsi superaveris aurum
Nam sapiens nullo tempore vixit inops.

---

## DE SCELERE

Scelus unius in omnes referendum non est.

*Seneca in Hippolyto.*

Cur omnium fit culpa paucorum scelus;

Sceleris coacti culpa ad auctores redit.

*Seneca in Troade.*

Quid jussa cessas agere? ad auctores redit
Sceleris coacti culpa.

Scelera sæpe in auctorem suum redeunt.

*Seneca in Thyeste.*

Sæpe in magistrum scelera redierunt sua.

Scelus prosperum, virtus vocatur.

*Seneca in Herculefurente.*

Prosperum ac fœlix scelus
Virtus vocatur.

Sceleris locum error ingens sæpe obtinuit.

*Seneca in Herculefurente.*

Quis nomen unquam sceleris errori dedit;
Sæpe error ingens sceleris obtinuit locum.

Ob scelera immensa quæ nunc regnant, cœlum, terra, atque sol lugere debent.

*Seneca*

*Seneca in Hercule furente.*

Lugeat æther, magnusque parens
Ætheris alti, tellusque ferax:
Et vaga ponti mobilis unda,
Tuque ante omnes qui per terras,
Tractusque magis fundis radios,
Noctemque fugas ore decoro
Fervide Titan.

---

## DE SCIENTIA.

Scientia nihil dignius est in humanis.

*Lucretius lib. 4 de nat. rerum.*

Nam nihil egregius, quam res est cernere apertas
Ab dubiis, animus quas ab se protinus abdit.

Scientiam negans esse, eam ponit atque concedit.

*Lucretius lib. 4 de nat. rerum.*

Denique nil sciri si quis putat, id quoque nescit:
An sciri possit, quo nil se scire fatetur.

Scire omnes appetunt naturaliter, sed mercedem doctori nemo vult solvere.

*Juvenalis satyra 7.*

Quis color, & quod sit causæ genus, atque ubi summa
Quæstio, quæ veniant diversa parte sagittæ
Nosse volunt omnes, mercedem solvere nemo.
Mercedem appellas: quid enim scio, culpa docentis
Scilicet arguitur, quod læva in parte mamillæ
Nil salit Arcadio juveni.

Scire hæc in ætate oportet quis capite candido incedat, id est, fideliter atque juste.

*Plautus in Mustellaria.*

Sapere ista ætate oportet quis capite candido.

---

## DE SCRIPTO.

Scribendum & subinde amicis: eo quod literæ raro ad illos perferuntur.

*Ovid. lib 4. de Tristibus.*

Innumeri montes inter me, teque, viæque,
Fluminaque, & campi, nec freta pauca jacent.

Mille

Mille potest causis à te quæ littera sæpe
Missa sit in nostras rara venire manus.
Mille tamen causas scribendo vince frequenter,
Excusem ne te semper amice mihi.

Scribendum subinde amicis, ne à nobis contemni videantur, & ad hoc exhortatio.

*Claud in epist. ad Olibrium.*

Quid reat affatus quod non mihi dirigis ullos?
Nec redit alterno pollice ducta salus?
Scribendine labor? sed quæ tam prona facultas,
Carmina seu fundis, seu Cicerone tonas?
Cedere divitiis animi fortuna fatetur,
Et tantas oris copia vincit opes.
An rarus, qui scripta ferat? quin tempore nullo
Cessant Flamineæ pulverulenta viæ.
Quum fluat ingenium, quum sit qui dicta reportet;
Quæ nisi contemnor, causa relicta tibi?

*Idem eidem Epist.*

Quin age, rumpe moras, remoraturasque sodalem?
Absens eloquio fertiliore doce:
Crebraque secundo festinet littera cursu,
Digna tuis animis, insinuanda meis.
Dignatus tenui Cæsar scripsisse Maroni,
Et tibi dedecori scribere? Musa vale.

*Idem in Probinum.*

Quem precor inter nos habitura silentia finem?
Quando dabit gratas littera nostra vices?
Me timidum, vel te potius dixisse superbum
Convenit: alterius crimen uterque tenet.
Transfluxere dies, & dum scripsisse priorem
Pœnitet, æternas itur in usque moras:
Sed quid agam? cœpisse vetat reverentia vestri,
Hinc amor hortatur scribere, vincat amor.
Fors juvat audentes, prisci sententia vatis,
Hac duce non dubitem te reticente loqui.

*Et infra.*

Ergo lacessitus tandem rescribe roganti.

*Ovid lib. 5. de Tristibus.*

Quod tua me raro solatur epistola peccas,
Remque piam præstas & mihi verba negas.
Hoc precor, emenda, quod si correxeris unum,
Nullus in egregio corpore nævus erit.

*Ibidem.*

Ut quæ solebamus consumere longa loquendo
 Tempora, sermoni deficiente die:
Sic ferat ac referat tacitas nunc littora voces,
 Et peragant linguæ charta manusque vices.
Quod tibi ne nimium videar diffidere, sitque
 Versibus his paucis admonuisse satis,
Accipe quo semper finitur epistola verbo,
 Atque meis distent ut tua fata, vale.

Amantium scripta non relegenda, sed comburenda.

*Ovid lib. 2. de remed. amoris.*

Scripta cave relegas blandæ servata puellæ,
 Constantes animos scripta relecta movent.
Omnia pone feros, quamvis invitus, in ignes,
 Et dic, ardoris sit rogus iste mei.

Scripta non præcipitanda, sed in nonum annum premenda sunt. i. tam diu asseveranda, donec & alii & tu ipse diligenter castigaris.

*Horat. satyra 10. lib. 1.*

Sæpe stilum vertas iterum, quæ digna legi sint
Scripturus, neque te ut miretur turba labores,
Contentus paucis lectoribus.

*Idem de arte Poetica.*

 ——Si quid tamen olim
Scripseris, in Metii descendat judicis aures,
Et patris, & nostras, nonumque prematur in annum.
Membranis intus positis delere licebit,
Quod non edideris.

Scriptores materiam viribus æquam sumant.

*Horat. de arte Poetica.*

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri: cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

*Propert. lib. 3 eleg. ad Mæcenat.*

Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?
 Non sunt apta meæ grandia vela rati.
Turpe est quod nequeas capiti committere pondus,
 Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
 Flamma nec ex æquo ducitur ulla jugo.

*Titus Calphurnius Eclog. 4.*

Dulce quidem resonas, nec te diversus Apollo
Respicit, ô juvenis, sed magnæ munera Romæ
Non ita cantari debent, ut ovile Menalcæ.

In omni scripto fides & pietas exigitur.

*Titus Calphurnius Eclog. 4.*

Quicquid id est, sylvestre licet videatur acutis
Auribus, & nostro tantum memorabile pago,
Dum mea rusticitas, si non valet arte polita
Carminis, at certe valeat pietate probari.

---

## DE SENECTUTE.

Senectutis periphrasis.

*Cornelius Gallus.*

Stat dubius tremulusque senex, semperque malorum
Credulus, & stultus quæ facit ipse timet.
Laudat præteritos, præsentes despicit annos;
Hoc tantum rectum quod facit, ipse putat.

*Et infra.*

Hæ sunt primitiæ mortis, his partibus ætas
Defluit, & pigris gressibus ima petit.
Non habitus, non ipse color, non gressus euntis,
Non species eadem quæ fuit ante manet.
Labitur ex humeris demisso corpore vestis,
Quæque brevis fuerat jam modo longa mihi est.
Contrahimur, miroque modo decrescimus ipsi,
Diminui nostri corporis ossa putes:
Nec cœlum spectare licet, sed prona senectus
Terram à qua genita est, & reditura videt.
Fitque tripes prorsus quadrupesque, ut parvulus infans,
Et per sordentem flebile serpit humum.
Ortus cuncta suos repetunt, mortemque requirunt,
Et redit ad nihilum, quod fuit ante nihil.
Hinc est quod baculo incumbens ruitura senectus,
Assiduo pigram verbere pulsat humum,
Et numerosa movens certo vestigia passu,
Talia rugato creditur ore loqui,
Suscipe me genetrix, nati miserere laborum,
Membra velis gremio fessa fovere tuo.

Senectus hyemi comparatur.

*Ovid. lib. 15. Metamorph.*

Inde senilis hyems tremulo venit horrida passa,
Aut spoliata suos, aut quos habet alba capillos.
Nostra quoque ipsorum semper, requieque sine ulla
Corpora vertuntur, nec quod fuimusve sumusve,
Cras erimus.

Senectus animi vires non debilitat.

*Vergil. lib 10 Æneid.*

—Nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.

Senectus ægra dicitur, quia ægritudinibus plena obrepit.

*Ovid lib. 14. Metamorph.*

—Sed jam felicior ætas
Terga dedit, tremuloque gradu venit ægra senectus.

Senectus arrogans ac loquax est.

*Cornelius Gallus.*

Se solum doctum, se judicat esse peritum,
Et quod sit sapiens desipit ipse magis.
Multa licet nobis referens, eademque revolvens
Horret, & alloquium conspuit ipse suum.
Deficit auditor, non deficit ipse loquendo,
O sola fortes garrulitate senes.
Omnia necquicquam clamosis vocibus inplet,
Nil satis est, horret quæ placuere modo.
Arridet de se ridentibus, ac sibi plaudens
Incipit opprobrio lætior esse suo.
Hæ sunt primitiæ mortis, his partibus ætas
Defluit.

Senectutem quæ dedeceant.

*Cornelius Gallus.*

Turpe seni vultus nitidi, vestesque decoræ,
Atque etiam est ipsum vivere turpe senem.
Crimen amare jocos: crimen convivia cantus,
O miseri quorum gaudia crimen habet.

Senectus baculo gressum adjuvat.

*Ovid. lib. 8. Metamorph.*

Membra levant baculis, tardique senilibus annis.

*Titus Calphurn. Eclog. 5.*

Aspicis ut nobis jamdudum mille querelas
Adferat, & baculum premat inclinata senectus.

*Seneca in Hercule furente.*

Iners senectus adjuvat baculo gradum.

Senectus multa commoda secum adfert, atque aufert.

*Horat. in arte Poetica.*

Multa ferunt anni venientes commoda secum;
Multa recedentes adimunt.

*Cornel. Gallus.*

Tune sola tibi subdis miseranda senectus,
Cui cedit quicquid vincere cuncta potest?
In te corruimus, tua sunt quæcunque fatiscunt,
Ultima quæque tuo conficis ipsa malo.

Senectus juventæ similis grata est.

*Ausonius in Chilonis sententiis.*

Grata senectus homini parilis juventæ.

Senectus magis morte metuenda est, nam morbus est.

*Juvenalis satyra 11.*

Non præmaturi cineres, nec funus acerbum
Luxuriæ, sed morte magis metuenda senectus.

*Terentius in Phorm.*

Senectus ipsa morbus est.

Senectutis incommodorum descriptio notabilis.

*Horat. de arte Poetica.*

Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quærit, & inventis miser abstinet, ac timet uti.
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat:
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, castigator, censorque minorum.

*Juvenalis satyra 10.*

Sed quam continuis, & quantis longa senectus
Plena malis deformem & tetrum ante omnia vultum,
Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem,
Pendentesque genas & taleis aspice rugas,
Quales umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,
In vetula scalpit jam mater simia bucca.
Plurima sunt juvenum discrimina, pulchrior ille
Hoc, atque ille alio, multum hic robustior illo,
Una senum facies, quum voce trementia labra
Et jam leve caput, madidique infantia nasi,
Frangendus misero gingiva panis inermi,
Usque adeo gravis uxori, natisque, sibique,

Ut

Ut captatori moveat fastidia Cosso.
Non eadem vini atque cibi torpente palato
Gaudia.

*Et post pauca.*

Præterea minimus gelido jam corpore sanguis
Febre calet sola, circumsilit agmine facto
Morborum genus omne, quorum si nomina quæras,
Promptius expediam quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themison ægros autumno occiderit uno.
Quot Basilus socios, quot circum scripserit Hirrus
Pupillos.

*Ibidem.*

Ille humero in lumbis, hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos, & luscis invidet, hujus
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis.
Ipse ad conspectum cœnæ diducere rictum
Suetus, hiat tantum, ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater jejuna: sed omni
Membrorum damno major dementia, quæ nec
Nomina servorum, nec vultum agnoscit amici,
Cum quo præterita cœnavit nocte, nec illos
Quos genuit, quos eduxit.

*Ibidem.*

Ut vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt
Funera natorum: rogus aspiciendus amatæ
Conjugis & fratris, plenæque sororibus urnæ
Hæc data pœna diu viventibus, ut renovata
Semper clade domus, multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore & nigra veste senescant.

*Boetius Metro. 1 lib. 1.*

Venit enim properata malis inopina senectus,
Et dolor ætatem jussit inesse suam:
Intempestivi funduntur vertice cani,
Et tremit effœtos corpore laxa cutis.

*Plautus in Mœnech.*

—Consitus sum senectute, onustum gero
Corpus, vires relinquere, ut ætas mala est merx? mala est ergo,
Nam res plurimas pessumas, quum advenit, adfert, quas si autumem
Omnes, nimis longus sermo est.

senectutis memoria assiduo retinenda est, quia homini
non parum confert.
*Ovid. lib. 3. de arte amandi.*
Venturæ memores jam nunc estote senectæ,
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Senectus odiosa est adolescentulis.
*Terentius in Hecyra.*
Odiosa est hæc ætas adolescentulis.
Emeritæ senectæ jam nulla præmia dantur.
*Claud. de bel. Gildon.*
Deseror, emeritæ jam præmia nulla senectæ.
Senes à noxiis omnibus nudati esse debent.
*Horat. lib. 1. epist. ad Florum.*
Non es avarus, abi, Quid cætera? num simul isto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine & ira;
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas?
Nocturnos lemures, portentaque Thessala rides.
Natales grate numeras? ignoscis amicis?
Lenior & melior fis accedente senecta?
Quid te exempta juvat spinis de pluribus una?
Vivere si recte nescis, discede peritis.
Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti,
Tempus abire tibi est, ne potum largius æquo
Rideat & pulset lasciva decentius ætas.
*Plautus in Milite.*
Vacuum esse isthac te ætate hic decebat noxiis:
Itidem ut tempus anni, ætatem aliam aliud factum
convenit.
Senio ac vetustate confectis quiescendum est.
*Propert. eleg. 20. lib. 2.*
Miles depositis annosus secubat armis,
Grandævique negant ducere aratra boves.
Putris & in vacua requiescet navis arena,
Et vetus in templo bellica parma vacat.
Senes communiter avari sunt.
*Terentius in Adelphis.*
—O noster Demea,
Ad omnia alia ætate sapimus rectius.
Solum unum hoc vitium adfert senectus hominibus,
Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est.
Senes felices dicuntur per antiphrasim.
*Juveni-*

*Iuvenalis satyra 10.*

Rex Pylius (magno si quicquam credis Homero)
Exemplum vitæ fuit à cornice secundæ.
Felix nimirum, qui per tot secula mortem
Distulit, atque suos jam dextra computat annos.
Quippe novum toties mustum bibit, oro parumper
Attendas quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, & nimio de stamine, quum videt acris
Antilochi barbam ardentem, nam quærit ab omni
Quisquis adest socio, cur hæc in tempora duret,
Quod facinus dignum tam longo admiserit ævo.

Senes immemores sunt.

*Seneca in Oedipo.*

Prima languescit senum
Memoria, longo lassa sublabens situ.

Senes reverendi sunt summopere, exemplo antiquorum.

*Ovid. lib. 5. Fastorum.*

Magna fuit capitis quondam reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.

*Ibidem.*

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen & ætatis mite Senatus habet.

*Et infra.*

Verba quis auderet coram sene digna rubore
Dicere? Censuram longa senecta dabat.

*Iuvenalis satyra 13.*

Improbitas illo fuit admirabilis ævo.
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunque puer, licet ipse videret
Plura domi farra, & majores glandis acervos:
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis:
Primaque par adeo sacræ lanugo senectæ.

Senem acta generosa hominem reddunt.

*Ovid. epist. cons. ad Liviam de mor. filii.*

Ipse tibi emissus nebulosum littus Averni
Sic liceat forti verba tot ore sonet:
Quid numeras annos? vixi maturior annis;
Acta senem faciunt, hæc numeranda tibi.

Frons tristis senem decet.

*Seneca in Hippolyto.*

Lætitia iuvenem, frons decet tristis senem.

Senum officium est jura & leges noscere.

*Ovid. lib. 9. Metamorph.*

Jura senes norint, & quid liceatque; nefasque,
Fasque sit inquirant, legumque examina servent.

---

# DE SERMONE.

Sermone docto, ac hilari joco terendum est tempus hyemale.

*Statius lib. 4. sylvarum.*

Nobis verus amor, medioque Helicone petitus
Sermo, hilaresque joci brumalem absumere noctem
Suasetunt, mollemque oculis expellere somnum.

Sermo utilis ac dulcis omnium suffragia sibi vendicat.

*Horat. in arte Poetica.*

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Omnis hominum sermo in his duobns monosyllabis Est, & Non, versatur,

Verg de Est & Non.

Est, & Non, cuncti monosyllaba nota frequentant,
His demptis, nihil est hominum quod sermo volutet,
Omnia in his, & ab his sunt omnia, sive negoti,
Sive oti quicquam est, seu turbæ, sive quietis.
Qualis vita hominis, duo quam monosyllaba versant.

Sermo omnis sive colloquium in pauca conferendus est, ne suspectus fiat.

*Seneca in Medea.*

Suspecta ne sint longa colloquia, amputa.

*Terentius in Phormione.*

Cedo, quid portas obsecro, atque id si potes, uno verbo expedi.

Sermone longo, verborumque ambage ac circuitu manifesta probanda non sunt.

*Manilius lib. 2. Astron.*

Sed ne circuitu longo manefesta probentur,
Ipsa fides operi faciet pondusque fidemque.

Sermo facundus in via pro vehiculo est.

*Verg. lib. 8. Æneid.*

—Ibat rex obsitus ævo,

Et comitem Æneam juxta natumque tenebat,
Ingrediens variosque viam sermone levabit.
Exempla sermonis qui uno die non poterit absolvi:

*Vergil. lib. 1. Æneid.*

O dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum,
Ante diem clauso componet vesper olympo.

*Ovid lib. 14. Metamorph.*

Desinet ante dies, & in alto Phœbus anhelos
Æquore tinget equos, quam consequar omnia dictis
In species translata novas.

*Plautus in Captivis.*

Si ego item memorem, quæ me erga multa fecisti
bene,
Nox diem adimat.

## DE SERVITUTE.

Servum esse, durum & grave est.

*Seneca in Troade.*

Durum, invisum, grave est
Servitia ferre.

Servum innocentem, fidelemve esse decet confidentem apud herum suum.

*Plautus in Captivis.*

Decet innocentem servum atque innoxium
Confidentem esse suum apud herum potissimum.

*Propertius lib. 3. eleg.*

Omnis enim debet sine vano nuntius esse,
Majoremque timens servus habere fidem.

Servum oculos, manus, verbaque domita habere decet.

*Plautus in Milite.*

—Nam homini servo suos
Domitos oportet habere oculos, & manus;
Orationemque.

Servum scire decet potius quam loqui.

*Plautus in Epidico.*

Sed taceam, optimum est, plus scire satius est
Quam loqui servum hominem, ea sapientia est.

Servum superbum esse non decet.

*Plautus in Asinar.*

Non decet ſuperbum eſſe hominem ſervum.

*S*ervum domini ſui voluntatem in pectore habere decet.

*Plautus in Perſa.*

Qui hero ſuo ſervire vult, bene ſervit ſervitutem,
Næ ædepol illum multa in pectore ſuo collocare oportet,
Quæ hero placere ſenſeat præſenti atque abſenti ſuo.
Servos complures omnes habere volunt, nihil interim curantes bonine an mali ſint.

*Plautus in Menæch.*

Clientes ſibi omnes volunt eſſe multos: bonine an mali ſient
Id haud quæritant, res quæritur magis quam clientum fides.
Quojuſmodi cluat: ſi eſt pauper, atque haud malus,
Nequam habetur: ſin dives eſt, habetur is cliens
Frugi, qui neque leges, neque æquum, neque bonum uſquam colunt,
Sollicitos patronos habent, datum denegant quod datum eſt.

*S*ervus eſſe debet qui ſe non habet, & qui aſſidue concupiſcit.

*Martialis lib. 2. Epigram.*

Reges & dominos habere debet,
Qui ſe non habet, atque concupiſcit,
Quod reges dominique concupiſcunt.

*S*ervus non eſt, qui pio atque egregio ſubjicitur principi.

*Claud. lib. 3. in Stilic. laudes.*

Fallitur egregio quiſquis ſub principe credit
Servitium: nunquam libertas gratior extat,
Quam ſub rege pio.

Servo atque captivo ſi addatur malum, ad majus malum promptiſſimus efficitur.

*Plautus in Menæch.*

Homines captivos qui catenis vinciunt,
Et qui fugitivis ſervis induunt compedes,
Nimis ſtulte faciunt, mea quidem ſententia.
Nam homini miſero malum ſi accidit ad malum,
Major lubido eſt fugere, & facere nequiter.
Nam ſe ex catenis eximunt aliquo modo,

Tum compediti januam lima perterunt,
Aut lapide excutiunt clavum.

## DE SIMILITUDINE.

Similitudinis maximæ, quæ aliquando inter duos apparet, intimatio jucunda.

*Plautus in Menæch.*

Nam ego hominem homini similiorem nunquam vidi alterum,
Nec aqua aquæ, nec lacte lacti, crede mihi, usquam similius,
Quam hic tui est, tuque hujus:

Simile suum simile naturaliter diligit, & est argumentum à contrario sumptum.

*Horat. lib. 1. epist. ad Lollium.*

Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi,
Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi.

*Juvenalis.*

Magna inter mores concordia.

Similium idem est judicium.

*Plautus in Mostellaria.*

Postremo, si dictis nequis perduci, ut vera hæc credas
Mea dicta, ex factis nosce rem, vides quæ sim, & quæ fui ante?
Nihilo ego minus quam nunc tu, amata sum, atque uni modo gessi morem,
Qui pol me, ubi ætate hoc caput colorem commutavit,
Reliquit, deseruitque me, tibi itidem futurum credo.

Artifices ejusdem artis & professionis sese mutuo amant.

*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

Scilicet ingeniis aliqua est concordia junctis,
Et servat studii fœdera quisque sui.
Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ navita puppis amat.

## DE SIMULACRIS.

Simulacra non esse Deos.

*Martial. lib. 3. Epigram.*

Qui finxit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille deos, qui colit, ille facit.

Simulacris nihil prorsum divinitatis inest.

*Statius lib. 2. Thebaid.*

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Dei: mentes habitare & pectora gaudet.

Non simulacra, sed deum videns felix est.

*Ovid. lib 2. de Ponto.*

Felices illi, qui non simulacra, sed ipsos,
Quique Deum coram corpora vera vident.

Pro Deo, simulacra coluntur perperam.

*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

Quos dedit ars vultus effigiemque colo.
Sic homines novere deos, quos arduus æther
Occulit, & colitur pro Jove forma Jovis.

## DE SIMULATIONE.

Simulare, loco scilicet, & tempore, prudentis est.

*Vergil. lib. 1. Æneid.*

Talia voce refert, curisque ingentibus æger,
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

*Plautus in Trinummo.*

Sapiens quidem pol ipse fingit fortunam sibi.

*Terentius in Adelph.*

Simulare certi est hominis.

*Vide tit. de Dissimulatione.*

## DE SITI.

Sitienti etiam aqua dulcis est, nectarque sapit.

*Ovid. lib. 6. Metamorph.*

Haustus aquæ mihi nectar erit, vitamque fatebor
Accepisse simul, vitam dederitis in undis.

Sitis maximæ intimatio.

*Ovid. lib. 6. Metamorph.*

—Non ego nostros
Abluere hic artus, lassataque membra parabam,

Sed relevare sitim, caret os humore loquentis,
Et fauces arent, vixque est via vocis in illis.

## DE SOBRIETATE.

Sobrietas quanta commoda adferat corporibus nostris.

*Horat. lib. 2. satyra 2.*

Accipe nunc victus tenuis, quæ, quantaque secum
Adferat, in primis valeas bene: nam variæ res
Ut noceant homini credas, memor illius escæ
Quæ simplex olim tibi sederit.

*Et infra.*

—Vides ut pallidus omnis
Cæna desurgat dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitiis, animum quoque prægravat una,
Atque adfigit humo divinæ particulam auræ:
Alter ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit.

## DE SOLERTIA.

Solertia paret artes, egestas inquirit, usus vero nutrit.

*Claud. lib. 3. de Rapt. Proserp.*

Provocet ut segnes animos, rerumque remotas
Ingeniosa vias paulatim exploret egestas,
Utque artes pariat solertia, nutriat usus.

Solertia conando omnia vincere dicitur.

*Manilius lib. 1. Astronom.*

Omnia conando docilis solertia vicit,
Nec prius imposuit rebus finemque manumque
Quam cœlum ascendit, ratio, cœpitque profundis
Naturam rerum causis, viditque quod usquam est.

Solers homines pigros, qui nihil esse dicuntur, odit.

*Plautus in Rudente.*

—Opera
Haud fui parcus mea: nimis homo nihil'st qui piger est,
Nimisque id genus odi ego male.

# DE SOMNO ET SOMNIIS.

Somnii vis, ejusque regia descriptio.

*Ovid. lib.* 11. Metamorph.

Est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
Mons cavus, ignavi domus & penetralia somni,
Quo nunquam radiis oriens, mediusve cadensve
Phœbus adire potest, nebulæ caligine mixtæ,
Exhalantur humo, dubiæ crepuscula lucis:
Nil vigil ales ibi cristati cantibus oris
Evocat auroram, nec voce silentia rumpunt,
Sollicitive canes, canibusve sagacior anser.
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanæve sonum reddunt convitia linguæ.
Muta quies habitat: saxo tamen exit ab imo
Rivus aquæ Lethes, per quem cum murmure labens
Invitat somnos crepitantibus unda lapillis.
Ante fores antri fœcunda papavera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte soporem
Nox legit, & spargit per opacas humida terras,
Janua, ne verso stridorem cardine reddat,
Nulla domo tota est, custos in limine nullus.
At medio thorus est Hebeno sublimis in antro
Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipse Deus membris languore solutis.
Hunc circa passim varias imitantia formas
Somnia vana jacent totidem, quot messis aristas,
Sylva gerit frondes, ejectat littus arenas.

*Seneca in Hercule furente.*

Veris miscens falsa, futuri
Certus, & idem pessimus autor.
Pater ô rerum portusque vitæ,
Lucis requies, noctisque comes,
Qui par regi, famuloque venis,
Pavidus fessum, lenisque foves,
Placidum lethi genus humanum,
Cogis lentam discere mortem.

Somnus Astreæ id est, justitiæ filius, mortisque frater esse dicitur.

*Seneca in Hercule furente.*

Volucer matris genus Astreæ

Frater duræ languidæ mortis.

Somnus animi quies, malorum domitor, atque humanæ vitæ pars melior esse dicitur.

*Seneca in Hercule furente.*

—Tu ô domitor
Somne, malorum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ.

Somnus mortis imago esse dicitur.

*Ovid. lib. 2. elig. sive amo.*

Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

*Sil. lib. 12.*

Quod sopor eripuit, credas abscedere vitæ.

Somnus hominià prandio non est bonus.

*Plautus in Must.*

Non bonus est somnus homini de prandio.

Somnus diuturnas animi cogitationes, quandoque, scilicet, refert.

*Seneca in Octavia.*

Quæcunque mentis agitat infestus vigor,
Ea per quietem sacer, & arcanus refert,
Veloxque sensus.

*Claud. in præfat. 6. lib. de cons. Honor.*

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies,
Venator defessa toro quum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas, & sua lustra redit.
Judicibus lites, aurigæ somnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.
Furto gaudet amans, permutat navita merces,
Et vigil elapsas quærit avarus opes.
Blandaque largitur frustra sitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte sopor:
Me quoque musarum studium sub nocte silenti
Artibus assiduis sollicitare solet.
Namque poli media stellantis in arce videbar
Ante pedes summi carmina ferre Jovis.

Somnus agrestium, id est, pauperum lenis esse dicitur.

*Horat. Oda 3. lib 2.*

—Somnus agrestium
Lenis virorum, non humiles domos

Fastidit.

Fastidit.

Somnus falsa veris miscet.

*Seneca in Hercule furente.*

Veris miscens falsa, futuri
Certus, & idem pessimus auctor.

*Ovid. lib. 2. Elegia.*

Tu levis es, multoque tuis ventosior alis,
Gaudiaque ambigua dásque negásque fide.

Somnia fallacia vanave fere omnia sunt.

*Tibullus lib. 3. Elegia 4.*

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere jubent.

*Cat. lib 2.*

Somnia ne cures; nam mens humana quod optat,
Dum vigilat, sperans, per somnum cernit.

## DE SPE.

Spes decipit multos.

*Ovid. epist. 16. Heroid.*

Tale nihil timeo, sed nec Medea timebat:
Fallitur augurio spes bona sæpe suo.

*Plautus in Rudente.*

Nam multa præter spem scio multis bona evenisse.
AMP. At ego etiam qui speraverint spem decepisse multos.

Spes in bonitate Dei retinenda est.

*Ovid. lib. 1. de Ponto.*

Quamvis est igitur meritis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei.

Spes longitudinis vitæ resecanda est.

*Horatius Oda 11, lib. 1.*

—Et spatio brevi
Spem longam reseces, dum loquimur fugit invida
Ætas, carpe diem, quam minimum credula postero.

Spes pretio emenda non est.

*Terentius in Adelph.*

Ego spem pretio non emo.

Spes timorque homines maxime agitant.

*Seneca in Hercule furente.*

Turbine magno spes sollicitæ
Urbibus errant, trepidique metus.

*Terent in Andria.*

—Væ misero mihi,
Ut animus in spe atque in timore usque antehac attentus fuit.
Itaque postquam adempta spes est, lassus cura confectus stupet.

Spes vitam hominum fovet.

*Ovid. lib. 1. de Ponto.*

Spes igitur pœnæ menti Græcine levanda
Non est ex toto ulla relicta meæ.
Hæc dea, quum fugerent sceleratas numina terras,
In diis invisa sola remansit humo.
Hæc facit ut videat quum terras undique nullas
Naufragus, in mediis brachia jactet aquis,
Hæc facit ut vivat fossor quoque compede vinctus,
Liberaque à ferro crura futura putet,
Sæpe aliquem solers medicorum cura relinquit,
Nec spes huic, vena deficiente, cadit.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem,
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
Hæc dea quam multos laqueo sua colla ligantes,
Non est proposita passa perire nece.
Me quoque conantem gladio finire dolorem,
Arguit injecta continuitque manu.

*Tibullus eleg. ult. lib. 2.*

Jam mala finissem letho, sed credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore, semper ait,
Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
Quum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Spe sublata ab ipso animo cito deficit homo.

*Terentius in Andria.*

Itaque postquam adempta spes est, lassus cura confectus stupet.

Spes anxia longaque mentem extrahit, cruciat, ac longo voto gaudia consumit.

*Stat. lib. 1. Theb.*

—Spes anxia mentem

Extrahit

Extrahit, & longo consumit gaudia voto.

*Idem lib. 2. Thebaid.*

Et quæ non gravior mortalibus addita cura
Spes ubi longa venit.

Sperare qui nihil potest, desperet nihil.

*Seneca in Medea.*

Qui nil potest sperare, desperet nihil.

Insperata sæpius ac magis eveniunt, quam sperata.

*Plautus in Mustel.*

Insperata accidunt magis sæpe, quàm quæ speres.

Spes in res mortales collocanda non est, quia caducæ sunt.

*Silius Italicus lib. 7. bel. Pun.*

Spes heu fallaces, oblitaque corda: caducum
Mortali quodcunque datur.

Spes & timor dubiam faciunt fidem.

*Ovid. Epist. 7. Heroid.*

—Alternans spesque timorque fidem.

Spem timor facit.

*Owen.*

Speraret cœlos nemo, si nemo timeret
Infera; prudenti spem facit ipse timor.

---

## DE STUDIO.

Studio litterarum sedulo, præsertim in juvenili ætate incumbendum est.

*Tibullus lib. 8. eleg. 1.*

At tu, dum primi floret tibi temporis ætas,
Utere, non tardo labitur illa pede.

*Claud. de 4. Honorii Cons.*

Interea Musis animus dum melior instet,
Et quæ mox imitere legas nec desinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.

Studio non intendens vitio deditus erit.

*Horat. lib. 1 Epist. ad Lollium.*

Si non intendens animum studiis, & rebus honestis,
Invidia, vel amore vigili torquebere.

Studium dolorem aufert.

*Ovid. lib. 5 de Tristib.*

Quot frutices sylvæ, quot flavas Tibris arenas,
Mollia quot Martis gramina campus habet,

Tot mala pertulimus, quorum medicina quieſque
Nulla niſi ſtudio, Pieridumque mora.

Sua quemque ſtudia delectant.

*Ovid. lib. 1. de Ponto*

Scilicet eſt cupidus ſtudiorum quiſque ſuorum,
Tempus & aſſueta ponere in arte juvat.
Saucius evitat pugnam gladiator, & idem
Immemor antiqui vulneris arma capit.
Nil ſibi cum pelagi dicit fore naufragus undis,
Et ducit ad remos, qua modo navit aqua.

Librorum copia abſque ſtudio hominem non reddit doctum.

*Auſonius in Epigram ad Philomuſum.*

Emptis quod libris tibi bibliotheca referta eſt,
Doctum & grammaticum te, Philomuſe, putas.
Hoc genere & chordas, & plectra, & barbita conde,
Hodie mercator, cras citharœdus eris.

Studii remiſſi intimatio, veniæque perpulchra imploratio.

*Ovid. lib. 4. de Ponto.*

Da veniam faſſo, ſtudiis quoque fræna remiſi,
Ducitur & digitis litera rara meis.
Impetus ille ſacer, qui vatum pectora nutrit,
Qui prius in nobis eſſe ſolebat, abeſt.

Studioſi intimatio notabilis.

*Juvenalis ſatyra 5.*

At te nocturnis juvat impalleſcere chartis,
Cultor enim Juvenum purgatas inſerit aures
Fruge Cleanthea.

---

## DE STULTITIA.

Stultitia carere eſt prima ſapientia.

*Horat. lib. 1. epiſt ad Mæcenat.*

Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima
Stultitia caruiſſe.

Stulti proprium eſt velle nocere dum non poteſt.

*Auſonius in Bia ſenten.*

Quid ſtulti proprium? Non poſſe, & velle nocere.

Stulto

Stulto qui adversatur, ipsum insaniorem reddit.

*Plautus in Amphitryone.*

Non tu scis, Bacche, bacchanti si velis adversarier,
Et insania insaniorem facies, feriet sæpius,
Si observaveris, una resolvas plaga,
Irritabis crabrones.

Stultitiam simulare quandoque expedit.

*Cat. lib. 2.*

Insipiens esto cum tempus postulat & res;
Stultitiam simulare loco prudentia summa est.

---

## DE SUBDITIS.

Subditos regem seu dominum timere decet.

*Seneca in Octavia.*

Decet timere Cæsarem.

Subditi indigna ut habere debent, quæ heri prælative faciunt ac imponunt.

*Plautus in Captivis.*

Indigna digna habenda sunt, herus quæ facit.

---

## DE SUPERBIA.

Superbia mores egregios inquinat.

*Claud. de 4. Honorii consulat.*

Inquinat egregios adjuncta superbia mores.

Superbiæ solenne vitium est secundis rebus, ac ingrata virtutum comes.

*Claud. lib. 2. de Stilic laud.*

—Quum ipsa superbia longe
Discessit, vitium rebus solenne secundis,
Virtutumque ingrata comes,

Superbiæ maximæ intimatio.

*Ovid. lib. 8. Metamorph.*

Sum felix, quis enim neget hoc? felixque manebo,
Hoc quoque quis dubiet? tutam me copia fecit.
Major sum quam cui possit fortuna nocere.

Superbus precibus signisve à Deo missus non flectitur, ut de Turno dicitur.

*Mapheus Vegeus in Supplementi Verg.*

Nec nostiæ potuere preces inflectere durum,

Nec

Nec divum portenta animum, quin arctius ignem
Spumabat ferus ore vomens, bellumque ciebat.

Deus superbis resistit atque eos humiliat.

*Seneca in Herc. furent.*

Dominare timidus: spiritus altos gere.
Sequitur superbos victor à tergo Deus.

---

# DE TACITURNITATE.

Tacere qui nescit, idem & loqui ignorabit.

*Ausonius in Pittaci senten.*

Loqui ignorabit, qui tacere nescit.

Taciturnitatis maximæ intimatio.

*Plautus in Persa.*

Ne hoc quoiquam homini dicerem, edictum est mihi
Magnopere, nec quoiquam homini crederem, omnes muti ut prius
Loquerentur hoc, quam ego.

Taciturnitas & Fides à servis requiritur.

*Terentius in Andria.*

Nihil istac opus est arte ad hanc rem quam paro,
Sed his, quas semper in te intellexi sitas,
Fide, & taciturnitate.

Taciturnitatis nimiæ reprehensio.

*Ausonius ad Paul.*

Unde istam meruit non felix charta repulsam?
Hostis ab hoste tamen per barbara verba salutem
Accipit, & salve mediis intervenit armis.
Respondent & saxa homini, percussus ab antris
Sermo redit, reboat nemorum vocalis imago,
Littorei clamant scopuli, dant murmura rivi,
Somniferumque canit sepes depasta susurrum.
Est & arundineis modulatio musica ripis,
Atque arguta suis loquitur coma pinea ventis,
Incubiit foliis quoties levis Eurus acutis.
Dindymaque Idæo respondent cantica luco.
Nil mutum natura dedit: non aeris ales,
Quadrupedesve silent: habet & sua sibila serpens:
Et pecus æquoreum tenui vice vocis anhelat:
Cymbala dant flectu sonitum, dant pulpita saltu
Tacta pedum, tentis reboant cava tympana tergis.

Isiaquo-

Isiaquosque agitant Mareotica sistra tumultus,
Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,
Innumerum quoties radiis ferientibus istæ
Respondent dociles moderato verbere pelves.
Tu velut Oebalius hebetes taciturnus Amyclis
Aut tua Sygalion Ægyptius oscula signet,
Obnixus Pauline taces.

*Ibidem.*

Quis prohibet salve atque vale brevitate paratæ
Scribere, felicesque notas mandare libellis?

Tacenda loqui laudabile non est.

*Ovid. lib. 2. de Arte amandi.*

Eximia est virtus præstare silentia rebus,
At contra gravis est culpa, tacenda loqui.
Quam bene quod frustra captatis arbore pomis
Tantalus in media garrulus hæret aqua.

Tacenda sunt tibi ipsi ea, quæ taceri velis ab alio.

*Seneca in* Hippolyto.

Alium silere quod voles prius sile.

*Horat. lib. 1. epist ad Quintium.*

Nec retinent patulæ commissa fideliter aures.

Tacuisse minimus est labor.

*Ovid. lib. 2. eleg. sive amo.*

Quis minor est autem quam tacuisse labor?

Arcana commissaque tacere qui nescit, hic fugiendus est.

*Horat. satyra 4. lib. 1.*

Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.

Fideliter celanda sunt secreta, ne in odium illius, qui commisit, incidas.

*Juvenalis satyra 9.*

Hæc soli commissa tibi cælare memento,
Et tacitus nostras intra te fige querelas:
Nam res mortifera est inimicus pumice levis,
Qui modo secretum commiserat, ardet & odit.

*Terent in Eunuch.*

Tu pol si sapis, quod scis, nescias.

*Idem in* Heauton.

Nescias quod scis, si sapis.

Arcana scrutanda non sunt, nec commissa effutienda.

*Horat. lib. 1. epist.*

Arcanum neque tu scrutaberis ullius unquam,
Commissumque teges & vino tortus & ira:

Taciti quandoque vitandi sunt.

*Cat. lib. 4.*

Demissos animo ac tacitos vitare memento,
Qua flumen placidum est forsan latet altius unda.

---

## DE TEMPLIS.

Templa restauranda sunt à posteris, ne delicta majorum luant.

*Horat. Oda 6. lib. 3.*

Delicta majorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Ædesque labantes Deorum, &
Fœda nigro simulacra fumo.

Brennus Gallorum dux, eo quod Apollinis templum spoliarat, ipse cum exercitu nivibus obruitur.

*Propertius lib. 3 eleg. de Avaritia.*

Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.
Aut mons laurigero concussus vertice diras
Gallica Parnassi sparsit in arma nives.

---

## DE TEMPORALIBUS REBUS.

Temporalium rerum gloria brevis & caduca est, ideo in eis sperandum non est.

*Ovid lib. 5. de Tristibus.*

Nos quoque floruimus, sed flos fuit ille caducus,
Flammaque de stipula nostra brevisque fuit.

*Horat. Oda 7. lib. 4.*

Immortalia ne speres monet annus, & almam
Quæ rapit hora diem.
Frigora mitescunt zephyris, ver proterit, æstas
Interitura simul.
Pomifer autumnus fruges effuderit, & mox
Bruma recurrit iners.

Temporalium rerum amissio durissima est.

*Ovid. lib. 4. de Tristibus.*

Sæpe

Sæpe etiam lacrymæ sunt me scribente profusæ,
Humidaque est fletu littera facta meo;
Corque vetusta meum tanquam nova vulnera norit,
Inque sinum mœstæ labitur imber aquæ:
Dum vice mutata qui sim, fuerimque recordor,
Et tulerit quo me casus & unda subit.

Temporalibus frui bonis qui vult, & animo & corpore valeat necesse est.

*Horat. lib. 1. epist. ad Lollium.*

—Valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti.

---

## DE TEMPORE.

Descriptio sedis temporis.

*Claud Paneg. 2. in lau. Stilic.*

Est ignota procul, nostræque impervia menti,
Vix adeunda deis, annorum squalida mater
Immensi spelunca ævi, quæ tempore vasto
Suppeditat, revocatque sinus, complectitur antrum,
Omnia qui placido consumit lumine, serpens,
Perpetuumque viret squamis, caudamque reducto
Ore vorat tacito, relegens exordia lapsu,
Vestibuli custos vultu longæva decoro,
Ante fores natura sedet, cunctisque volantes
Dependent membris animæ, mansuta verendus
Scribit jura senex, numeros qui dividit astris,
Et cursus stabilesque moras, quibus omnia vivunt
Ac pereunt fixis cum legibus ille recenset.
Incertum quid Martis iter, certumque tonantis
Proficiat mundo, quid velox semita Lunæ,
Pigraque Saturni, quantum Cytherea sereno
Curriculo, Phœbique comes Cyllenius erret.

Temporis mutabilitas brevissima est, nam citissime & irreparabiliter labitur.

*Idem lib. 10. Æneid.*

Et fugit interea, fugit irreparabile tempus.

*Vergil. lib. 3. Georg.*

Stat sua cuique dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

*Ovid lib. 10. Metamorph.*

Labitur occulte, fallitque volubilis ætas,

Et

Et nihil est annis velocius.

*Idem lib. 15. Metamorph.*

Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago.
Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen: neque enim consistere flumen,
Nec levis hora potest, sed ut unda impellitur unda,
Vrgeturque eadem veniens, urgetque priorem,
Tempora sic fugiunt pariter pariterque sequuntur.
Et nova sunt semper: nam quod fuit ante relictum est,
Fitque quod haud fuerat, momentaque cuncta novantur.

*Idem lib. 6. Fastor.*

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,
Et fugiunt fræno non remorante dies.

*Idem lib. 3. de arte amandi.*

—Eunt anni more fluentis aquæ:
Nec quæ præteriit cursu revocabitur unda,
Nec quæ præteriit hora redire potest.
Utendum est ætate, cito pede labitur ætas,
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.

*Idem lib. 1. eleg.*

Labitur occulte, fallitque volubilis ætas,
Et celer admissis labitur annus equis.

*Seneca in Hippolyto.*

Volat ambiguis mobilis alis
Hora.

*Ausonius in Epigram.*

—Senescimus, effugit ætas.
—Obrepsit non intellecta senectus,
Nec revocare potes, qui periere, dies.

Tempus præsens aliam vitam aliosque mores postulat.

*Terentius in Andria.*

Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.

Tempore congruo omnia facienda sunt, nam hoc præcipuum, ac omnium rerum primum est.

*Ovid. lib. 1. de remed. amoris.*

Aggrediar melius tunc, cum sua vulnera tangi
Jam finet, & veris vocibus aptus erit.

Quis

Quis matrem nisi mentis inops, in funera nati
 Flere vetat? non hoc illa monenda loco est:
Quum dederit lacrymas, animumque impleverit ægrum,
 Ille dolor verbis emoderandus erit.
Temporibus medicina valet: data tempore prosunt,
 Et data non apto tempore vina nocent.
Quin etiam accendas vitia, irritesque vetando,
 Temporibus si non aggrediare suis.

*3. de Ponto.*

Læta fere lætus cecini, cano tristia tristis;
 Conveniens operi tempus utrumque suo est.

*Idem lib. 1. de arte amandi.*

Nec semper credenda Ceres fallacibus arvis,
 Nec semper viridi concava puppis aquæ.

*Boetius Metro 6. lib. 1.*

Quum Phœbi radiis grave
Cancri sydus inæstuat,
Tam qui larga negantibus
Sulcis semina credidit,
Elusus Cereris fide
Quernas pergat ad arbores.
Nunquam purpureum nemus
Lecturus violas petas,
Quum sævis Aquilonibus
Stridens campus inhorruit,
Nec quæras avida manu
Vernos stringere palmites
Uvis si libeat frui.
Autumno potius sua
Bacchus munera contulit.

*Terentius in Heauton.*

In tempore ad eam veni, quod rerum omnium est primum.

*Seneca in Medea.*

Compesce verba, parce jam demens minis,
Animosque minime tempori aptari decet.
Tempore & vetustate consumuntur ac mollescunt durissima quæque, quin & omnia vitia tolerabiliora fiunt.

*Vergil. eclog. 9.*

Omnia fert ætas, animum quoque, sæpe ego longos

Cantando

Cantando puerum memini me condere soles.

*Idem in eleg. de Mœcen. obitu.*

Tempora dispensant usus, & tempora cultus,
Hæc homines, pecudes, hæc moderantur aves.

*Ovid. 15. Metamorph.*

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataque dentibus ævi
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

*Idem lib. 2. de arte amandi.*

Lentescunt tempore curæ,
Vanescitque absens, & novus intrat amor.

*Idem lib. 4. de Ponto.*

Tabida consumit ferrum, lapidesque vetustas,
Nullaque res majus tempore robur habet.

*Idem lib. 4. de Tristibus.*

Tempore ruriculæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & incurvo colla premenda jugo,
Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compescitur ira leonum,
Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet.
Quæque sui jussis obtemperat Inda magistri
Bellua, servitium tempore victa subit.
Tempus ut extentis tumeat facit uva racemis,
Vixque merum capiant grana quod intus habent.
Tempus & in cavas semen producit aristas,
Et ne sint tristi poma sapore facit.
Hoc dentem tenuat terram renovantis aratri,
Hoc rigidos silices & adamanta terit.
Hoc etiam sævas paulatim mitigat iras,
Hoc minuit luctus, mœstaque corda levat.
Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas,
Præterquam curas attenuare meas,

*Cornelius Gallus.*

Cuncta trahit secum, vertitque volubile tenpus,
Nec patitur certa currere quemque via.

*Martial. lib. 6. Epigram.*

Quid non longa dies? quid non consumitis anni?

*Tibull. eleg. 4. lib. 1.*

Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aqua.

Annus in apricis maturat collibus uvas,
Annus agit certa lucida signa vice.
*Claud. lib. 2. in Eutrop.*
Quid non longa valebit
Permutare dies?
*Olymp. Nemesian. eclog. 3.*
Omnia tempus alit, tempus rapit, usus in arcto est.
*Ovid. lib. 2. de arte amandi.*
Eximit ipsa dies omneis de corpore mendas,
Quodque fuit vitium desinit esse mora.
Ferre novæ nares taurorum terga recusant:
Assiduo domitas tempore fallit amor.
Inserviendum est tempori.
*Owen.*
Dissimula, simula quoties occasio poscit,
Moribus ut morem temporibusque geras.
Temporibus qui rite sapis, servire memento
Omnibus, ut tempus serviat omne tibi.

## DE TERRA.

Terra mater est omnium.
*Ovid. lib. 1. Metamorph.*
Ossaque post tergum magnæ jactata parentis.
*Ibidem.*
Magna parens terra est, lapidesque in corpore terræ
Ossa reor dici, jacere hos post terga jubemur.
*Ovid. lib. 1. Fastorum.*
Consulitur Phœbus: sors est ita reddita: matri
Qui dederit primus oscula, victor erit.
Oscula quisque suæ matri properata tulerunt,
Non intellecto credula turba deo.
*Ibidem de Bruto.*
Ille jacens pronus, matri dedit oscula terræ,
Creditus offenso procubuisse pede.
*Lucretius lib. 2. de nat. rerum.*
—Unde alma liquentes
Humorum guttas mater quum terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges, arbustaque læta,
Et genus humanum, parit omnia secla ferarum
Pabula quum præbet, quibus omnes corpora pascunt.
Et dulcem ducant vitam prolemque propagent,
Quapropter

Quapropter merito maternum nomen adepta est.

Terra in medio mundi sita, sphærica, immobilisque est.

*Manilius lib. 1. Astron.*

Ultima subsedit glomerato pondere tellus.

*Ibidem.*

Est igitur tellus mediam sortita cavernam
Aëris, & toto pariter sublata profundo,
Nec patulas distenta plagas, sed condita in orbem
Undique surgentem pariter, pariterque cadentem.

In terram terrena quæque revertuntur.

*Lucanus lib. 7. bel. civil.*

—Capit omnia tellus
Quæ genuit, cœlo tegitur qui non habet urnam.

*Lucret. lib. 2. de nat. rerum.*

Cedit item retro de terra, quod fuit ante
In terras, & quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum cœli stellantia templa receptant.

Diversæ terræ diversa producunt.

*Ovid. lib. 1. de arte amandi.*

Nec tellus eadem parit omnia. vitibus illa
Convenit, hæc oleis, hic bene farra virent.

## DE TESTIBUS.

Testis veridicus esse debet, & ad hoc exhortatio digna.

*Juvenalis satyra 8.*

—Ambiguæ si quando citabere testis
Incertæque rei, Phalaris licet imperet ut sis
Falsus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere caussas.

Testis falsi reprehensio notabilis.

*Ovid. lib. 1 eleg. sive amo.*

Non bene conducti vendunt perjuria testes.

Testis oculatus unus pluris est, quam auriti decem.

*Plautus in Truculento.*

—Pluris est oculatus testis unus, quam auriti
Decem: qui audiunt, audita dicunt, qui vident, plane
sciunt.

Testi

Testimonium falsum leviter & audacter multi suscipiunt, modo id, de quo jurant, lateat.

*Juvenalis satyra 13.*

Tam facile, & pronum est superos contemnere testes,
Si mortalis idem nemo sciat: aspice quanta
Voce neget, quæ sit ficti constantia vultus:
Per solis radios, Tarpeiaque fulmina jurant.

## DE TIMORE.

Timoris alicujus effectus, ipsiusque intimatio.

*Vergil. lib. 3. Æneid.*

Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.

*Idem. lib. 12. Æneid.*

Illi membra novus solvit formidine torpor,
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæsit.

*Ovid. lib. 6. Metamorph.*

Quid mihi tunc animi miseræ fuit? anne quod agnæ est,
Siqua lupos audit circum stabula alta frementes?
Aut lepori, qui vepre latens hostilia cernit
Ora canum, nullos audet dare corpore motus?
Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus,
Cæruleæque cadunt toto de corpore guttæ.

*Idem lib. 1. Fastor.*

Extimui, sensique metu riguisse capillos,
Et gelidum subito frigore pectus erat.

*Lucanus lib. 1. bel. civil.*

Diriguere metu, gelidos pavor occupat artus,
Et tacito mutuos volvunt in pectore questus.

*Idem lib. 4. bel. civil.*

—Tam frigidus artus
Alligat, atque animum subducto robore torpor.

*Plautus in Amphit.*

—Timeo, totus torpeo,
Non ædepol nunc ubi terrarum sim scio ubi roget,
Nec miser me commovere possum præ formidine.

*Idem in Truculento.*

Neque vivus neque mortuus

Quapropter merito maternum nomen adepta est.

Terra in medio mundi sita, sphærica, immobilisque est.

*Manilius lib. 1. Astron.*

Ultima subsedit glomerato pondere tellus.

*Ibidem.*

Est igitur tellus mediam sortita cavernam
Aëris, & toto pariter sublata profundo,
Nec patulas distenta plagas, sed condita in orbem
Undique surgentem pariter, pariterque cadentem.

In terram terrena quæque revertuntur.

*Lucanus lib. 7. bel. civil.*

—Capit omnia tellus
Quæ genuit, cœlo tegitur qui non habet urnam.

*Lucret. lib. 2. de nat. rerum.*

Cedit item retro de terra, quod fuit ante
In terras, & quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum cœli stellantia templa receptant.

Diversæ terræ diversa producunt.

*Ovid. lib. 1. de arte amandi.*

Nec tellus eadem parit omnia. vitibus illa
Convenit, hæc oleis, hic bene farra virent.

## DE TESTIBUS.

Testis veridicus esse debet, & ad hoc exhortatio digna.

*Juvenalis satyra 8.*

—Ambiguæ si quando citabere testis
Incertæque rei, Phalaris licet imperet ut sis
Falsus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere caussas.

Testis falsi reprehensio notabilis.

*Ovid. lib. 1 eleg. sive amo.*

Non bene conducti vendunt perjuria testes.

Testis oculatus unus pluris est, quam auriti decem.

*Plautus in Truculento.*

—Pluris est oculatus testis unus, quam auriti
Decem: qui audiunt, audita dicunt, qui vident, plane
sciunt.

Testimonium falsum leviter & audacter multi suscipiunt, modo id, de quo jurant, lateat.

*Juvenalis satyra 13.*

Tam facile, & pronum est superos contemnere testes,
Si mortalis idem nemo sciat: aspice quanta
Voce neget, quæ sit ficti constantia vultus:
Per solis radios, Tarpeiaque fulmina jurant.

---

## DE TIMORE.

Timoris alicujus effectus, ipsiusque intimatio.

*Vergil. lib. 3. Æneid.*

Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.

*Idem. lib. 12. Æneid.*

Illi membra novus solvit formidine torpor,
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæsit.

*Ovid. lib. 6. Metamorph.*

Quid mihi tunc animi miseræ fuit? anne quod agnæ est;
Siqua lupos audit circum stabula alta frementes?
Aut lepori, qui vepre latens hostilia cernit
Ora canum, nullos audet dare corpore motus?
Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus,
Cæruleæque cadunt toto de corpore guttæ.

*Idem lib. 1. Fastor.*

Extimui, sensique metu riguisse capillos,
Et gelidum subito frigore pectus erat.

*Lucanus lib. 1. bel. civil.*

Diriguere metu, gelidos pavor occupat artus,
Et tacito mutuos volvunt in pectore questus.

*Idem lib. 4. bel. civil.*

—Tam frigidus artus
Alligat, atque animum subducto robore torpor.

*Plautus in Amphit.*

—Timeo, totus torpeo,
Non ædepol nunc ubi terrarum sim scio ubi roger,
Nec miser me commovere possum præ formidine.

*Idem in Truculento.*

Neque vivus neque mortuus

Sum, nec quid nunc faciam scio, neque ut hinc abeam, neque ut
Ad hanc rem adeam scio, timore torpeo.

*Terentius in Andria.*

Vix sum apud me, ita animus commotus est metu.

*Statius lib. 5. Thebaid.*

Talia cernenti mihi quantus in ossibus horror,
Quisve per ora color ? qualis quum cerva cruentis
Circumventa lupis, nullum cui pectore molli
Robur, & in volucri tenuis fiducia cursu,
Præcipitat suspensa fugam, jam jamque teneri
Credit, & elusos audit concurrere morsus.

*Ovid. lib. 2. Fastor. de Lucr. loquens*

Illa nihil (neque enim vocem, viresque loquendi,
Aut aliquid toto pectore mentis habet,)
Sed tremit, ut quondam stabulis deprensa relictis
Parva sub infecto quum jacet agna lupo.
Quid faciat ? pugnet ? vincetur fœmina pugnans,
Clamet ? at in dextra, qui vetet, ensis erat.
Aufugiat ? positis vrgentur pectora palmis,
Tum primum externa pectora tacta manu.

Timor resecandus est, & ad hoc exhortatio.

*Ovid. lib. 3. de Ponto.*

Desine mitem animum vano infamare timore:
Sæva quid in placidis saxa vereris aquis ?

*Seneca in Hippolyto.*

Aude anime, tenta, perage mandatum tuum,
Intrepida constent verba.

Timor pejora suspicari facit.

*Seneca in Hercule furente.*

Prona est timori semper in pejus fides.

*Statius lib. 3. Thebaid.*

—Tunc plurima versat.
Pessimus in dubiis augur timor.

Timor imperiosa res est.

*Martial. lib. 11. Epigram.*

Quid ? si me tonsor, quum stricta novacula supra est
Tunc libertatem, divitias que roget,
Promittam ? nec enim rogat illo tempore tonsor,
Latro rogat: res est imperiosa timor.

Timor degeneres animos arguit.

*Vergil. lib. 4. Æneid.*

Degene

Degeneres animos timor arguit.

Timor ad fugam velocem reddit.

*Vergil. lib. 8. Æneid.*

—Fugit ilicet ocyor Euro,
Speluncamque petit: pedibus timor addidit alas.

*Ovid. lib. 3. Fastor.*

Exilit, & velox humili super aula fenestra
Te jacit, audacem fecerat ipse timor.
Cumque metu rapitur tunica velata recincta,
Currit & auditis territa dama lupis.

*Petronius Arbiter in Satyr.*

Quantum quisque timet, tantum fugit.

Timor homini vires adimit.

*Ovid. lib. 6. Fastorum.*

Abstulerat vires corporis ipse timor.

*Idem epist. 13. Heroid.*

—Vires subtrahit ipse timor.

*Idem lib. 3. de arte amandi.*

Credere quod jubeat, locus est: & nomen & index.
Et quia mens semper, quod timet esse putat.

Timor anxius omnia, quæ fieri possunt, facta esse credere cogit.

*Ovid. Epist. 13. Heroid.*

Nos sumus incertæ, nos anxius omnia cogit,
Quæ possunt fieri, facta putare, timor.

Timor obest, ubi summa adest miseria.

*Ovid. lib. 3. de Tristib.*

Non est quod timeas, fortuna miserrima nostra est.

*Seneca in Oedipo.*

—Cujus haud ultra mala
Exire possunt, loco in tuto est situs.

*Ibidem.*

Solent extrema securos facere mala,

Mulieres naturaliter sunt timidæ: nam hanc passionem Deus, qui naturæ creator est, eis dedit ut inexpugnabiles non essent.

*Seneca in Octavia.*

Mulier dedit natura qui pronum malo
Animum, ad nocendum pectus instruxit dolis,
Sed vim negavit, ut ne inexpugnabilis
Esset, sed ægras frangeret vires timor.

Timere illos, quos vincere non potes, crux maxima.

*Ausonius in Thaletis sent.*

Crux est si metuas vincere quod nequeas.

Timere miserrimum est, quum quis nil sperat.

*Seneca in Troade.*

Miserrimum est timere, quum speres nihil.

Timens nil justus facile esse potest.

*Seneca in Octavia.*

Justum esse facile est, cui vacat pectus metu.

Timens nihil, minus gaudet.

*Martial lib. 11. Epigrammatum.*

Desperasse juvat, veluti jam rupta sororum
Fila, minus gaudent qui timuere nihil.

---

## DE TYRANNIDE.

Tyrannidis descriptio.

*Claud. de bel. Gildon.*

Instat terribilis vivis, morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obscœnus adulter.
Nulla quies oritur preda cessante libido,
Divitibusque dies, & nox metuenda maritis.
Quisquis vel locuples, pulchra vel conjuge notus,
Crimine pulsatur falso; si crimina desunt,
Accitus conviva perit, mors nulla refugit
Artificem, varios succos, spumasque requirit
Serpentum virides, & adhuc ignota novercis
Gramina, si quisquam vultu præsentia damnet,
Liberiusve gemat dapibus crudelis in ipsis
Emicat ad nutum stricto mucrone minister,
Fixus quisque toro tacita formidine libat
Carnifices epulas, incertaque pocula pallens
Haurit, & intentos capiti circumspicit enses.
Splendet Tartareo furialis mensa paratu,
Cæde madens, atrox gladio, suspecta veneno.
Ut vino calefacta Venus, tum senior ardet
Luxuries mixtis redolent unguenta coronis
Crinitos inter famulos, pubemque canoram
Orbatas jubet ire nurus, nuperque peremptis
Arridere viris, Phalarim, tormentaque flammæ
Protulit, & Siculi mugitus ferre juvenci,

Quam tales audire choros.

Tyranni dum timentur, & ipſe timent.

*Seneca in Oedipo.*

Qui ſceptra duro ſævus imperio regit,
Timet timentes, metus in auctorem redit.

Tyranni eſt miſero vitam donare, felicem perdere.

*Seneca in Hercule furente.*

Qui morte multos luere ſupplicium jubet,
Neſcit tyrannus eſſe, diverſa irrogat;
Miſerum veta perire, felicem jube.

Tyranni abſque cæde crudeliſſima pauci ad mortem perveniunt.

*Juvenalis ſatyra* 10.

Ad generum Cereris ſine cæde, & vulnere pauci
Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Quota pars moritur tempore fati?
Quos felices Cynthia vidit,
Vidit miſeros abitura dies,
Rarumque eſt felix idemque ſenex.

Tyranni in inferno ſepulti amariſſimas luent pœnas.

*Seneca in Hercule furente.*

Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis terga plebeia manu
Scindi tyranni.

Tyranni in nobiles inſurgunt, ut de Nerone liquet.

*Seneca in Octavia.*

NERO. Quicquid excelſum eſt cadat.

Tyranni ſalutem ſuam quærant tantum.

*Valerius Flac. lib.* 5. *Argon.*

—Nec vulgi cura tyranni,
Dum ſua ſit modo tuta ſalus.

Tyrannorum mala atque vitia quæ ſint.

*Claud. de* 4. *Honorii conſ.*

Qui terret, plus iſte timet, ſors iſta tyrannis
Convenit: invideant claris, forteſque trucident,
Muniti gladiis vivant, ſeptique venenis,
Ancipites habeant artes, trepidique minentur.

## DE TORMENTIS.

Per tormenta secreta sæpe extorquentur.

*Seneca in Troade.*

Coacta dies, sponte quod fari abnuis.

*Ibidem.*

Verberibus, igne, morte, cruciatu eloqui
Quodcunque celas adiget invitam dolor,
E pectore imo condita arcana eruit.
Necessitas plus posse, quam pietas solet.

## DE TRIBULATIONE.

Tribulatio homines ad Deum convertit.

*Ovid. lib. 11. Metamorph.*

Aspera crescit hyems, omnique a parte feroces
Bella gerunt venti, fretaque indignantia miscent.
—Hic votis numen adorat.

*Idem lib. 3. Fastor.*

Vincitur ars vento, nec jam moderator habenis
Vtitur, ac votis is quoque poscit opem.

Tribulatur quis quandoque leniter, ut ex his ad tolerandum majora gravioraque fortior reddatur.

*Ovid. epist. cons. ad Liviam.*

Scilicet exiguo percussa es fulminis ictu,
Fortior ut possis cladibus esse tuis.

Tribulatio fidem probat.

*Owen.*

Quod fornax auro facit, hoc tribulatio justis;
Rebus in adversis certa probanda fides.

V.

## DE VENIA.

Veniæ facilitas, peccati irritamen est.

*Terentius in Phormione.*

Nostrapte culpa facimus, ut malis expediat esse
Dum nimium dici nos bonos studemus & benignos.

Veniam alteri præstare facile debet is, cui venia est opus.

*Seneca in Agamemnone.*

Det ille veniam facile, cui venia est opus.

Veniam poscenti æquum est impendere.

*Horat. satyra 3. lib. 1.*

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Postulat, ignoscat verrucis illius, æquum est
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.

## DE VERE.

Descriptio verni temporis.

*Ovid. lib. 1. Fastor.*

Omnia tunc florent, & tunc nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modo formatis operitur frondibus arbos,
Prodit & in summum seminis herba solum.
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit & in pratis, luxuriatque pecus.
Tunc blandi soles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe figit opus.
Tunc patitur cultus ager & renovatur aratro.

*Idem lib. 4. Fastor.*

Vere nitent terræ, vere remissus ager.
Nunc herbæ rupta tellure cacumina tollunt,
Nunc timido gemmas cortice palmes agit.
Vere movet curvas materna per æquora puppes
Ire, nec hybernas jam timuisse minas.

# DE VERBO.

Verbum semel emissum revocari non potest.

*Horatius de Arte Poetica.*

—Nescit vox missa reverti,

*Owen.*

Qui cito praecipitat velox sine pondere verbum,
Errat, demissum non revocare potest.

*Horat. lib. 1 epist ad Lollium.*

Et semel emissum volat irrevocabile verbum.

Verba diligenter ponderanda sunt, antequam proferantur, ita ut quid, & de quo, cui dicas attendas.

*Horat. lib. 1. epist. ad Lollium.*

Quid de quoque viro, & cui dicas saepe videto.

Mulierum verba irrita, foliisque leviora sunt.

*Scal p. 345.*

Animum ne crede puellis,
Namque est foeminea tutior unda fide,

*Ovid. lib. 2. Eleg*

Verba puellarum foliis leviora caducis,
Irritaque, ut visum est, ventus & unda ferunt.

Blanda verba summopere vitanda sunt, eo quod saepissime his fallimur moraliter.

*Cat. lib. 3.*

Sermones blandos blaesosque cavere memento:
Simplicitas veri sana est fraus ficta loquendi.

*Ovid. lib. 1. Eleg.*

Impia sub dulci melle venena latent.

Verbis damnum rei alicujus non tollitur.

*Terentius in Adelph.*

Neque tu verbis solves unquam, quod mihi in re male feceris.

Verbis levatur dolor.

*Ovid. lib. 5 de Tristibus.*

Est aliquid fatale malum per verba levare,
Hoc querulam Prognem, Halcionasque facit.
Hoc erat in gelido quare Poeantius antro
Voce fatigaret Lemnia saxa sua.

Verba & iras causidicus locat id est vendit.

*Seneca in Herc. furent.*

Hic clamosi rabiosa fori
Jurgia vendens improbus, iras
Et verba locat.

Verbum miserum ac pessimum est, habuisse.

*Plautus in Rudente.*

GRIP. Papæ divitias tu quidem
Habuisti luculentas. LA. Miserum istuc verbum,
&pessimum est, habuisse,
Et nihil habere.

Verba variantur in dies, ut arborum folia.

*Horat. in Arte Poetica.*

Ut sylvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.

*Et infra.*

—Mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos, & gratia vivax.
Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

Verba blanda, cantus, citharæ, lyræque, animum homines enervant.

*Ovid. lib. 2. de remed amoris.*

Enervant animos citharæ, cantusque, lyræque,
Et vox, & numerus brachia mota suis,

---

## DE VERECUNDIA.

Verecundia in adolescente est optimum signum.

*Terentius in Adelph.*

Erubuit, salva res est.

*Plautus in Amphitr.*

Decet verecundum esse adolescentem.

Apud mensam verecundari neminem decet.

*Plautus in Trinummo.*

Verecundari neminem apud mensam decet.

## DE VERITATE.

Veritas nunquam latet.

*Seneca in Troade.*

—Veritas nunquam latet.

Veritas moras odit.

*Seneca in Oedipo.*

Quid verba quæris ? Veritas odit moras.

Veritas odium parit, obsequium vero amicos.

*Trerentius in Andria.*

—Namque hoc tempore
Obsequium amicos, veritas odium parit.

Veritatis inimicus quis sit.

*Martialis lib. 8. Epigram.*

Oras, Gallice, me, rogasque semper,
Durum est me tibi, quod petis, negare,
Vero verius ergo quid sit audi :
Verum Gallice non libenter audis.

Veritatis intimandæ exhortatio perpulchra.

*Plautus in Mostellaria.*

—Nolo ego te assentari mihi.
Ego verum amo, verum volo dici mihi : mendacem odi.

*Horat. lib. 8. Epigram.*

Dic verum mihi, Marce, d c amabo,
Nil est quod magis audiam libenter.

Nil facilius est quam vera dicere.

*Terent. in Andria.*

SI. Potin' es mihi verum dicere ? DA. Nihil facilius,

## DE VETITIS.

Vetita semper appetimus.

*Ovid. lib. 3. eleg. sive amo.*

Desine, crede mihi vitia irritare vetando,
Obsequio vinces aptius ipse tuo.
Vidi ego nuper equum contra sua fræna tenacem,
Ore reluctanti fulminis ire modo.
Constitit, ut primum concessas sensit habenas,
Frænaque in effusa laxa jacere juba.

Nitimur

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata :
Sic interdictis imminet æger aquis.
Vetita magis placent, quam concessa, & elicita, necnon ad ea omnes maxime anhelant.
*Ovid. lib. 2. Fastor.*
Quoque minor spes est, hoc magis ille cupit.
*Idem lib. 3. eleg. 5.*
Quicquid servatur cupimus magis: ipsaque furem
Præda vocat : pauci, quod sinit alter, amant.
*Senec. in Hercule Oeteo.*
Illicita amantur, excidit quicquid licet.
*Plautus in Trinummo.*
Minus placet magis quod suadetur, quod dissuadetur placet.
*Ovid. lib. 3. eleg.*
Cui peccare licet, peccat minus, ipsa potestas
Semina nequitiæ languidiora facit.

---

## DE VICINITATE.

Vicinum malum aliquid mali vicino adfert.
*Plautus in Merc.*
—Heu misero mihi,
Nunc ego verum illud verbum esse experior vetus,
Aliquid mali esse propter vicinum malum.
*Horat. lib. 1. epist. ad Lollium.*
—Ecquid
Ad te post paulo ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur paries quum proximus ardet,
Et neglecta solent incendia sumere vires.
*Ovd. lib. 2. de remed. amor.*
Proximus à tectis ignis defenditur ægre.
Malum vicinum habens, malus & ipse fit.
*Juvenalis satyra 2.*
—Dedit hanc contagio labem.
Et dabit in plures. Sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit,& porrigine porci,
Unaque conspecta livorem ducit ab uva
*Terentius in Andria.*
Quid istuc tam mirum est de te si exemplum capit?
Inter vicinos odium immortale est.
*Juvenalis satyra 15.*

Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus.

## DE VICISSITUDINE RERUM.

Omnium rerum viciſſitudo eſt.

*Stat. Sylv.* 3.

Vice cuncta geruntur
Alterniſque premunt.

*Ovid. ad Piſonem.*

Ipſa natura vices ſubit, variataque curſus
Ordinat, inverſis & frontibus explicat annum.
Non ſemper fluidis adopertus nubibus æther
Aurea terrificis obcæcat ſydera nimbis.
Ceſſat hyems, madidos & ſiccat vere capillos,
Ver fugit æſtates, æſtatum terga laceſſit
Pomifer autumnus, nubibus ceſſurus, & undis.

*Sophocl. in Phil.*

Nec ſemper nox terris incubat,
Nec fata eadem, nec divitiæ
Semper eadem permanent:
Subito in tenues auras diffluunt
Luctus, & alternis eunt
Redeunt gaudia vicibus.

*Horat. Oda 9. lib 2.*

Nec ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros, aut mare Caſpium
Vexant inæquales procellæ
Uſque nec Arminiis in oris.
Amice Valgi, ſtat glacies iners
Menſes per omnes, aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.

*Idem Oda 7 lib 4.*

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribuſque comæ.
Mutat terra vices, & decreſcentia ripas
Flumina prætereunt,
Frigora miteſcunt zephyris: ver proterit, æſtas
Interitura ſimul.

Pomifer

Pomifer autumnus fruges effuderit, & mox
Bruma recurrit iners.
*Terent. in Eunucho.*
Omnium rerum vicissitudo est.
*Propertius eleg 9. lib. 2.*
Omnia vertuntur, certe vertuntur amores,
Vinceris, aut vincis, hæc in amore rota est,
Magni sæpe duces, magni excidere Tyranni,
Et Thebæ steterant, altaque Troja fuit.
*Plautus in Amphit.*
Nam in hominum ætate multa eveniunt hujusmodi,
Capiunt voluptates, mox rursum miserias:
Iræ interveniunt, redeunt rursum in gratiam.
Verum iræ si quæ forte eveniunt hujusmodi
Inter eos, rursum si reventum in gratiam est,
Bis tanto amici sunt inter se, quam prius.

---

## DE VICTORIA.

Victoria cedendo acquiritur.
*Ovid. lib. 2. de arte amandi.*
Cede repugnanti; cedendo victor abibis.
*Idem lib. 2. Eleg.*
Cedimus? an subitum luctando accendimus ignem?
Cedamus, leve fit quod bene fertur onus.
Vidi ego jactatas mota face crescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.
Victor, arma quum deposuit, victus, odium deponat.
*Seneca in Hercule furente.*
Quum victor arma posuit, & victum decet
Deponere odia.
Victor primo impetu ferocior.
*Seneca in Troade.*
Victor feroces impetus primos habet.
Quid victor facere & victus pati debeat
sciendum est.
*Seneca in Troade.*
—Noscere hoc primum decet,
Quid facere victor debeat, victus pati.
Victori licet quicquid placuerit, tyrannice dictum.
*Seneca in Troade.*
Quodcunque libuit facere victori licet.

AGA.

AGA. Minimum decet libere, cui multum licet.

Vitam donare victo decet victorem.

*Statius lib. 8. Thebaid.*

—Si decidit hostis
Ire super satis est, vitamque relinquere victo.

Victis una salus est nullam salutem sperare.

*Vergil. lib. 10. Æneid.*

Una salus victis, nullam sperare salutem.

---

## DE VIGILIA.

Vigilia ad studium homini haud parum confert.

*Horat. lib. 1. epist ad Lollium.*

Ut jugulent homines surgunt de nocte latrones,
Ut te ipsum serves non expergescere ? Si non
Intendens animum studiis, & rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere.

Nimiæ vigilæ juvenum corpora attenuant.

*Ovid lib. 1. de Arte amandi.*

Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes,
Curaque & immenso qui fit amore, dolor,

Vigilare leve est, pervigilare vero grave.

*Martialis lib. 9. Epigram.*

Nam vigilare leve est pervigilare grave.

Vigilandum est illi, qui tempori vult negotia sua conficere.

*Plautus in Rudente.*

—Vigilare decet hominem
Qui vult sua tempori conficere officia.
Nam qui dormiunt libenter, sine lucro, & cum malo quiescunt.

---

## DE VINDEMIA.

Vindemiæ mira ac elegans descriptio.

*Olympus Nemesianus Eclog. 3.*

Tum primum lætas ostendit pampinus uvas.
Mirantur Satyri frondes & poma Lyæi,
Tunc Deus (*scilicet Bacchus*) ô Satyri, maturos carpite fructus
Dixit, & ignotos pueri calcate racemos.
Vix hæc audierant, decerpunt vitibus uvas,

Et

Et portant calathis, celerique illidere planta.
Concava saxa super ponunt, vindemia fervet
Collibus in summis, crebro pede rumpitur uva,
Udaque purpureo sparguntur pectora musto.
Tum satyri, Lasciva cohors, sibi pocula quisque
Obvia corripiunt, quod sors dedit, hoc capit usus:
Cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco,
Concavat ille manus, palmasque in pocula vertit.
Pronus at ille lacu bibit, & crepitantibus haurit
Musta labris, alius venalia cymbala mergit,
Excipit ac potat, saliens liquor ore resultat,
Atque alius latices pressis resupinus ab uvis,
Spumeus, inque humeros & pectora defluit humor.
Omnia ludus habet, cantusque, chorusque licentes.
Et venerem jam vina movent, raptantur amantes
Concubitu Satyri fugienteis jungere Nymphas
Jam jamque elapsas, hic crine, hic veste retentam.
Tum primum roseo Silenus cymbia musto
Plena senex avide non æquis viribus hausit,
Ex illo venas inflatus nectare dulci,
Hesternoque gravis semper videtur Iaccho.

Non mihi tempero quin hic subnectam quæ de Bacco. i. vino vel vinea & ejus educatione, comitibusque mira periphrasi idem *Nemesianus* eadem Ecloga scribit.

Te cano, qui gravidis hederata fronte corymbis
Vitea serta plicas, qui comptos palmite tigreis
Ducis odorato perfusus colla capillo.
Vera Jovis proles, jam tunc post fulmina cœlo
Sola Jovem *Semele* vidit, Jovis ora professum.
Hunc pater omnipotens venturi providus ævi
Protulit, & justo produxit tempore partus.
Hunc nymphæ, Faunique senes, *Satyri*que procaces,
Vosque etiam Nymphæ viridi nutristis in antro.
Quin & Silenus parvum veneratus alumnum,
Aut gremio fovet, aut resupinis sustinet ulnis,
Et vocat ad risum digito, motuque quietem
Allicit, aut tremulis quassat creputacula palmis. ]
Cui Deus arridens horrenteis pectore setas
Villicat, aut digitis aureis astringit acutas,
Applauditque manu mutilum caput, aut leve mentum.

Et

Et summas tenero subducit pollice nareis.
Interea pueri florescit pube juventa,
Flavaque maturo tumuerunt tempora cornu,
Tum primum lætas ostendit pampinus uvas.

*De vino & ejus commodis simul & incommodis, vide titulum* De Ebrietate.

---

## DE VINDICTA.

Vindicta gaudere indocti & vulgaris animi est, & præcipue mulierum.

*Juvenalis satyra* 13.

At vindicta bonum vita jucundius ipsa:
Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum, aut levibus videas flagrantia causis.
Quantulacunque adeo est occasio, sufficit iræ,
Chrysiphus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulcique senex vicinus Hymetro,
Qui partem acceptæ sæva inter vincla cicutæ
Accusatori nollet dare.

*Et post paulum.*

Semper & infirmi est animi, exiguique voluptas
Ultio.

*Juvenalis* Ibidem.

—Continuo sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet quam fœmina.

Vindicta nulla potior, quam quum adversarii formidine flectuntur.

*Claud. de bel. Getic.*

Quæ vindicta prior, quam quum formido superbos
Flectit, & assuetum spoliis affligit egestas;

Vindicta sæpe obruit.

*Seneca in* Hercule *furente.*

Sæpe vindicta obfuit.

Vindicta dolorem minuit.

*Ovid. lib.* 1. eleg.

Ah tu ne dubita, minuet vindicta dolorem.

DE

## DE VI.

Vi quicquid exprimitur grave est.

*Seneca in Octavia.*

Quicquid exprimitur grave est.

Vim temperatam dii provehunt, iidem vires omnes nefas moventes odere.

*Horat. lib. 3. Oda 4.*

Vim temperatam dii quoque provehunt
In majus, iidem odere vires
Omne nefas animo moventes.
Testis mearum centimanus Gigas
Sententiarum, *&c.*

Reliqua quære in titulo de Humilitate.

Vis absque consilio sua mole ruit.

*Horatius lib. 3 .Oda 4.*

Vis consilii expers mole ruit sua.

Vim vi repellere licet.

*Ovid. lib. 3. de arte amandi.*

Judice me fraus est concessa repellere fraudem,
Armaque in armatos sumere jura sinunt.

Vis vi collata damnosa apud magnates.

*Camer.*

Damna dat atque facit vis vi collata potentum
Ramorum attritu ut flamma resultat edax.

## DE VIRIS.

Virorum proprietates quæ sint.

*Horat. in arte Poetica.*

Conversis studiis ætas, animusque virilis
Quærit opes & amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.

Viri mulieres fugere debent, idque Hippolyti exemplo.

*Seneca in Hippolyto.*

Detestor omneis, horreo, fugio, execror,
Sit ratio, sit natura, sit durus furor,
Odisse placuit: ignibus junges aquas,
Et amica ratibus ante promittet vada.
Incerta syrtis, ante ab extremo sinu

Hesperiæ

Hesperiæ, Thetis lucidum attollet diem,
Et ora damis blanda præbebunt lupi,
Quam victus animum fœminæ mitem geram.

*Plautus in Sticho.*

—Age tu, altera utra sit conditio pensior,
Virginem, an viduam habere? PINAC. Quanta mea sapientia est,
E malis multis malum, quod minimum est, id minimum est malum.
Qui potest mulieres vitare vitet, ut quotidie
Pridie caveat, ne faciat quod pigeat postridie.

Vir muliere fortior esse dicitur ingenio suo.

*Ovid. Epist. 18. Heroid.*

Urimur igne pari, sed sum tibi viribus impar.
Fortius ingenium suspicor esse viris.
Ut corpus teneris, sic mens infirma puellis.
Deficiam, parvi temporis adde moram.

Virilis ætas autumno adsimulatur.

*Ovid lib. 15. Metamorph.*

Excipit autumnus posito fervore juventæ
Maturus, mitisque inter juvenemque senemque,
Temperie medius, sparsis quoque tempora canis.

Viri hoc seculo non secus ac mulieres ornantur.

*Ovid. de faciei medica.*

Nec tamen indignum si vobis cura placendi,
Quum comptos habeant secula nostra viros.
Fœminea vestri potiuntur lege mariti,
Et vix ad cultus nupta, quod addat, habet.

Vir prævalet Imperio fœminæ,

*Auson.*

Sexus uterque potens sed prævalet imperio mas.

---

## DE VIRGINITATE.

Virginem vitiare fas non est.

*Terentius in Adelph.*

Virginem vitiasti, quam te jus non fuerat tangere.
Virginitatis defensor Virginius eques Romanus fuit, interimens filiam ne à Claudio vitiaretur. Nam pudicæ interemptor (inquit Valerius) quam corruptæ pater esse maluit.

*Silius Italicus lib. 13. bel. Pun.*

—Virginea

—Virginea juxta,
Cerne cruentato vulnus sub pectore servat,
Tristia defensi ferro monumenta pudoris,
Et patriam laudat miserando in vulnere dextram.

Virgo mala est, si aliter sapit atque parentibus placet.

*Plautus in Persa.*

—Virgo atque mulier nulla
Erit quin sit mala, quæ præter sapiet, quam placet parentibus.

---

# DE VIRTUTE.

Exhortatio ad virtutem amplexandam lepidissima.

*Juvenalis satyra 8.*

Prima mihi debes animi bona, sanctus haberi,
Justitiæque tenax, factis dictisque mereris.

*Ibidem.*

Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.
Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer.

*Silius Italicus lib. 12. bel. Pun.*

Perge, age, vince omnem miles virtute laborem,
Et quantum humani possunt se tendere passus,
Arduus accelera.

*Valer. Flac. lib. 1. Argon.*

Vos quoque nunc vires animosque afferte paternos.

*Ibidem.*

Ite viri mc um, dubiisque evincite rebus
Quæ meminisse juvet, nostris nepotibus instent.

*Idem. lib. 5.*

Surge age, & in duris haud unquam defice, cœlo
Mox aderis teque astra ferent. *Idem. lib. 4.*
Hortatur, supplexque manus intendit Jason,
Nomine quemque premens: ubi nunc promissa superba,
Ingentesque minæ ; mecum quibus ista secuti
Idem animos certe viso timor omnibus antro
Perculerat: stetimus tamen, & Deus adfuit ausis,
Qui iterum aderit credo Deus.

*Ausonius eclog. de ambig. vita elig.*

Ergo

Ergo nil quoniam vita est quod amemus in ista,
Nec tamen incassum fas est nos credere natos,
Auctorem vitæ si justum credimus esse,
Vita alia est nobis illi vivendo paranda,
Cum quo post istam possimus vivere vitam.
Illi autem stygias properent descendere ad umbras
Pythagoreorum stolidum qui dogma secuti,
Non nasci sese quam natos vivere malunt.

*Silius Italicus lib. 13. bel. Pun in persona Alexandri Magni ad Scipionem.*

Ille sub hac, turpis lenti solertia Martis,
Audendo bella expedias: pigra extulit astris
Haud unquam sese virtus, tu magna gerendi
Præcipita tempus, mors atra impendet agenti.

*Ibidem in persona Pomponiæ ad Scipionem filium.*

Verum age nate tuos ortos, nec bella pavescas
Ulla, nec in cœlum dubites te tollere factis.

Virtus adversis in rebus fortior est, noscitur, atque apparet.

*Silius Italicus lib. 1. bel. Pun.*

At duræ invigilant mentes, molemque reponunt,
Noctis opus, clausos acuunt extrema pericli,
Et fractis rebus violentior ultima virtus.

*Ovid. lib. 4. de Tristibus.*

Materiamque tuis tristem virtutibus implet,
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, felix si Troja fuisset:
Publica Virtutis per mala facta via est.
Ars tua Typhi jacet, si non sit in æquore fluctus.
Si valeant homines ars tua Phœbe jacet.
Quæ latet, inque bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus arguiturque malis.
Dat tibi nostra locum tituli fortuna, caputque
Conspicuum pietas quo tua tollat habet.
Utere temporibus quorum nunc munere freta es,
Et patet in laudes area lata tuas.

*Seneca in Hercule furente.*

LYC. Cur ergo regi servit & patitur jugum?
MEG. Imperia dura tolle, quid virtus erit?

Virtus in adversis rebus stabilis atque firma raro reperitur.

*Ovid. lib. 5. de Tristibus.*

Rara quidem est virtus quam non fortuna gubernat,
Quæ maneat stabili, quum fugit illa pede.

Virtus per se est appetenda.

*Ovid. lib. 2. de Ponto.*

—Per seque petenda est.
Extremis virtus incomitata bonis.

Virtus ab homine nullis adversitatibus auferri potest.

*Boetius Metro 1. lib. 1.*

Ecce mihi laceræ dictant scribenda camœnæ,
Et veris elegi fletibus ora rigant.
Has saltem nullus potuit pervincere terror,
Ne nostrum comites prosequerentur iter.

Virtus auro nobilior est.

*Horat. lib. 1. epist. ad Mæcenat.*

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

Virtus fuga vitii est.

*Ibidem.*

Virtus est vitium fugere.

Virtus in pretio non est.

*Juvenalis satyra 1.*

Probitas laudatur & alget.

Virtus in pulchro corpore est valde grata.

*Virgil. lib. 5. Æneid.*

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus
Adjuvat.

Virtus laudata crescit.

*Ovid. lib. 4. de Ponto.*

Excitat auditor studium, laudataque virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

*Idem lib. 5. de Tristibus.*

Denique nulla mihi captatur gloria, quæque
Ingenii stimulos subdere fama solet.

*Guillerm. lib. 2.*

Si fuerit virtus exercita crescit.

Virtus maxima est, domare quæ cuncti timent.

*Seneca in Hercule furente.*

LYC. Obiici feris monstrisque virtutem putat.
MEGE. Virtus est, domare quæ cuncti pavent.

Virtus merces est sibimet pulcherrima.

*Silius Italic. lib. 13. bel. Pun.*

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.

*Claud.*

*Claud. in Conſ. Manlii.*

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque late
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia diſpicit arce.
Hanc tamen invitam blande veſtigat, & ultro
Ambit honor, docuit totiens à rure profectus
Lictor, & in mediis Conſul quæſitus aratris.

Virtutis bona quæ ſint.

*Plautus in Amphit.*

Virtus præmium eſt optimum, virtus omnibus
Rebus anteit profecto, libertas, ſalus, vita,
Res, parentes, patria & prognati tutantur, ſervan
tur,
Virtus omnia in ſe habet, omnia adſunt bona quem
pene'ſt virtus.

*Silius Italicus lib. 15. bel. Pun.*

Mecum honor, & laudes, & læto gloria vultu,
Et decus & niveis victoria concolor alis.
Me cunctus lauro perducit ad aſtra triumphus,
Caſta mihi domus, & celſo ſtant colle penates.

Virtus ſola nobilem, immortalem, divinumque
hominem facit.

*Owen.*

Omnia cum pereant eſt virtus ſola perennis:
Hæc immortales reddere ſola poteſt.

*Tob.*

Sola mori neſcit eclipſis neſcia virtus.

*Vergil lib. 10 Æneid.*

—Sed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.

*Idem eleg. de Mæc. obit.*

Marmora Meonii vincunt monumenta libelli:
Vivitur ingenio, cætea mortis erunt.

*Ovid. lib 1. de Ponto.*

Si modo non cenſus, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos, ingeniumque facit.

*Horat. Oda 2. lib. 3.*

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Intaminatis fulget honoribus,

Nec

Nec ponit, aut ſumit ſecures
Arbitrio popularis auræ.

*Juvenalis ſatyra 8.*

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atri, nobilitas ſola eſt atque unica virtus,

*Seneca in* Hercule *Oeteo.*

Sed locum virtus habet inter aſtra.
Vere dum flores venient tepenti,
Et comam ſylvis hyemes recident.
Vel comam ſylvis revocabit æſtas,
Pomaque autumuo fugiente cadent,
Nulla terris rapiet vetuſtas.
Tu comes Phœbo, comes ibis aſtris.

*Ibidem.*

Non eſt gemendus, nec gravi urgendus nece,
Virtute quiſquis abſtulit fatis iter,
Ætherea virtus Herculem flere vetat.
Fortes vetat mœrere, degeneres jubet.

*Et infra de eodem* Hercule.

Quid me tenentem regna ſyderei poli,
Cœloque tandem reditum planctu jubes
Sentire fatum? Parce, nam virtus mihi
In aſtra & ipſos fecit ad ſuperos iter.
Virtus in aſtra tendit, in mortem timor.

*Martial. lib. 5. Epigram.*

Sum, fateor, ſemperque fui Calliſtrate pauper,
Sed non obſcurus, & male notus eques:
Sed toto legor orbe frequens, & dicitur, hic eſt,
Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit.

Virtus Scipioni victoriam promittit,
illumque convertit ad ſe.

*Silius Italicus lib. 15. bel. Pun.*

Hinc tibi non Tyrio vitiatas murice veſtes,
Nec donum deforme viro flagrantis amomi,
Sed dabo qui veſtrum ſævo nunc Marte fatigat
Imperium ſuperare manu, laurumque ſuperbam
In gremio Jovis excisis deponere Pœnis.
Quæ poſtquam cecinit ſacrato pectore Virtus
Exemplis lætum, vultuque audita probantem
Convertit juvenem.

Virtus pro vitio ſæpe habetur.

*Ovid. lib. 1. de remed. amor.*

Et mala sunt vicina bonis, errore sub illo
Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.

Virtus unita major est seipsa dispersa.

*Ovid. lib. 2. de remed. amoris.*

Forsitan hæc aliquis (nam sunt quoque) parva vocabit,
Sed quæ non prosunt singula, multa juvant.

Virtutis amore qui non peccat, hic bonus est.

*Horat. lib. 1. epist. ad Quint.*

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.

Virtutis laus in actione consistit, sine qua virtutis nomen futile est.

*Silius Italicus lib. 9. bel. Pun.*

—Nam virtus futile nomen,
Ni decus adfuerit patiendo, ubi tempora lethi.

*Claud. de 4. Honorii Cons.*

Major & utilior facto conjuncta potenti
Vile latens virtus, quid enim submersa tenebris
Proderit? obscuro veluti sine remige puppis,
Vel lyra, quæ reticet, vel qui non tenditur arcus.

*Plaut in Bacchid.*

Quid mihi refert Chrysalo esse nomen, nisi factis
Celerem oportet esse amatoris manum.

*Silius Italic. lib. 3. bel. Pun.*

—Et qui sim nesciat omnis
Gens hominum, lethique metu decora relinquam.
Quid enim distant, à morte silentia vitæ?

Virtute ubique vacare licet.

*Seneca in Medea.*

Nunc est probanda si locum virtus habet.
MED. Nunquam potest non esse virtuti locus.

Virtutis via ardua est, id est, virtutem amplecti difficile est.

*Ovid. lib. 2. de arte amandi.*

Ardua molimur, sed nulla nisi ardua vincunt;
Difficilis nostra poscitur arte labor.

*Idem lib. 2. de Ponto.*

—Sed tendit in ardua virtus.

*Silius Italic. lib 2. bel. Pun.*

Ardua virtutem profert via: pergite primi,
Nec facilem populis, nec notam invadere laudem.

*Idem lib. 15. bel Pun.*

Ardua saxoso perducit semita clivo
Aspera principio (nec enim mihi fallere mos est)
Prosequitur labor ad nitendum intrare volenti,
Nec bona conscendunt, quæ sors infida dedisset,
Atque eadem rapuisse valet, mox celsus ab alto
Infra te cernes hominum genus, omnia contra
Experienda manent, quam spondet blanda voluptas.
Stramine projectus duto patiere sub astris
Insomnes noctes, frigusque famemque domabis.
Idem justitiæ cultor, quæcunque capesses,
Testes factorumque stare arbitrabere divos.

*Claud. de 4. Hono. Cons.*

Hanc tamen haud quisquam, qui non agnouerit ante,
Sumet, & incertos animi placaverit æstus.
Inveniet, longis illuc ambagibus itur.

Per Pythagoræ literam virtutis ac voluptatis via ostenditur.

*Virgilius de littera Pythagoræ.*

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum spectantibus offert.
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Melle ostentat iter via lata, sed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemque decusque parabit.
At qui desidiam, luxumque sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpis inopsque simul miserabile transiget ævum.

Virtutis via deseritur ob paupertatis fugam, quia paupertas pro opprobrio ab omnibus fere habetur.

*Horat. Oda 24. lib. 3.*

Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis & facere, & pati,
Virtutisque viam deserit arduæ.

Virtute exigua quæque amplianturr, ut de Roma liquet, quæ orbis regina virtute civium paucorum facta est.

*Silius Italicus lib. 15. bel. Pun.*

Nec

--Nec longe repetam, modo Roma minanti
Impar Fidenæ, contentaque crescere asylo
Quo sese extulerit dextris.

Virtutem nemo amplecteretur, aut ei vacare posset, si præmia tollas.

*Juvenalis satyra* 10.

Tanto major famæ sitis est, quam
Virtutis. Quis enim virtutem amplectitur ipsam
Præmia si tollas?

*Martialis lib*. 8. *Epigram.*

Ingenium sacri miraris abesse Maronis,
Nec quenquam tanta bella sonare tuba.
Sint Mœcenates, non deerunt Flacce Marones,
Vergiliumque tibi vel tua rura dabunt.

Virtute clari laudandi sunt ad aliorum exercitationem, Horatii exemplo.

*Horat*. *Oda* 9. *lib*. 4.

Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus. Non ego meis
Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores
Impune Lolli carpere lividas
Obliviones.

Virtutes exulant, vitia florent.

*Petr*. *Arbit*. *fragm.*

--Virtus medio jacet obruta cœno
Nequitiæ classes candida vela ferunt.

Pauper virtute præditus dignior est atque nobilior Nerone, id est, imperatore iniquo, & sceleribus contaminato, ut Nero fuit.

*Juvenalis satyra* 8.

Libera si dantur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec culeus unus.

Virtute insignem esse melius, atque eligibilius est, quam genere.

*Juvenalis satyra* 8.

Hæc satis ad Juvenem, quam nobis fama superbum
Tradit & inflatum plenumque Nerone propinquo,
--Sed te censeri laude tuorum
Pontice noluerim: sic ut nihil ipse futuræ.

Laudis

Laudis eges, miserum est aliorum incumbere famæ.

*Ibidem.*

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.

Virtute insignes rari sunt.

*Silius Italicus lib. 3. bel. Pun.*

—Ire per ora
Nomen in æternum paucis mens ignea donat,
Quos pater æthereis cœlestum destinat oris.

*Statius lib. 10. Thebaid.*

Rara dari, terrisque solet contingere Virtus.

Virtute ornati laus & æstimatio.

*Ovid. lib. 1. de Ponto.*

Principe nec nostro Deus est moderatior ullus,
Justitia vires temperat ille suas.

*Statius lib. 2. Sylvarum.*

Vive Midæ gazis, & Lydo ditior auro,
Troica & Euphrate supra diademata felix,
Quem non ambiguæ facies, non mobile vulgus,
Non leges, non castra tenent, qui pectore magno
Spemque metumque domas, vitio sublimior omni,
Exemptus fatis, indignantemque refellis
Fortunam, dubio quem non in turbine rerum
Deprendet suprema dies, sed abire paratum
At plenum vita.

*Ibidem.*

Tu cujus placido posuere in pectore sedem
Blandus honos, hilarisque tamen cum pondere virtus,
Cui nec pigra quies, nec iniqua potentia, nec spes
Improba, sed medius per honesta & dulcia limes
Incorrupte fidem, nullosque ex parte tumultus,
Et secrete palam qui digeris ordine vitam,
Idem auri facilis contemptor, & optimus idem
Condere divitias, opibusque immittere lucem,
Hac longum florens animi morumque juventæ
Illiacos æquare senes, & vincere præsta.

Virtute ornato nil esse dicitur contrarium seu difficile.

*Ovid. lib. 14. Metamorph.*

Pone tamen, Trojane, metum, potiere petitis,
Elysiasque domos, & regna novissima mundi

Me duce cognosces, simulachraque chara parentis.
Invia virtuti nulla est via.

Virtute præditum bona detestari non decet; ut nos Ulysses utiliter edocuit.

*Ovid lib. 13. Metamorph.*

—Neque enim benefacta maligne
Detrectare meum est, modo ne communia solus
Occupet, atque aliquem nobis quoque reddat honorem.

Virtute clarum non decet immerita appetere.

*Terentius in Andria*

Ego Charine neutiquam officium liberi hominis esse
puto,
Quum is nihil promereat, postulare id gratiæ apponi
sibi
Virtute.

Virtute præditi cœlum petunt.

*Lucanus lib. 9. bel. civil.*

At non in Pharia manes jacuere favilla,
Nec cinis exiguus tantam compescuit umbram,
Prosiluit busto, semiustaque membra relinquens,
Degeneremque rogum, sequitur convexa Tonantis,
Qua niger astriferis connectitur axibus aër,
Quodque patet terras inter Lunæque meatus
Semidei manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vitæ patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animam collegit in orbes.

*Seneca in Hercule Oeteo.*

Nunquam stygias fertur ad umbras
Inclita virtus, vivite fortes,
Nec letheos sæva per amnes
Vos fata trahent, sed quum summas
Exigit auras consumpta dies,
Iter ad superos gloria pandet.

*Manilius lib. 1. Astron.*

An fortes animæ, dignataque nomina cœlo,
Corporibus resoluta suis, terræque remissa
Huc migrant ex orbe, suumque habitantia cœlum
Æthereos vivunt annos, mundoque fruuntur.
Atque hic Æacidas, hic veneramur Atridas,
Tydidemque ferum terræque marisque triumphis,
&c.

Vates

Virtutes sunt veræ divitiæ.

*Owen.*

Divitiæ non sunt argenti pondus & aurum,
Virtutes, veras accipe divitias.

---

## DE VITA.

Vita hominum brevissima est.

*Vergil lib.* 10. *Æneid.*

Stat sua cuique dies, breve, & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

*Horat. Oda* 4. *lib.* 1.

Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare
longam:
Jam te premet nox, fabulæque manes,
Et domus exulis Plutonia:

*Idem Oda* 14. *lib.* 2.

Heu heu fugaces, Posthume, Posthume,
Labuntur anni, nec pietas moram
Rugis, & instanti senectæ
Adferr, indomitæque morti.

*Idem lib.* 2. *epist. ad* Florum.

Singula de nobis anni prædantur euntes.

*Juvenalis satyra* 9.

—Festinat enim decurrere velox
Flosculus, angustæ miseræque brevissima vitæ
Portio: dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas
Poscimus, obrepit, non intellecta, senectus.

*Seneca in Oedipo.*

Labimur sævo rapiente fato,
Ducitur semper nova pompa morti.

*Idem in Troade.*

Quicquid sol oriens, quicquid & occidens
Novit cæruleis oceanus fretus,
Quicquid vel veniens, vel fugiens levat
Ætas Pegaseo corripiet gradu.

*Plautus in Captivis.*

Et si pervivo usque ad summam ætatem, tamen
Breve spatium est.

*Lucret. lib.* 2. *de nat. rerum.*

Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur,
Inque brevi spatio mutantur secla animantum,

Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

*Silius Italicus lib. 15 bel Pun.*

Huc adverte aures, currit mortalibus ævum,
Nec nasci bis posse datur, fugit hora, rapitque
Tartareus torrens, ac secum terre sub umbras,
Siqua animo placuere, negat. Quis luce suprema
Demisisse meas sero non ingemit horas?

*Properti lib. 2. eleg.*

Ac veluti folia arentes liquere corollas
Quæ passim calathis strata natare vides:
Sic nobis, qui nunc magnum speramus amantes,
Forsitan includet crastina fata dies.

Vita excelso stat loco.

*Petrar.*

Excelso stat vita loco; nos ima sequentes
Vergimus ad mortem.

Vita hominum alearum ludo adsimilatur.

*Terentius in Adelph*

Ita vita est hominum, quasi quum ludas tesseris.
Si illud, quod maxime est opus, jactu non cadit,
Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas, necesse
est.

Vita hominum adsimilatur telis araneorum.

*Owen.*

Vitam sic texit, natura ut aranea telum,
Longus, ac in lapsum pronus, uterque labor.

Vita defuncti periphrasis.

*Nemesianus ecloga 1.*

Quem nunc emeritæ permensum tempora vitæ
Secreti pars orbis habet mundusque piorum.

Vita honesta nihil prodest, ubi dominus odit.

*Seneca in Agamemnone.*

Quid honesta prodest vita flagitio carens
Ubi dominus odit: Fit nocens, non quæritur.

Vita magis in pretio est, quam quæque temporalia boni.

*Ovid. lib. 3. Metamorph.*

—Nihil ô fortissime præter
Hanc animam concede mihi, tua cætera sunto.

Vitæ brevitas jugiter in memoria retinenda est, & ad hoc exhortatio dignissima.

*Horat. satyra 6. lib. 2.*

Vive memor quam sis ævi brevis.

*Plautus in Mostellaria.*

Loquar, si decet, morem geras, vitam, quam sit brevis, simul cogita quidem.

Vitæ spatium omnes naturaliter petunt optantque.

*Juvenalis satyra 10.*

Da spatium vitæ, multos da, Jupiter, annos,
Hoc recto vultu, solum hoc & pallidus optas.

Vita longissima non aufert mortem.

*Owen.*

Differt non aufert mortem longissima vita,
Quid igitur differt cras hodieve mori?

Quæ vitam beatiorem efficiant.

*Martial lib. 10. Epigram.*

Vitam quæ faciunt beatiorem?
Jucundissime Martialis hæc sunt.
Res non parta labore, sed relicta,
Non ingratus ager focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici,
Convictus facilis, sine arte mensa.
Nox non ebria, sed soluta curis,
Non tristis thorus, attamen pudicus,
Somnus, qui faciat breves tenebras,
Quod sis, esse velis, nihilque malis,
Summum nec metuas diem, nec optes.

Vitam erripere homini quilibet potest, at nemo mortem: ad hanc enim aditus diversi sunt.

*Seneca in Thebaid.*

Ubique mors est, optime hoc cavit Deus,
Eripere vitam nemo non homini potest
At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.

Vitam tranquillam qui affectat, hominum familiaritatem vitet, & ad hoc exhortatio.

*Martialis lib 12. Epigram.*

Si vitare velis acerba quædam,
Et tristes animi cavere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem,

Gaudebis minus, & minus dolebis.

Vivendum est recte ob multa, praecipue tamen ut mancipiorum linguas contemnamus.

*Juvenalis satyra 9.*

Vivendum est recte, tum propter plurima, tum his
Pracipue causis, ut linguas mancipiorum
Contemnas, Nam lingua mali pars pessima servi.

Vita spernenda.

*Owen.*

Felicem vitam vis vivere? Spernito vitam,
Vivit enim misere cui sua vita placet.

---

# DE VITIIS.

Vitia extirpanda sunt primo, deinde virtutes inserendae.

*Horat. satyra 3. lib. 1.*

—Denique teipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala: namque
Neglectis verenda filix innascitur agris.

*Boetius metro 1. lib. 3.*

Qui serere ingenuum volet agrum,
Liberat prius arva fruticibus,
Falce rubos, filicemque resecat,
Ut nova fruge gravis Ceres eat.
Dulcior est apium mage labor
Si malus ora prius sapor edat.
Gratius astra nitent, ubi notus
Desinit imbriferos dare sonos.
Lucifer, ut tenebras pepulerit,
Pulchra dies roseos agit equos,
Tu quoque falsa tuens bona, prius
Incipe collo juga subtrahere,
Vera dehinc animum subierint.

Vitiorum via lata est & plana: virtutum vero via difficilis, & angusta, & ardua. Id moraliter signat Averni ascensus, & descensus.

*Virg. lib. 9. Æneid.*

—Facilis descensus averni,
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus hic labor est.

Vitii cæcus amor ineſt, ex quo futurum omne deſpicitur.

*Claud. lib. 2. in Eutrop.*

Sed quia cæcus ineſt vitiis amor, omne futurum
Deſpicitur, ſuadentque brevem preſentia fructum,
Et ruit in vetitum damni ſecura libido.

Vitiis nemo caret, nec ſine illis naſcitur.

*Horat ſatyra 3. lib. 1.*

Nam vitiis nemo ſine naſcitur. Optimus ille
Qui minimis urgetur.

*Perſius ſatyra 1.*

Auriculas aſini quis non habet?

*Propert. lib. 2. eleg. ad Heremum.*

Unicuique dedit vitium natura creato,
Mi fortuna aliquid ſemper amare dedit.

Vitiato corpore ſi bonus ſis, eſt quid maximum.

*Martial. lib. 2. Epigram.*

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læſus,
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Vitia relinquuntur aliquando præ tædio & impatientia, ut Ovidii liquet exemplo.

*Ovid. lib. 3. Elegiar.*

Si tamen è nobis aliquid niſi nomen & umbra
Reſtat in Elyſia valle Tibullus erit.
Multa, diuque tuli, vitiis patientia victa eſt.
Cede fatigato corpore turpis amor.
Scilicet aſſerui jam me, fugique catenas,
Et quæ non puduit ferre, tuliſſe pudet,
Vicimus, & domitum pedibus calcamus amorem,
Venerunt capiti cornua ſera meo,

Vitia virtutibus reprimuntur.

*Tob.*

Pax iram reprimit, faſtum patientia, luxum
Sobrietas, odium gratia, probra decus.

---

## DE VOLUNTATE.

Voluntas pro facto habetur, dum facultas operandi abeſt.

*Ovid. lib. 9. Metamorph.*

—Temerata eſt noſtra voluntas
Ut nihil adjiciam, non poſſum innoxia dici,

Quod superest multum est in vota, in crimina parvum.

*Idem lib. 3 de Ponto.*

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas,
Hac ego contentos auguror esse Deos.
Hæc facit ut veniat pauper quoque gratus ad aras,
Et placeat cæso non minus agna bove.

*Idem lib. 4 de Ponto.*

Et jam nil præstes animi sum factus amici
Debitor, & meritum velle juvare voco.
Parva quidem fateor pro magnis munera reddi,
Quum pro concessa verba salute damus.
Sed qui quam potuit dat maxima, gratus abunde est,
Et finem pietas contigit illa suum.
Nec quæ de parva pauper diis libat acerra:
Thura minus grandi, quam data lance valent.
Agnaque tam lactens, quam gramina pasta Phalisco
Victima Tarpeios inficit icta focos.

*Idem ad Pisonem.*

Quod si digna tua minus est mea pagina laude,
At voluisse sat est, animum non carmina jacto.

*Juvenalis satyra 13.*

Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum
Facti crimen habet.

*Propertius lib. 2. ad Musam.*

Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit, in magnis & voluisse sat est.

Voluntatem propriam exequi non potest, id quod possit efficiat.

*Terentius in Andria.*

Quoniam non potest fieri id quod vis,
Id velis quod possis.

Voluntatem propriam, sive propositum non licet prosequi, quum res non sinit,

*Terent. in Heauton.*

Non licet hominem esse sæpe ita ut vult, si res non sinit.

Quot homines, tot sunt voluntates, mores, & sententiæ.

*Ovid. lib. 1. de arte amandi.*

Pecto-

Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figuræ,
Qui sapit innumeris moribus aptus erit.

*Horat. lib 2. satyra 1.*

Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis: quot vivunt capitum totidem studiorum
Millia.

*Persius satyra 5.*

Mille hominum species & rerum discolor usus;
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana cumini:
Hic satur irriguo mavult turgescere somno.
Hic campo indulget, hunc alea decoquit: ille
In venerem putris.

*Terentius in Phormione.*

—Verum ita est,
Quot homines, tot sententiæ: suus cuique mos.

## DE VOLUPTATE.

Voluptas nulla syncera est atque longa in hoc seculo.

*Ovid. lib 7. Metamorph.*

—Usque adeo nulla est syncera voluptas,
Sollicitumque aliquid lætis intervenit.

*Idem lib. 6. Fastor.*

Scilicet interdum miscentur tristia lætis,
Nec populum toto pectore festa juvant.

*Idem lib. 4. de Ponto.*

Nulla dies adeo est australibus humida nimbis,
Non intermissis ut fluat imber aquis;
Nec sterilis locus ullus ita est, ut non sit in illo
Mixta fere duris utilis herba rubis.

*Idem lib. 1. Eleg. sed moraliter.*

Impia sub dulci melle venena latent.

*Horat. Oda 16. lib. 2.*

Lætus in præsens animus quod ultra est
Oderit curare, & amara lento
Temperet risu; nihil est ab omni
Parte beatum.

*Juvenalis satyra 10.*

—Sed quæ præclara & prospera tanti,

Ut rebus lætis par ſit menſura malorum.

*Seneca in Thyeſte.*

Nulla ſors longa eſt, dolor ac voluptas
Invicem cedunt, brevior voluptas,
Ima permutat brevis hora ſummis.

*Boetius Metro 7, lib. 3.*

Habet hoc voluptas omnis,
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & minus tenaci
Perit icta corda morſu.

*Plautus in Amphit.*

Satin' parva res eſt voluptatum in vita atque in
ætate
Agunda præ quam quod moleſtum eſt, ita quoique
comparatum
Eſt in ætate hominum, ita diis placitum, voluptati
ut mœror
Comes conſequatur.

*Idem in Curculione.*

Nulli eſt homini perpetuum bonum,
Jam hujus voluptati hoc adinventum eſt odium.

*Stat. lib. 2. Sylvar.*

O ſævæ nimium, graveſque Parcæ,
O nuſquam data feſta longa, ſummis
Cur plus ardua caſibus petatis?
Cur ſæva vice magna non ſeneſcunt?

*Claud lib. 1. in Stilic. laud.*

——Etenim mortalibus ex quo
Tellus cœpta coli, nunquam ſincera bonorum
Sors ulli conceſſa viro, quem vultus honeſtat
Dedecorant mores: animus quem pulchrior ornat,
Corpus deſtituit.

*Voluptas vires luxuriæ non adimit.*

*Ovid. lib. 1. de Ponto.*

Nec vires adimit Veneris damnoſa voluptas.

*Voluptas eſt ſpernenda.*

*Horat. lib. 1. epiſt. ad Lollium.*

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

*Voluptatis deſcriptio.*

*Silius Italicus lib. 5. bel. Pun.*

Altera Achemenium spirabat vertice odorem,
Ambrosias diffusa comas, & veste refulgens,
Ostrum qua fulvo Tyrium suffuderat auro.
Fronte decor quæsitus acu, lascivaque crebras
Ancipiti motu jaciebant lumina flammas.

Voluptatis promissorum depictio ad Scipionem, quibus nititur illum à virtute retrahere.

*Silius Italicus lib. 15. bel. Pun.*

—Moneo certare periclis
Desine, & armisonæ caput objectare procellæ,
Ni fugis hos ritus, virtus te sæva jubebit
Per medias volitare acies, mediosque per ignes.
Hæc patrem patruumque tuos, hæc prodiga Paulum,
Hæc Decios stygias Erebi detrusit ad undas;
Dum cineri titulum, memorandaque nomina bustis
Prætendit, nec sensuræ quid gesserit umbræ.
At si me comitare puer, non limite duro
Iam tibi decurret concessi temporis ætas.
Haud unquam trepidos, abrumpet buccina somnos,
Sed current albusque dies, horæque serenæ,
Et molli dabitur victu sperare senectam.

Voluptas irascitur ob repulsam à Scipione passam, dicens affore tempus, quo totum sibi orbem vendicaret, quod luce clarius evenisse intuenti liquet.

*Silius Italicus lib. 15. bel. Pun.*

—Sed enim indignata Voluptas
Non tenuit voces, Nil vos jam demoror ultra,
Exclamat venient, venient mea tempora, quondam,
Quum docilis nostris magno certamine Roma
Serviet imperiis, & honor mihi habebitur uni.

Voluptatis mala quæ sint.

*Ibidem.*

—Inde aspice late
Florentes quondam luxus quas verterit urbes,
Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hostes,
Quantum sola noces animis illapsa voluptas:
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris
Circa te semper volitans infamia pennis.

Voluptati deditus hæredes non multum juvat, eo quod quæque bona prodige vivendo dissipat.

*Terentius in Hecyra.*

—Sane Hercle
Homo voluptatis obsequens fuit, dum vixit, & qui sic sunt,
Haud multum hæredem juvant.

Voluptate propria quisque ducitur.

*Vergil. Eclog. 2.*

—Trahit sua quemque voluptas,

Voluptati deditus felix esse non potest.

*Owen.*

Vis fieri felix? est debellanda voluptas,
Hæc juvenum exilium est, pestis & illa senum.

---

## DE USU.

Usus rei alicujus prodest: negligentia obest.

*Ovid lib 1. amo eleg. 8.*

Æra nitent usu, vestis bona quærit haberi,
Canescunt turpi tecta relicta situ.

*Idem ad Pisonem.*

Abdita quid prodest generosi vena metalli,
Si cultore caret? quid inerti condita portu,
Si ductoris eget ratis efficit? omnia quamvis
Armamenta gerat, tereti que fluentia malo
Possit & excusso dimittere vela rudente.

Usu consumantur & mollescunt durissima quæque.

*Ovid lib 2. de arte amandi*

Ferreus assiduo consumitur annulus usu,
Interit assidua vomer aduncus humo.
Quid magis est durum saxo, quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.

*Ovid. lib. 4. de Ponto.*

Gutta cavat lapidem, consumitur annulus usu,
Et teritur pressa vomer aduncus humo.

*Lucret. lib. 1 de nat. rerum.*

Quinetiam multum solis redeuntibus annis
Annulus in digito subter teneatur habendo,
Stillicidi casus lapidem cavat, uncus aratri

Ferreus

Ferreus occulto decrescit vomer in arvis.

*Idem lib 4. de nat. rerum.*

Nam leviter quamvis quod crebro tunditur ictu,
Vincitur in longo spatio tamen, atque labascit.
Nonne vides etiam guttas in saxa cadentes
Humoris longo in spatio pertundere saxa?

*Propert lib. 2. eleg. ad Cynthiam.*

Sed tamen obsistam, teritur rubigine mucro
Ferreus, & parvo sæpe liquore silex.

Usus potentia quanta sit.

*Horat de arte Poetica.*

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocubula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

Usus nutrit artes, solertia parit.

*Claud. de rapt. Proserp. lib. 3.*

—Rerumque remotas
Ingeniosa vias paulatim exploret egestas,
Utque artes pariat solertia, nutriat usus.

Magister artium est usus.

*Ovid lib. 2. de arte amandi.*

Adde quod est illis operum prudentia major,
Solus & artifices qui facit, usus adest.

## DE USURA.

Usura & fœnus una cum infidelitate & bello ex hominum cupiditate manarunt.

*Lucan. lib. 1. bel. civil.*

Hinc usura vorax, avidumque in tempore fœnus,
Et concussa fides, & multis utile bellum.

Usura & fœnus inopes trucidant.

*Ausonius in eclog. de ambig. vita elig.*

—Si turpia lucra
Fœnoris, & velox inopes usura trucidat.

## DE UTILITATE.

Utile à decoro nunquam recedat.

*Ausonius in Periandri sentent.*

Nunquam discedat utile à decoro.

Vtilitatem commodumque alicujus rei habens, etiam illius incommoda æquanimiter sustinebit.

*Terentius in Hecyra.*

Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquum est ferre.

Utilitas propria honestati & amicitiæ hodie anteponitur.

*Ovid. lib. 2 de Ponto.*

Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.
Cura quid expediat prior est, quam quid sit honestum,
Et cum fortuna statque caditque fides.
Nec facile invenies multis de millibus unum,
Virtutem pretium qui putet esse sui.
Ipse decor recti, facti si præmia desint,
Non movet: & gratis pœnitet esse probum.
Nil nisi quod prodest charum est: en detrahe menti
Spem fructus avidæ, nemo petendus erit.
At reditus jam quisque suos amat, & sibi quid sit
Utile, sollicitis computat articulis.

## DE VULGO.

Vulgus instabile est, prosperam fortunam ut plurimum sequitur. Igitur inaniter ambitiosos extollit, ac denique premit.

*Juvenalis satyra 10.*

Turba tremens sequitur fortunam semper, & odit
Damnatos: idem populus si Nursia Thusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principiis, hac ipsa Sejanum diceret hora
Augustum.

*Seneca in Hercule furente.*

Invidia factum, ac sermo popularis premat.

*Idem in Hippolyto.*

Tradere turpi fasces populus
Gaudet, eosdem colit, atque odit.

*Idem in Octavia.*

O funestus multis populis,
Dirusque favor, qui quum flatu
Vela secundo ratis implevit,

Vexit.

Vexitque procul, languidus idem
Deserit alto, sævoque mari.

*Idem in Her. fur.*

Illum populi favor attonitum,
Fluctuque magis mobile vulgus,
Aura timidum volvit inani.

*Horat. lib. 1. epist ad Mœcenat.*

Non ego ventosis plebis suffragia venor
Impensis cœnarum, & tritæ munere vestis.

Vulgi furoris ac iræ intimatio notabilis.

*Ovid. lib. 5. Metamorph.*

Tum vero indomitas ardescit vulgus in iras,
Telaque conjiciunt.

*Verg. lib. 1. Æneid.*

—Sævitque animis ignobile vulgus;
Jamque facies, & saxa volant, furor arma ministrat.

Populi fœdus in unum mutuus amor nectit.

*Boetius Metro 8. lib. 2.*

Hic sanctos populos quoque
Junctos fœdere continet.

Vulgus mutabile.

*Claud.*

Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

---

## DE VULNERE.

Vulnera statim medico resecanda sunt, quod si non fiat, ægroto non parum nocet.

*Verg. lib. 3. Georg.*

Non tamen ulla magis præsens fortuna malorum est,
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Ulceris os, alitur vitium, vivitque tegendo,
Continuo culpam ferro compesce, priusquam
Dira per incautum serpat contagio vulnus.

Vulnus obduratum non leviter, sed igni, ferroque sæpe sanatur.

*Claud. lib. 1. in Eutrop.*

Tunc decuit sentire nefas, tunc ire recentes
Detersum maculas: veteri post obruta morbo
Corpora pæonias nec quicquam admoveris herbas.
Ulcera possessis alte suffusa medullis

Non

Non leviore manu ferro sanantur & igni,
Ne noceat frustra mox eruptura cicatrix.
Ad vivum penetrant flammæ, quo funditus humor
Defluat, & vacuis corrupto sanguine venis
Arescat fons ille mali, truncatur & artus,
Ut liceat reliquis secure vivere membris.

*Ovid. lib. 1 Metamorph.*

Cuncta prius tentanda, sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur.

Vulnus incurabile non tractari arte melius atque tutius esse dicitur.

*Ovid lib. 2. de Ponto*

Vulneris id genus est, quod quum sanabile non sit,
Non hoc tractari tutius esse puto.

*Idem lib. 3. de Ponto.*

Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera, que melius non tetigisse fuit.

---

## DE VULTU.

Vultus virilis descriptio elegans.

*Ovid ad Pisonem.*

Talis inest habitus qualem nec dicere mœstum,
Nec fluidum, lætum sed tetricitate decorum
Possumus ingenitæ stat nobilitatis in illo,
Pulcher honos, & digna suis natalibus ora.

Vultus animi est index.

*Seneca in Thyest.*

Multa sed trepidus solet
Detegere vultus: magna volentem quoque
Consilia produnt.

*Idem in Agamemn.*

—Quid tacita versas,
Licet ipsa sileas, totus in vultu est dolor.

*Seneca in Hercule Oetæo.*

—Licet ipsa neges.
Vultus loquitur quodcunque negas.

*Ovid lib. 2. Metamor.*

Heu quam difficile est crimen non prodere vultu.

*Horat lib. 1. Epodon.*

Tacent: & ora pallor albus inficit,
Mentesque perculsæ stupent.

*Juvenalis satyra 3*

Ense velut stricto quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est,
Criminibus tacita sudant præcordia culpa,
Inde iræ, & lacrymæ.

*Seneca in Oedipo.*

Effari dubitas? cur genas mutat color?
Quid verba quæris?

Vultus hilaritas hospitibus haud parum confert.

*Ovid lib. 8. Metamorph.*

--Super omnia vultus
Accessere boni, nec iners, pauperque voluntas.

---

## DE UXORIBUS.

Uxoris castitas amoris vinculum insolubile est

*Seneca in Octavia.*

Amor perennis conjugis castæ manet.

*Propert lib. 3 eleg 12.*

Ubi mortifero jacta est fax ultima lecto
Uxorum fusis stat pia turba comis:
Et certamen habent lethi, quæ viva sequatur
Conjugium; pudor est non licuisse mori:
Ardent victrices & flammæ pectora præbent
Imponuntque suis ora perusta viris, &c.

Uxores debent viros honorare.

*Plautus in Sticho*

--Pudicitia est, pater,
Eos magnificare, qui nos socias sumpserunt sibi.

Quales debeant esse uxores.

*Plautus in Sticho.*

PI. Scio ut oportet esse, si sint, ita ut ego æquum censeo.
AN Volo scire ergo, ut æquum censes. PI. Ut per orbem quum ambulent,
Omnibus os obturent, ne quis merito maledicat sibi.

Non uxor, sed facies & pulchritudo, ut plurimum amatur.

*Juvenalis satyr. 6.*

Si verum excutias, facies, non uxor amatur.

Tres

Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes, oculique minores,
Collige sarcinulas, dicit libertus, & exi;
Jam gravis es nobis.

Uxoris virtus non facies, marito placere debet.

*Seneca in Octavia.*

Probitas fidesque conjugis, mores, pudor
Placeant marito.

Uxor bona proprio viro contenta est.

*Plautus in Mercatore.*

Nam uxor contenta est, quæ bona est, uno viro.

Uxor fidem viro observare debet, & ad hoc admonitio notatu digna.

*Ovid. lib. 5. de Tristib.*

Nil opus est morier pro me, sed amore, fideque:
Non ex difficili fama petenda tibi est.

Uxor, quæ virum fefellerit, persæpe laudatur, sed male.

*Ovid. lib. 2. de Tristib.*

Quumque fefellit amans aliqua novitate maritum
Blanditur, magno palma favore datur.

Uxor priore pejor invenitur facile, melior autem minime.

*Plautus in Sticho.*

Facile invenies & priorem, & pejus moratam, pater,
Quam illa fuit: meliorem neque tu reperies, neque sol videt.

Uxor & proles, cæca cupiditate seposita, secundum Dei voluntatem petendi sunt, nam ille scit quid nobis conducat.

*Juvenalis satyra 10.*

——Nos animorum
Impulsu, & cæca, magnaque cupidine ducti
Conjugium petimus, partumque uxoris, at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.

Uxorati quanta sit miseria.

*Juvenalis satyra 6.*

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus
In quo nupta jacet, minimum dormitur in illo.
Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride peior,

Quum

Quum simulat gemitus occulti conscia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat,
Uberibus semper lacrymis, semperque paratis
In statione sua, atque expectantibus illam
Quo jubeat manere modo.

*Terentius in Adelph.*

Duxi uxorem, quam ibi non miseriam vidi ? nati filii,
Alia cura : porro autem dum studeo illis ut quam plurimum
Facerem, contrivi in quærendo vitam atque ætatem meam ?
Nunc exacta ætate, hoc fructi pro labore ab his fero
Odium.
——Meam autem mortem expectant.

FINIS.

# INDEX LOCORUM

## COMMUNIUM.

### A.



Delitiae

Lectio

Prospe-

FINIS.